UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei

Coloniæ Agrippinæ, 1687

urn:nbn:de:hbz:466:1-46004

Visual Library

Th. 2686.

I. VI
35.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

METHODUS

CLARA ET FACILIS

Vacandi Orationi mentali

Atque

Exercendi se cum fructu in præsentia DEI.

Cui

Pro Majori animum in præsentia Dei continendi facilitate in fine additur

SPIRITUS

Actionum Religionis.

Opuscula

Antehac Gallicè conscripta, nunc plurimorum Votis in gratiam Omnium Ascetices ac perfectionis Religiosæ pieque vitæ Studiosorum atque amantium, Latinitate donata, & in lucem emissa

Studio & Operâ

Cujusdam Ordinis Fratrum B. V. MARIÆ de Monte Carmelo in Provincia Allemanniæ Inferioris Alumni.

)o(

COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Sumptibus hæredum Joannis Widenfe[ld] & Godefridi de Berges.

Anno M DC LXXXVII.

Soītis Jesv

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Interpres Lectori S.

NOveris, amice Lector, tractatulum istum jam pridem à quodam nostri præfati Ordinis in Provincia Turonensi magnæ virtutis ac scientiæ, nec non in rebus asceticis experientiæ Religioso in gratiam potissimum sui Ordinis Novitiorum, aliorumque, maximè Juniorum, in quorum instructione plurimos annos ipse transegerat, Gallicè fuisse conscriptum: ut nempe cùm Ordinis istius spiritus specialiùs in continua interiori atque affectiva cum Deo occupatione & conversatione consistat, ab ipso vocationis suæ initio hac orationis faciendæ brevi & clara methodo facilior illis ad hujusmodi occupationem & conversationem via sterneretur. Verùm cum animadverterem, atque usu ipso didicissem, eandem methodum non solùm ejusdem ordinis nostri, sed &

bus quorumcunque Ordinum Religiosis, imò quibusvis orationis, præcipuè mentalis, quæ status Religiosi, atque etiam cujuslibet spiritualis, anima & vitaest, sine qua in perfectione, ad quam tendere, vi professionis non modò Religiosæ, sed & Christianæ, omnes tenemur, proficere vix, ac ne vixquidem possibile est, studiosis usui, ac valde commodam & proficuam esse posse, ut illis quapiam ratione, communem eam pluribus, aliarum etiam quarumlibet nationum viris, non tantum Religiosis, sed & quibusvis, quibus æquè penè eadem commendata esse debet oratio, utpote quarumlibet animarum devotarum spiritualis alimonia, faciendo, gratificarer, Latinitate tractatulum hunc donare, ficque cum meorum licentia, imo exjussu, superiorum publici juris, typi beneficio, facere constitui.

Quoniam verò orationis hujusmodi non solùm fructus, sed etiam potissimum adjumentum, adversùm quævis vitia, quin & quaslibet immoderationes præsentissimum remedium, atque ad proficiendum in virtutibus ac via perfectionis compendium est jugis exercitatio in divina præsentia, licet

de

de illa in hoc tractatulo etiam aliqua agantur, ut tamen omnes vitæ ſpiritualis amantes, atque imprimis Religioſi, paſſim obviam illius haberent praxin, aliud in fine opuſculum ab eodem Religioſiſſimo Authore, ſeu potius ex ipſius ſcriptis ab eximio quopiam illius, haud abſimilis pietatis atque experientiæ, Diſcipulo eadem linguâ Gallicâ non ita pridem excerptum atque evulgatum, atque à me pariter latinitate donatum adjicere operæ pretium eſſe cenſui, in quo ad oculum, ut dici ſolet, penè comonſtratur, qua ratione in omnibus & ſingulis communibus ac peculiaribus actionibus utiliter & maximo cum fructu iſta divinæ haberi exercitatio præſentiæ poſſit, quod proinde SPIRITUS actionum Religionis appellatur, in quo licet aliqua repetantur, quæ in priori Tractatulo quoque dicta jam fuerant, paulò tamen id fit extenſiùs ideoque enucleatiùs.

Porrò ſi qua in Religione, aut alio quovis ſtatu, maximè Eccleſiaſtico, uſitatæ ſint aliæ quædam actiones ſpecialiores, ab ibidem exprimendis diverſæ, illis facilè illic dicenda accommodari, atque ad eorum normam ſi-

miles directiones, considerationes atque aspirationes efformari: v gr. quæ dicuntur de audienda Missa vel Concione, de serviendo Infirmis, conversatione cum extraneis &c. proportionaliter de eadem missa dicenda, concione habenda, infirmis visitandis, suscipienda cum quibusvis conversatione &c. intelligi & applicari posse, Religiosum ac studiosum Lectorem usus ipse docebit. Ordinem vero ac fructum in eodem opusculo dicendorum specialis illius Præfatio exponet.

Hunc ergo, amice Lector, quantulumcunque laborem meum æquo animo accipe, & styli, si quam alicubi nimiam judicio tuo inveneris humilitatem, ex eo illam capite benignè excusa, quod cum Incipientibus imprimis hæc præscripta opuscula sint, eorum ille, adeoque omnium, attemperari debuerit capacitati. Faxit Deus, ut, quod spero, ad plurimorum ea cedant spiritualem profectum, atque animarum utilitatem, sicque & ego, quod humillimè rogo, meritorum ipsorum partem aliquam quoque percipiam.

INDEX CAPITUM.

PRæfatio pag. 1.

Caput I.

De Oratione generatim & illius diverſis ſpeciebus 7

Prima acceptio nominis oratio ibid.

Duæ aliæ nominis orationis acceptiones generaliores 9

Quinque diverſæ ſpecies orationis 11

Caput II.

De oratione mentali 13

De excellentia orationis mentalis 14

De neceſſitate abſoluta, quæ nobis incumbit faciendi orationem mentalem 19

De partibus orationis mentalis 23

Caput III.

De præparatione ad orationem 24

De præparatione remota 25

De præparatione propinqua 27

Caput IV.

De ingreſſu orationis 31

Tria, quæ facere oportet priusquam meditationem quis incipiat 35

Directio ante meditationem 39

Caput V.

De meditatione 41

Quid ſit meditatio ibid.

Quomodo meditari oporteat 44

Defectus in oratione cavendi 46

Caput VI.

Methodus meditandi & se in materiis tam sensibilibus quam spiritualibus dilatandi 48
Modus se dilatandi in meditatione 52
Quomodo quis in materiis purè spiritualibus dilatare se debeat 55

Caput VII.

Methodus in quibusdam in particulari materiis observanda 59
De materiis Meditationis propriis incipientibus & quidem primò considerationes de peccato 61
2. Considerationes, quæ pertinent ad notitiam sui ipsius 64
3. Considerationes de morte 65
4. Considerationes de generali judicio 66
5. Considerationes de inferno 67
6. Considerationes de æterna gloria 68

Caput VIII.

De aliis meditationum materiis proficientium propriis 69
1. Consideratio de virtute in genere ibid.
2. Consideratio virtutis alicujus in particulari 70
3. Considerationes de actionibus, dictis & doloribus Salvatoris nostri 72
4. Considerationes de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento 73
5. Methodus meditandi vitam & virtutes B. V. Mariæ 74
6. Considerationes super vita alicujus sancti 75
7. Considerationes super votis & Regulis Religionis 76

8. Con-

8. Considerationes super sententiis sacræ Scripturæ 77
9. Considerationes de Beneficiis Dei 78
10. Considerationes super attributis divinis 79

Caput IX.

De affectibus 80
Quid sit affectus, & quomodo ille in cordibus nostris enascatur 81
De differentia affectuum 83
De ordine, quem quis in eliciendis tenere debet affectibus 85
Quomodo affectus sint eliciendi & continuandi 88

Caput X.

De aliquibus affectibus generalibus pro quilibet cujusvis generis oratione & primò de gratiarum actione 90
Praxis agendi gratias 92

Caput XI.

De resolutionibus ac bonis propositis 96
Praxis eliciẽdi & concipiẽdi bona proposita 99

Caput XII.

De Oblationibus 101
Praxis oblationum 104

Caput XIII.

De petitionibus 109
Quænam in oratione petere debeamus 112
Praxis actuum petitionis 114
Formulæ 116

Caput XIV.

De quibusdam affectibus pro quavis materia particularibus : ac primò de iis, qui sunt proprii incipientium 120
De peccato 121

2. De cognitione sui ipsius 124
3. In revisione sui & examine, quo statum suum interiorem atque in virtutibus agnoscat profectum 126

Caput XV.

Quos affectus quis possit elicere ex consideratione quatuor hominis novissimorũ 129
1. De Morte ibid.
2. De extremo judicio 131
3. De pœnis Inferni 134
4. De gloria cœlesti 136

Caput XVI.

De aliis affectibus specialibus, qui elici possunt ex consideratione materiarum provectioribus propriarum 139
1. De virtutibus
2. De Mysteriis vitæ & passionis Domini nostri 142
3. De Augustissimo Sacrosanctæ Eucharistiæ Sacramento 146
4. De vita ac virtutibus B. V. & Sanctorũ 147
5. De Regulis & exercitiis Religionis 148
6. De beneficiis Divinis 149
7. De perfectionibus divinis 150
8. De Creaturis ibid.

Caput XVII.

Formulæ orationis 152
Formula prima. In qua singulas considerationes conveniẽtes consequuntur affectus ib.
Consideratio prima, Quam peccatum in se ipso sit abominabile 154
Affectus ex hac prima consideratione eliciendi 156
Consideratio secunda, quàm peccatum sit injuriosum Deo 158

Affe-

Affectus hujus secundæ considerationis 160
Consideratio tertia. De animæ vastatione fieri solita per peccatum 162
Affectus circa hanc tertiam considerationē 164
Consideratio quarta. De terribilibus peccatorum suppliciis 167
Affectus circa quartam istā considerationē 170
Monitiuncula pro secunda formula 173

Caput XVIII.

Formula tertia, in qua affectus miscentur considerationibus, quæ est meditatio affectiva ibid.
Punctum 1. Horror peccati ibid.
Punctū 2. Injuria Deo per peccatū illata 176
Punctum 3. Depopulationes animæ per peccatum 180
Punctum 4 Supplicia peccati 183

Caput XIX.

De diversis dispositionibus, quæ magis ordinariè in exercitio orationis occurrunt 187
Tres differentes viæ, per quas animam Deus ad hoc exercitium conducit 192
Monita generalia de trib9 statib9 prædictis 194

Caput XX.

De distractionibus & modis eas repellendi 198
Undenam proveniant distractiones 199
Quomodo distractiones nos occupent ac decipiant 202
Quomodo distractiones sint rejiciendæ ibid.
Praxis 203
Distractionibus obviandi media 207
Defectus, quos in materia distractionum cavere debemus 209

Caput XXI.

De quibusdam aliis molestiis in ordinaria & com-

communi orationis via occurrentibus 211
De tentationibus 212
Quid faciendum sit, ubi quis persentiscit alicujus passionis commotiones 213
Quid faciendum ubi quis tædio afficitur aut tristitiâ ibid.
De infirmitatibus corporalibus, quæ nos quandoque orationis tempore invadunt 214
De dolore capitis 216
De somnolentia ibid.

Caput XXII.

De statu devotionis sensibilis 218
Quid sit devotio in genere ibid.
Quid sit gustus ac devotio sensibilis 219
Unde hi gustus devotionis sensibilis proveniant 220
Signa, ex quibus gustus sensibiles provenientes à Deo discernantur ab iis, qui causantur à Diabolo 223
Quomodo in gustu devotionis sensibilis nos habere debeamus 226
Magni momenti monita circa gustum devotionis sensibilis 227

Caput XXIII.

De statu ariditatis ac derelictionis 231
Causæ ac remedia ariditatis spiritualis 232
Quomodo in ariditate nos gerere debeamus 234
Monita pro statu ariditatis 239

Caput XXIV.

Quorundam circa orationem dubiorum resolutio 242
1. Dubia circa præparationem ibid.
2. Dubia circa meditationem 245
3. Dubia circa affectus 254

Caput

CAPITUM.

Caput XXV.

De oratione mixta 262

Caput XXVI.

Formula orationis mixtæ continens expositionem orationis Dominicæ *Pater noster* 264

Caput XXVII.

Alia mixtæ orationis formula continens expositionem salutationis angelicæ *Ave Maria* 274

Caput XXVIII.

De oratione aspirativa 281

Quid est aspiratio? ibid.

Quomodo in corde producitur atque efformatur aspiratio? 283

Qua ratione aspirationum exercitio assuescere atque illo uti debeamus 286

Fructus ex aspirationum exercitio promanantes 289

Caput XXIX.

Methodus in orationis aspirativæ exercitio servanda 291

Regulæ in aspirationum exercitio servandæ ibid.

Actus 295

Quinam in hoc aspirationum exercitio sint cavendi defectus 297

Caput XXX.

De præsentia Dei orationi aspirativæ necessariò conjuncta 301

Ingentes fructus qui nobis obveniunt ex eo, quod Deum semper habeamus præsentem 303

Plurimùm nobis in hocce præsentiæ Dei studium incumbendum est 306

Diversi modi practicandi exercitiũ præsentiæ Dei 309

Caput XXXI.

In quodnam præsentiæ Dei atque orationis aspirativæ genus potissimùm incumbere debent Novitii 313

Regulæ pro exercitio præsentiæ Dei atque aspirationum propriæ Incipientibus 318

Caput XXXII.

Exercitium aspirationum extractum ex Sacra Scriptura atque imprimis libro Psalmorum 324

1. Pro actionibus quotidianis 327

2. Ad impugnandas mali occasiones 333

3. Se-

3. Selectio succulentiorum versuum ex Psalmis sub diversis titulis, qui poterunt inservire pro interiore cum Deo conversatione 339

Caput XXXIII.

Quomodo mens in Deum per considerationem creaturarum sit elevanda 356
Exempla 358
Praxis istius exercitii in ipso Salvatore nostro 362
Methodus utendi hoc exercitio 364
Praxis istius exercitii 367

Caput XXXIV.

De repræsentatione Sacratissimæ humanitatis Salvatoris nostri Jesu Christi 372
De necessitate atque utilitate hujus exercitii 374
Regulæ hujus exercitii 376
Praxis istius exercitii 378

Caput XXXV.

Alius excellentissimus modus Deum semper habendi præsentem 381
Fidem hujus exercitii esse fundamentum ibid.
Quomodo in hoc exetcitio virtus spei exerceatur 386
Quanam ratione hoc in exercitio interveniat charitas 388

Caput XXXVI.

Monita circa orationem aspirativam 390
Monitum primum ibid.
Monitum secundum 391
Monitum tertium ibid.
Monitum quartum 392
Monitum quintum 393
Monitum sextum 395
Monitum septimum 398
Monitum octavum ibid.

Finis Indicis Capitum.

Censura.

Censura Ordinarii.

LIbellus, cui Titulus, *Methodus clara & facilis vacandi Orationi mentali, atque exercendi se cum fructu in præsentia Dei, &c.* cùm tam Religiosis, quàm aliis Deo servientibus viam patefaciat ad meditationes Deo integrè accommodandas, placet, ut in lucem edatur. Dabam Coloniæ, 3. Sept. An. 1686.

Christianus Nevvendahl Elsius
SS. Th. Doctor, Coll. Eccl. S. Andreæ Decanus, Gymnasii Montani Regens, & p.t. Universitatis Colonien sis Rector, Librorum Censor Ordinarius.

Approbatio Doctorum Theologiæ ejusdem almæ Vniversitatis Colonien sis.

NOs infrascripti legimus librum, cujus Titulus est, *Methodus clara & facilis vacandi Orationi mentali*, &c. in quo nihil invenimus fidei Orthodoxæ aut bonis moribus contrarium, verùm plurima ad solidam pietatem, Christianam ac religiosam perfectionem acquirendam utilissima; quare dignum censemus, ut pro multorum commodo & profectu typis mandetur ac divulgetur. Datum Coloniæ in Conventu S. P. Augustini, Anno Christi 1686. die 7. Mensis Septembris.

F. Joannes Schvveitzer, Ord. Erem. S. P. Augustini S. Theol. Doctor & Professor Ordinarius ac Publicus.

F. Reinerus Burscheidt, ejusdem Ordinis SS. Theol. Doctor & Professor Ordinarius.

F. Martinus Henning, ejusdem Ordinis SS. Theol. Doct. & Professor Ordinarius.

Approba-

Approbatio Theologorum Ordinis.

NOs infrascripti Ordinis Fratrum B. V. Mariæ de Monte Carmelo in Provincia Allemanniæ inferioris Theologi ex nostrorum commissione Superiorum diligenter evolvimus Libellum, cui Titulus: Methodus clara & facilis vacandi Orationi mentali, atque exercendi se cum fructu in præsentia Dei, *uti & alterum adjunctum de* Spiritu Actionum Religionis; *quos velutiin lingua Gallica aliàs sæpe à nobis haud absque fructu spirituali lectos, ita è Gallico in Latinum fideliter ac sincerè conversos ad complurium cujusvis conditionis hominum animas ad vitam spiritualem ac verè piam promovendas utilissimos, nihil verò, quod offendiculo cuipiam esse queat, continentes deprehendimus; atque, idcirco, qui magno communi bono atque emolumento typis evulgentur dignissimos censemus: In Carmelo Colonienſi, die 15. Sept. Anni 1686.*

Fr. Remigius à S. Nicolao SS. Theol. Doctor & Professor Ordinarius & Emeritus, dicti Carmeli Colon. Supprior.

Fr. Arnoldus à S. Leonardo SS. Theol. Lector Emeritus & Revevendi Adm. P. Provinciali Assistens.

PRÆFATIO.

Rationis exercitium unum est è potissimis, quibus in hac vita Religiosus uti queat, mediis à peccatorum sese vinculis expediendi, vitia debellandi, perversas eradicandi habitudines, passiones domandi, vincendi tentationes, difficultates omnes superandi, virtutes acquirendi, temporeq; omninò exiguo affectivam cordis sui cum Deo unionem, in quo vera perfectio sita est, consequendi. Oratio etenim hominem appropinquare facit omnium bonorum inexhaustæ scaturigini Deo, atq; ad recipiendas ab ipso abundantissimè particulares omninò gratias disponit, quippe quæ canalis sit pretiosissimus, cujus beneficio purissimas omnino, saluberrimasq; gratiarum aquas in nos Deus ipse derivat.

Nihil enim præstolari quotidie videtur aliud divina illa bonitas, nisi animarum dispositionem conventem, ad hoc, ut in illis, modo quodam sublimissimo, gratiarum & amoris sui effectus manifestet. Ubique cor inquirit tranquillum, omnibusque passionum turbinibus liberum, ut in illo thronum suum regalem figat; & quasi ardentissima illa charitatis flagrantissimæ fornax, flammas suas divinas continere non valens, scintillas undiq; effundit, & quasi evomit, ut hominum corda succendat. Verùm

quia plerique intellectum habent tenebris errorum obvolutum, & corda omnino ad malum indurata, harum splendorem intueri non valent scintillarum, neque istorum suavissimam activitatem ardorum experiri.

Copiosi fructus ex oratione promanantes.

*Verùm ea orationis sanctæ virtus est, ut ipsa omnia necessaria ad omninò subigendas passiones, ad corda suis omnibus impuritatibus emundanda, ad magnam in ipsa introducendam tranquillitatem, atque omnia gratiarum obstacula removenda submini*stret : *sicut enim, qui frigore ac gelu obriguerit, ubi in pleno meridie se Solis exposuerit radiis, mox dulces persentiscit effectus illius caloris vivifici, qui sua vi sensim illum calefacit, atque omni à membris illius ablato rigore pristinam in illo flexibilitatem inducit, suoque vigori restituit, ita qui orationis exercitio ritè assuetus humili cum confidentia radiis justitiæ Solis exponere se solitus fuerit, indubiè benignos illius influxus sentiet, atque illius experietur luminis & ardoris efficaciam, cujus virtute mox omnibus illius in intellectu tenebris dissipatis, illoque glaciali cordis soluto frigore potentiæ omnes ac facultates, quasi redanimatæ, fortitudinem & audaciam recipient incredibilem, quo bonum cœptum prosequi ac vitiorum insultus generosè semper queat repellere ac retundere. Quod si verò in sancto hoc exercitio perseveret, neque unquam ad Deum appropinquare desistat, bonitas illa infinita sacros illos influxus suos amplius semper amplius*q*3 cumulabit, qui magis* [illegible] *fortiusq, atq3 efficacius in animam ipsius* [illegible] *nis deducent, ut à mi-*

Similitudo.

minimis etiam ipsum erga quasque res affectionibus expediant, maximeque subtiles naturæ, propriique amoris affectus dissipent. Eadem etiam divina bonitas omnigenis illum locupletatum virtutibus, cœli gustare dulcedinem faciet, secretis suis recreabit communicationibus, atq; omnino in alium hominem commutatum in semetipsum perfectissimè transformabit. Atque ea causa est, cur in omnibus Religiosis Ordinibus, sed maxime in nostro, magnâ semper in existimatione ac veneratione fuerit hoc divinum orationis exercitium, quippe quod solidi fundamenti instar sit, supra quod praxes omnes suas stabilire amat, ac veluti forma omnia illius membra animans, omnes illius partes perfectissime uniens, totumque illius corpus vivificans. Hæc vita divina ut conservaretur, atq; amplius augeretur, Deus Dominus nostris olim antiquis Patribus inspiravit, ut mundo valefacientes in abditissimas eremos se reconderent, ut in altissimâ silentii profundissimi atq; interioris quietis recollectione subtilissimum omnem intellectus atq; ingenii sui impenderent, maximamque non solum dierum, verùm etiam noctium partem meditationi divinæ Legis & sapidæ magnitudinis illius contemplationi consecrarent. In qua adeo profunde se abdiderunt, adeoque delicioſe se demerserunt, ut in vita sua sancta, pura ac spirituali, pene, ut ita dicam, Deificati, mundo apparuerint, ut prodigia virtutis, omnibus terrenis rebus mortui, atq; vitam ipsius Dei persimillimam agentes, quæ causa fuit, cur divina Majestas ipsorum operâ infinita operatus

Quanti olim sanctè Patres nostri æstimârint Orationem.

tus sit, pro bono Ecclesiæ suæ, populorumque fidelium ædificatione miracula.

Ista est hæreditas, quam nobis continuâ successione dereliquerunt, quam nos omni studio oportet, diligentiâque excolere, utpote cœleste patrimonium locupletissimum simul ac fructuosissimum, è quo animæ nostræ haurire queamus abundantissimè nutrimentum. Hæc vera est possessio, verusque Carmeli spiritus, quem Fratres nostri sedulò inspiciant, serioque amplexentur, omnino necesse est. Hæc excellentissima praxis est planeque divina, quam super omnia ament, ad quam omnibus cogitationibus suis aspirent & contendant, quamque constantissimè exerceant oportet, neq; illam omittant unquam, aut ullo ab ipsa die se dispensent, quocumq; demum in statu agant, & quantamcumq; in sancto hocce exercitio difficultatem experiantur.

Quantì nos illam facere, ac quantopere colere debeamus.

Hoc exercitium ipsis erit in tentationibus asylum, in insultibus diabolicis fortalitium, in naturæ tempestatibus portus, & in hac vita animarum suarum paradisus. Dolebunt igitur ac tristabuntur, si modicum ibi temporis impendere illis liceat, ac si obedientia aut charitas per diem ad exteriores occupationes avocet, orationis exercitio partem aliquam noctis, potissimum post horas matutinas in choro persolutas, consecrabunt secundum exemplum Salvatoris nostri, qui cum dies exegisset prædicando ac populum erudiendo, noctes orationi in montium abditorum solitudine impendebat. Et falsa illa esset devotio, ac potius magna illusio, si quis sub prætextu extraordinariæ orationis faciendæ,

cha-

cheritatis ab operibus se eximeret, ita enim unũ oportet facere, ut aliud non omittatur. Hoc est quod ajebat Psalmista : In die mandavit Dominus misericordiam suam, & nocte canticum ejus, *quasi diceret : mandavit Deus in die exercere opera charitatis, quæ divinæ suæ misericordiæ sunt imitationes, & nocte mandavit cantare canticum ejus, non ore dumtaxat, sed maxime corde & mente. Ut igitur facilius illis reddatur hoc divinum exercitium, quod initio videtur asperum ac difficile illis, qui carent industria atq; instructionibus necessariis ad Deo unicè vacandum, cumque illo conversandum, hanc illis methodum sic digestam offerimus, quæ compendio theoriam simul & praxin complectitur, id est, præcepta & formulas meditandi atq; eliciendi affectus atq; aspirationes, unà cum aliquibus monitis diversos eorum, qui orationis exercitio sese dedunt, status concernentibus. Hanc itaq; doctrinam cœlestem magnâ cum aviditate recipient, majoremq; dabunt operam illi perdiscendæ, quàm universis mundi libris comprehendendis, quia illa una comprehensa & possessa cum sufficiat, absq; illâ inutilia nobis forent reliqua omninò omnia. Qua de re idcirco duo illis monita suggeremus. Primum, ut exactissime sequantur regulas & præcepta illis hic præscripta ; secundum ne ullos alios hac de re Authores revolvant. Exactissime inquam sequentur præcepta hîc illis præscripta (minimum primis Novitiatus sui mensibus) quia viator iter ignotum ingressurus nequaquam pro suo incedat oportet libitu, suas dummtaxat secutus conjecturas, nisi à via aberrare cupiat ;*

Ps. 41. 9.

Finis hujus tractatus.

Quare ad minus ad tempus oporteat sequi præcepta.

Verùm illi inquirenda est, atque ea, quam edoctus fuerit semita prosequenda, & discipulus ille nunquam proficiet, aut in doctum virum evadet, qui præceptis Magistri sui morem gerere recusârit. Posteaquam nihilominus Fratres nostri aliquanto jam tempore exactissimè & ad amussim secuti fuerint hanc orandi methodum, fieri poterit, ut illam orandi facilitatem acquirant, ut absque ulla deinceps difficultate, atque etiam absque ulla ad regulas hasce reflexione orationi queant insistere, sicut ii qui aliquo jam tempore in loquendo Latinè, juxta rectæ locutionis præcepta, se exercuerint, absque ulla deinceps ad illa præcepta reflexione dere quavis facillimè discurrunt.

Liber iste pro methodo ordinaria sufficiet.

Neque etiam mentem suam distrahent aliorum hac de re librorum lectione, tum quia in hac methodo instructiones omninò omnes ad orationis praxin necessarias invenient, tum etiam quia ipsa praxis est ac methodus, quæ fuit edocta, atque etiam in observantia nostra ab illius exordio usque huc observata semper ac practicata.

CAPUT I.

De Oratione generatim & illius diversis speciebus.

NOmen *Orationis* communiter in tribus accipitur significationibus. Prima acceptio strictissima est pro sola *petitione* alicujus gratiæ. Secunda largior est pro *omni mentis in Deum elevatione.* Tertia largissima est pro omni *conversatione* & collocutione cum Deo. De istis tribus acceptionibus nominis hujus *oratio* paucis hic aliqua differemus, ubi & ex occasione monita quædam & documenta omninò necessaria trademus.

Prima acceptio nominis oratio.

PRimo igitur *precari* sive *orare* in strictissima acceptione est ad Deum pro obtinenda gratia aliqua aut assistentia confugere. Et quoniam infinitis necessitatibus premimur, continuò ad Deum confugiamus, atque illius in omnibus auxilium imploremus necesse est. Et vero magnus honor est ille concessus homini, quod liberum in omnibus habeat accessum ad Deum infinitæ Majestatis: atque in hoc excessum bonitatis suæ erga nos divina illa Majestas declarat, quod ipse, qui infinitè magnus est, preces nostras audire & exaudire non dedignetur. Certum insuper est, neminem unquam ad Deum confugisse, quin fuerit hâc vel illâ ratione exauditus, quia infallibilis est

Precatio est alicujus à Deo postulatio.

Necessitas confugiendi ad Deũ.

Bonitas Dei ergæ nos, quod orationes nostras velit audire.

illa Salvatoris nostri sententia : *Omnis qui petit, accipit.* Quod si igitur ita parum proficimus, atque in tanta vivimus gratiarum divinarum inopia, id alteri, nisi nobismetipsis, imputare nemini nos oportet, quia ad ipsum non confugimus, sive quia necessitates nostras non cognoscimus, sive quia si cognoscimus, occultam habemus in nobismetipsis, & in propriis industriis nostris confidentiam, quæ credere ac sperare nos jubet fore, ut ex nobismetipsis illis medeamur.

Insignis praxis recurrendi ad Deum in quavis occasione, priusquã aliam ullã cogitationem admittamus.

Hoc monitum magnæ est considerationis, quod proinde à Fratribus nostris sedulò adnotari debet, ut assuescant sanctæ illi consuetudini in omni occasione, ante omnia opera sua, confugiendi ad Deum, quippe qui nostris omnibus malis possit mederi perfectius, quam nosmetipsi nobis queamus imaginari. Si illis injungitur aliqua mortificatio, si verbis asperioribus increpantur, si difficilia aut illorum affectioni minus conformia illis præcipiuntur, denique si quavis in re aliquam interiorem experiuntur contradictionem, ocyssimè cor suum elevabunt ad Deum, atque ab illo petent gratiam aut patienter sufferendi, aut generosè exequendi id, quod illis tunc aliquam causare videtur aversionem aut horrorem.

Duo defectus illorũ, qui in subitis occasionibus non recurrunt ad Deum.

Porro qui sanctæ huic praxi minus assuevernnt, duos magnæ considerationis committere solent defectus. Primum enim, quo de cogitant suis in afflictionibus & contradictionibus, est, quanam se possint ratione ab illis expedire, quod si nequeant, inquietantur, ac murmurare incipiunt, id quod Deo summopere displicere con-

consuevit, quem è contra si invocassent, ipsiusque imploràssent subsidium, absq; ullo omnino labore difficultates omnes superare, Deiq; gloriam promovere potuissent.

Ista vero intelligi omnino debent de iis prorsus omnibus, quæ quis adoriri queat, negotiis, in quibus utilius multo est, nos Deo recommendare, quàm in nostris confidere industriis, aut ullis inniti creaturis: atque in rebus omnino omnibus orandus nobis Deus est illiusque imploranda gratia, humillimèque nobis confitendum; ab illo nostra omnia dependere. Quo vero majoris extiterint momenti negotia, eò frequentior ferventiorque sit oratio necesse est. Deus etenim ita statuit, ut unicum ea omnia consequendi in tempore, quæ nobis ab æterno decrevit ille elargiri, medium sit oratio. Illa est, ex Patrum antiquorum sententia, catena aurea, quâ cœlestes attrahere nobis gratias valemus. Illa est, ex mente S. Augustini, clavis thesaurorum ipsius Dei, cujus unius beneficio, quantum quidem voluerimus, locupletari possumus. Illa tandem est generale omnium infirmitatum ac debilitatum remedium. En primam & strictiorem acceptionem nominis *orationis*, quæ, uti patet, in hoc sensu non accipitur nisi pro petitione.

Nihil unquam inchoandum est, quin Deo prius id commendaverimus.

Duæ aliæ nominis orationis acceptiones generaliores.

Secundo accipitur generalius, pro quacumque *mentis ad Deum elevatione*, sive ipsum adorando, sive ipsi gratias agendo, sive nostras actio. *Luc.* 18. 1.

Oportet semper orare & non deficere.

actiones offerendo, sive in ipsius nosmet voluntatem resignando, sive alium quemcunque interiorem affectum producendo. Et secundum istam definitionem ille, juxta Salvatoris nostri consilium & regulæ nostræ præscriptum, semper in oratione perseverat, qui continuam de Deo habet cogitationem, sive qui ex omnibus, quæ videt aut intelligit, occasionem sumit elevandi cor & mentem suam ad ipsum, omnia ad ipsum referens, itaque se in omnibus componens, ut cum S. Paulo dicere possit: *Nostra conversatio in cœlis est.*

Die ac nocte in Lege Domini meditantes & in orationibus vigilantes. Reg. 7.

Oratio in hoc sensu accepta continua est in aliquibus, quia illius faciendæ perfectum consecuti sunt habitum; in aliis est interrupta, qui, cùm non sint adhuc nisi tyrones, interruptis dumtaxat atque interpolatis vicibus cor suum ad Deum elevant, qua de re loquemur inferius. Verum omninò necesse est, ut Fratres nostri assuescant non solùm ad Deum in suis necessitatibus pro obtinendo illius subsidio confugere, sicut jam diximus, verùm etiam absque ulla omninò intermissione atque interruptione corda habere ad Deum elevata, quo ipsi actiones suas offerant, & ut in omnibus atque ex omnibus occasionem sumant omnia referendi ad majorem ipsius gloriam, illum adorando, atque in omnibus operibus suis admirando, illum in prosperis quibusque laudando ac benedicendo, sequemetipsos in adversis integrè in manus ipsius atque voluntatem resignando, atque, uno verbo, suam in omnibus illi mentem atque affectum unire contendendo.

Nostra autem conversatio in cœlis est, Phil. 3, 20.

Sancti

Sancti materiam esse scrupuli semper existimârunt, si mentis suæ attentionem à Deo vel minimum abstraxissent, quo fieret, ut etiam in iis, quæ maximè ex improviso evenire solent, etiam viri sapientissimi, maximeque spirituales, subitò ad illum advertere atque elevare mentem non valerent. Etenim de S. Martino legimus, quod ubi nocte quadam in illius cella improvisum fuisset natum incendium, ille evigilans, seque mediis in flammis constitutum videns primò statim cogitavit aperto ostio periculum effugere, neque mox in Deo mentem suam defixit, aut illius imploravit subsidium. Verum ubi se recollegisset, amarissimè hunc suum defectum plorare cœpit. E quo liquet, quomodo sanctæ animæ nunquam non contendant, ut in omnibus rebus primæ semper cogitationes suæ sint de Deo. *Exemplũ notabile.*

Tertio nomen *orationis* sumitur etiam paulò latius, non solum pro quacunque mentis nostræ ad Deum elevatione, sed etiam pro omni *collocutione* & *conversatione* creaturæ cum Deo suo. Verùm uti quinque modis cum Deo conversari possumus, etiam sunt *Tertia acceptio nominis orationis.*

Quinque diversæ species orationis.

PRimò colloquimur cum Deo ore, & hæc vocatur *oratio vocalis.* Secundò corde sine strepitu labiorum, & hæc vocatur *oratio mentalis.* Tertiò conjunctis simul voce & affectu cordis, aut alterum alteri permiscendo, & hæc dicitur *oratio mixta.* Quartò brevibus versibus, aspirationibus, cordisque inflammati *Præcedens acceptio non respicit nisi elevationem voluntatis in Deũ. Hæc verò respicit*

elevationē intellectus: ille enim dicitur esse in oratione, qui meditatur aut ratiocinatur circa aliquam veritatem spiritualē, ut inde profectum aliquem hauriat interiorē.

mati ad Deum elevationibus, & hæc vocatur *oratio jaculatoria.* Tandem simplici ac nuda spiritus nostri cum Deo occupatione, & hæc vocatur *oratio unitiva*, sive *contemplativa*; quæ omnia paulo nobis sunt enucleatius exponenda.

1. Quando nos applicamus orando Deo, recitando devotè orationem dominicam aut officium divinum, sive alta voce in publico, sive submisse in privato, vocatur *oratio vocalis*, quia ore ac voce illa efformatur oratio.

2. Quando loquimur absqe ullis verbis aut vocibus ore prolatis, sed solum interius mente & cogitatione conversando cum Deo, appellatur *oratio mentalis.*

3. Possumus aliquando etiam orationi vocali intermiscere devotas quasdam ac pias cogitationes sive considerationes, atque aliquando quibusdam versibus aut etiam verbis considerandis immorari, ut exinde lumen aliquod aliquemve pium devotionis affectum hauriamus. Et hæc est *oratio mixta* ex vocali & mentali.

4. Sæpe accidit, ut anima ardenti quadam affectione accensa, fortiterque, aut ex lectione pia, aut subito Dei motu, aut pia aliqua exhortatione, discursu & colloquio spirituali, aliaque consimili ratione, excitata corde aut etiam ore producat actus aliquos & affectus perbreves, verùm efficaces, quasi totidem jacula Deum versus actualiter directa, atque ista ad Deum elevandi sese methodus vocatur *oratio jaculatoria*, seu *aspirativa.*

5. Tandem quando anima interius extraordina-

dinatiâ se tactam advertit gratiâ, quæ illam in secretum cordis invitans & appellans cubiculum, ut audiat & recipiat à Deo secretas instructiones, dona & lumina cœlestia in altissima pace; & ut æternarum voluptatum suavitatem prægustet, hoc orandi genus vocatur *orare in spiritu*. seu *in unione spiritus cum Deo*, eo quod oratio ista perficiatur in profundo animæ, sine discursu aut ratiocinatione composita, sed simplici quasi quodam intuitu, qui illam afficit & suaviter in eo quod experitur ac possidet, intra semetipsam oblectat. De hoc extremo orationis genere hic non tractabimus, sicuti nec de oratione vocali, verùm istam materiam in alteram nostri Directorii partem, quæ propria Professorum est, rejicimus. In hoc igitur tractatu tantùm agemus de tribus aliis orationis speciebus, scilicet de mentali, mixta & aspirativa, quia istæ Novitiis absolutè necessariæ sunt ad perfectam acquirendam introversionem & interiorem cum Deo conversationem.

CAPUT II.

De oratione mentali.

Definitio.

Oratio mentalis, juxta ipsam nominis significationem, nihil aliud est, quàm interior discursus & quædam connexio sive coordinatio bonarũ cogitationum & sanctorũ affectuum circa materiam aliquam, è qua profectum suum spirituale anima haurire desiderat.

Est

Descriptio Est discursus spiritualis, in quo Deo magnâ cum fiducia aperimus plagas & afflictiones cordis nostri, nostras perversas inclinationes, & generalitet omnes necessitates atque infirmitates nostras, humillimeque supplicamus, ut ipse, pro sua infinita bonitate, compatiatur infirmitatibus nostris, nosque in amicitiam ita suam recipiat, ut ab illa nunquam amplius excidamus, juxta resolutionem, quam capimus, vitam emendandi, moresque nostros omninò reformandi. His ita præsuppositis ipsius hic excellentiam exponemus, absolutam quam ejus frequentandæ habemus necessitatem declarabimus, ac partes, ex quibus illa componitur, explicabimus.

De Excellentia orationis mentalis.

HOc sanctũ orationis mentalis exercitium in semetipso consideratum nobilissimum est eorum omnium, quæ in hoc mundo haberi possunt: illud enim *thesaurus est ille infinitus*, quo de agitur in sacris litteris, qui è
Sap. 7, 14. cœlo datus est *hominibus*, *quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei.* Conjunctio est, ut ait S. Joannes Climacus, hominis cum Deo, opus Angelorum, animæ vita, & interioris nostri hominis nutrimentum. Si verò innumeros expendamus, quos nobis adferre solet oratio ista, fructus, idem ait sanctus, illa est puritatis cordis nostri mater, illa est, è qua nascuntur contritionis lacrymæ, illa est, quæ nos Creatori nostro reconciliat, nobisque peccatorum nostrorum abolitionem obtinet, illa est inexpugnabile scutum contra tentationes,

nes, virtutum scaturigo, dispensatrix gratiarum, intellectus illuminatio, fomes divinæ flammæ in voluntate, profectus nostri spiritualis speculum, veræ ac supernaturalis sapientiæ mater, verbo, unicus Religiosi hominis thesaurus. Ut proinde hanc ipsi Scripturæ sacræ adaptare non immeritò possimus sententiam: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Sap. 7. 11. Omnia enim spiritualia bona orationis beneficio eveniunt. In oratione S. Theresia, cui Deus copiosissimè atque abundantissimè inspiraverat verum ac genuinum sacri nostri Carmelitici Ordinis spiritum, tantam animadvertit spiritualium bonorum abundantiam, adeoque admirabilem gustavit dulcedinem ac suavitatem, ut ordinariè diceret, non curare se ubi aut quo in statu esset, modo posset orationi vacare, & quod, eandem ob causam, ne quidem ipsum purgatorium pertimesceret. Non existimabat S. Propheta Daniel tantum esse malum privari vitâ, quantum privari oratione: etenim cum à tyranno illi sub pœna mortis interdictum esset orationis exercitium, ille attamen non omisit ter in die facere orationem, nullâ habitâ periculi, cui se exponebat, ratione. Oratio panis erat quotidianus antiquis illis Patribus nostris in eremo, & sanctæ illæ deliciæ, quas ex illa pro animabus suis hauriebant supereffluentes, atque adeo in ipsa etiam corpora eorum redundantes, ut eos frequentissimè ab ipsa naturali comedendi ac dormiendi necessitate eximerent. Sic Beata illa pœnitens Maria Ægyptiaca ab Abbate Zozimo, quanam tandem ratione

Tribus temporibus per diem orat obsecratione sua. *Daniel. 6.* 13.

tione tot annos in deserto absque omni omnino cibo transigere potuisset, rogata: *Esca*, respondit, *nutrior inconsummabili, recordans, de qualibus malis liberavit me Dominus, & satietatis possideo epulas spem salutis meæ.*

Insuper sicut Deus nos destinat atque ad vitam ordinat æternam ac beatam, in qua æternũ ipsi contemplando vacabimus & amando, ita præsentis vitæ nobis usum non concedit, nisi ut in illo & cum illo, quantum quidem hic in terris possibile nobis fuerit, occupemur, cùm non simus in hoc mundo, ut vitam degamus corporalem, sed spiritualem. Oratio vero est animæ nostræ vita ac spiritus nutrimentum. Quæ causa est, ut audacter dicamus, quod si Deus in creatione nobis animam concessit rationalem, ideò factum est, ut illam cum omnibus potentiis ac facultatibus suis continuò, &, quantum quidem fieri potest, incessanter cognoscendo ipsi & amando impendamus. *Creatus est homo*, inquit S. Augustin. *ut Deum cognosceret, cognoscendo amaret, & amando quiesceret in eo perfecte*: hac autem ratione se gerere, omninò in veritate orare est. E quo veritatem istam fundamentalem elicimus, videlicet non esse nos à Deo creatos. atque in hoc mundo constitutos, nisi ut oremus, cum eo solum fine simus conditi, ut in illo & circa illum occupemus intellectum, omnemque affectionem nostram.

Vt oremus Deus nobis animam concessit rationalem, ac potentias spirituales.

Hic etiam finis fuit, quem Deus intendit in vocatione nostra ad Religionem, in qua media nobis orandi suppetunt, quæ in sæculo quasi

quasi sunt impossibilia. Certo etenim certius est, omnia exercitia, pœnitentias omnes, psalmodiam, imò & ipsa vota Religiosa aliò non spectare, nisi nos ad bene orandum ut disponant, sive omnia, quæ ab hoc impedire nos possunt exercitio, rescindendo, sive illa, quæ ad ipsum conducunt, procurando.

Finis orationis nostræ esse esse in statu orationis bene faciendæ.

In puncto igitur ille primario ac principali deficeret, qui alia exercitia omnia cùm practicaret, orationem, ad quam illa ordinantur, omitteret. Quæ causa fuit, cur in Evangelio Salvator noster nunquam dixerit, esse semper jejunandum, aut laborandum, aut operibus pœnitentiæ insistendum, verùm dumtaxat inquit esse semper orandum: *oportet*, ait, *semper orare & non deficere*, quia non alio omninò fine degimus non solùm in Religione, sed etiam in hoc mundo, nisi ut semper oremus. *Luc.* 18. 1.

Eapropter Abbas Agathon dicere solebat (uti in vitis Patrum refertur) hominem comparari posse arbori, cujus fructus sint exercitia interiora, exteriora vero folia. Sicut ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, inutilis est, & excindetur, & in ignem mittetur, ita Religiosus, nisi fuerit orationis studiosus, coram Deo quasi arbor est inutilis. Attamen sicut arbor etiam opus habet exteriori foliorum ornatu, ita, inquiebat laudatus sanctus, & nos exterioribus nonnullis exercitiis indigemus. Verùm uti arboris finis potissimus non est progignere folia, sed producere fructus, ita nequaquam in Religione degimus, ut exterioribus, sed ut interioribus exercitiis insistamus.

De cætero coram Deo nihil est oratione prerioſius, quia cætera, quæ Deo tribuere poſſumus, univerſaextra nos ſunt & aliena, verùm ubi cogitationes atque affectiones noſtras, orando, in ipſo & circa ipſum occupamus, illi cor noſtrum, quod plusquam alia omnia ipſe deſiderat, omniaque interiora noſtra conſecramus ac devovemus, ut proinde alia omnia exercitia præter orationem coram Deo exigui omnino ſint pretii ac valoris, oratio vero valoris ſit incomparabilis, ac prorſus inæſtimabilis. Id quod ſignificatur nobis iſtis Regii Prophetæ verbis: *Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Jacob.* Ubi per Sionem intelligit orationem & contemplationem; quaſi diceret: à Deo pluris æſtimari primas portas ac primum quaſi ad interiora exercitia ingreſſum, quam omnes etiam excellentiſſimas actiones exteriores, quæ ab iſto orationis ſpiritu nõ proficiſcuntur. Et magis honoratur Deus ab uno homine orationi addicto, quam à centum aliis illius negligentibus, eſto aliunde non ſint otioſi.

Quam grata Deo ſit oratio.

Pſ. 86. 2.

Dominus in Sion magnus & excelſus ſuper omnes populos. Pſ. 98. 2.

Annon iſta omnia meritò Fratres noſtros excitare atque animare deberent ad magnifaciendum orationis exercitium, illique tempus omne ſuum, quantum quidem poterunt, impendendum. Deo etenim iſta ratione approximando illuminabuntur, in ſpiritu cum ipſo converſando ſpirituales evadent, ac tandem continuo cum ipſo agendo planè divini efficientur. Sicut enim cum ſapientibus frequenter converſando ſapientes reddimur, ita frequenter in ſpiritu cum Deo tractando ſpiri-

Accedite ad eum & illuminamini. Pſ. 33. 6.

Orationis beneficio ſpirituales, imò divini efficimur.

tuales

tuales ac divini efficimur. Similiter uti ferrum igni injectum, naturalibus suis qualitatibus & affectionibus amissis. ignis proprietates assumit, ita Religiosus, qui sæpius mentem suam divinis rebus occupârit, paulatim affectiones, infirmitates & inclinationes naturæ corruptæ amittens, affectiones & qualitates omnino divinas recipiet.

Et verò si quis comparationem instituere voluerit duos inter Religiosos, quorum alter est orationis studiosus, alter illam negligit, aut non nisi frigidè aut tepidè & quasi cum nausea & fastidio perficit, tantam inter illos animadvertet differentiam, quanta est inter stellam & mortuum carbonem. Alter animam habebit nitidam instar chrystalli, alterius vero anima similis erit obscuro vitro atque immunditiæ pleno; Uno verbo, alterius cogitationes & affectiones plenæ erunt rationis ac prudentiæ, cum alterius animus non feratur nisi in levitates ac præcipitationes, atque ordinariè implicatus sit quampluribus vanis atque inutilibus desideriis & affectionibus.

De necessitate absoluta, quæ nobis incumbit, faciendi orationem mentalem.

PLurima plurimi dant pro acquirenda perfectione præcepta: sed revera unicum illud, quo de agimus, absolutè est necessarium. Quisquis etenim orationi, prout par est, studuerit, ille citò perfectionem consequetur, id quod ex illo evincitur antiqui illius anachoretæ effato: *assidua oratio citò corrigit mentem.* Sicut enim omnes hominũ defectus & miseriæ *Omnis hominum infelicitas*

nascitur ex inconsideratione.

non oriuntur nisi ex *inconsideratione*, ita è contrario omnis illorum perfectio & felicitas nascitur ex matura rerum omnium consideratione.

Et omnis felicitas ex consideratione.

Etenim quis amabo vel minimam adversus Deum admittere auderet offensam, si consideraret se ab illo ubique & omnibus in locis videri, & si nonnihil reflecteret supra respectum, exactamque illam, quam summæ illi debet Majestati obedientiam? Quis igitur à fortiori graviora admittere non reformidaret peccata, si attentè consideraret justitiam Dei rigorosissimam, acerrimasque illas, quas præparavit peccatoribus, pœnas? En igitur ut omnia mundi mala non oriantur nisi ex defectu considerationis, id quod apertè testatur Jeremias, ubi ait: *Desolatione desolata est omnis terra, quia non est qui recogitet corde.* Orationis autem unius beneficio considerationi vacamus, adeoque una est *oratio*, quæ nostris omnibus malis potest mederi.

Jer. 12, 11.

Ex alia similiter parte vix erit invenire Religiosum, qui non animetur ad quæque asperrima ac difficillima in via Domini perferenda, si mentem intenderit in cœlestem illam gloriam, quæ ipsi præparatur, attenteque considerârit, quanta Christus Jesus pro ipso pertulerit, & potissimum si animadverterit, promereri Deum, ut infinities plura perferat pro ipsius honore, suorumque peccatorum expiatione. Si quæ fuerit virtus exercenda, ubi fuerit quasi intra semetipsum introgressus, considerationique seriæ totum sese impenderit, illam debitè exercendi rationes, motiva ac media perspiciet, atque ita *oratio*, cujus beneficio

cio vacamus consideratione, unicè est & absolutè necessaria. Quæ causa fuit, cur dixerit S. Augustinus : *Recte novit vivere, qui recte novit orare.* Et si quis vellet contradicere, contemnere aut irridere sanctum istud exercitium, næ ille contradiceret felicitati suæ, efficaciſſimumque respueret medium, quod illi Deus pro animæ suæ sanctificatione concessit.

Quorundam opinio est, omnes hominum miserias, omniaque peccata procedere ex defectu fidei ; multò enim aliam vitam instituerent, si vere corde crederent, quod ore confitentur, verissimum quidem id est in uno sensu ; verùm si rem ipsam suo in fundamento inspiciamus, verosimilius est, istorum omnium malorum scaturiginem esse defectum meditationis & considerationis. Plerique etenim reverà sunt fide instructissimi, vereque ac syncerè credunt omnes illas, quas ipsa nobis proponit, veritates, verùm fides illa languens est ac semimortua, eo quod meditatione; atque illius veritatum consideratione non animetur ac vivificetur. Ex quo fit, ut non operetur, peneque sit omninò inutilis illi; qui ipsa fuerit instructus.

Oratio vivificat fidem atq; ad opus animat.

Vera igitur differentia inter eos, qui sanctè vivunt, & illos qui ab immortificatione sua & imperfectione occupari se sinunt & abripi, consistit in eo, quod illi ritè vacant orationi, non verò isti. Hi non conantur veritates, quas credunt, sibimetipsis detegere & illarum gustum animæ suæ imprimere, seque ita ad virtutem animare, cum alii econtra quotidie

Vera origo differentiæ inter Religiosos bonos ac malos.

novas magisque sapidas erga Deum affectiones acquirant.

Verùm res est admiratione digna videre hoc adeò excellens, adeoque necessarium orationis exercitium à multis ita parum amari, atque adeo exigua cum fidelitate practicari. Imò non paucos reperire est, qui in illo permagnas sentiunt repugnantias, uti olim ante conversionem suam totalem accidit S. Theresiæ. De seipsa enim in vita sua confitetur, se ita tunc fuisse dispositam, ut maluisset omnis generis subire mortificationes, quàm vel unam in oratione horam transigere. Cumque illi vacare cogeretur, sæpius ipsi in mentem veniebat animadvertere ad horologium, quando sonaret, ut inde egrederetur, quàm bonæ atque utili cuipiam considerationi se applicaret.

In vita sua c. 8.

Non habet amaritudinem conversatio illius. Sap. 8. 16.

Verùm unde existimamus nasci difficultates istas ac repugnantias, quandoquidem conversatio cum Deo ne minimum habeat amaritudinis, ut inquit Sapiens? Nascuntur illæ primò ex defectu fervoris ac devotionis, sine qua omnia exercitia interiora arida sunt & insipida. Secundò ex multitudine differentium cogitationum, quæ aliquam quasi inducunt distractionum nubem, quæque tantos in anima excitant tumultus, ut ipsos illa sedare non possit. Tertiò ex insidiis Diaboli, qui non ignorans orationem esse devotionis omnisque omnino perfectionis scaturiginem, omnem movet lapidem, ut illam impediat, ut hac ratione, omnium virtutum exciccato fonte ac scaturigine, animæ nostræ deveniant aridæ, nec

nec ullam habeant illorum persuasionibus resistendi virtutem. Quæ causa fuit, cur dicere soleret Abbas Agathon nullum esse laborem orationis exercitio similem, eo quod dæmones non ignari sese debiles omnino esse adversus eos, qui illi sese dedunt, adeo illos fortiter impugnant, ut omnino mirum sit, si illam non derelinquant. Has igitur superandi difficultates methodum deinceps exponemus. *In vitis Patrum.*

De partibus orationis mentalis.

ANtequam caput istud concludamus, orationis mentalis partes exponamus. Tribus igitur illa partibus principalibus constat, sciiicet *præparatione.*, *meditatione* & *affectione*, quæ respondent tribus animæ nostræ potentiis, quas orationi impendimus; *Præparatio* etenim spectat ad memoriam, *meditatio* ad intellectum, & *affectio* ad voluntatem. Tria autem hoc in exercitio facimus. Primò materiam congerimus, illamque intellectui, utpote objectum, circa quod discurrendo occupari nos oportet, repræsentamus. Secundò illam consideramus, ruminamus ac digerimus, demum nos resolvimus opere ipso exequi illa omnia, quæ nobis facienda visa sunt. Atque ita memoria repræsentat, intellectus meditatur, atque illuminatur, & voluntas denique sanctis affectibus, bonisque virtutum practicandarum desideriis ac resolutionibus adimpletur. *Partes orationis mentalis tribus animæ potentiis respondent.*

CAPUT III.

De præparatione ad orationem.

SOllicitè ac diligenter ante orationem sacrâ monente Scripturâ, præparare nos debemus, ac disponere, ne potius indignationem adversus nos divinam provocemus. *Ante orationem præpara animam tuam, & ne sis sicut homo, qui tentat Deum*; existimando videlicet fore, ut Deus in tui gratiam faciat miracula, cùm ex parte tua deficias: id quod evenirent, si quis speraret aliquam se recepturum à Deo devotionem in oratione, ad quam ille nullo modo se præpararet.

Eccli. 18. 23.

Et vero nonne Sapiens quivis Regem, aut alium quendam magnæ authoritatis Principem allocuturus, de quibusvis se concernentibus negotiis, omnino præmeditatur materiam, qua de Regi est locuturus, qualiterque se disponat, ut in omnibus eam servet gravitatem, eâque cuncta peragat reverentiâ, quæ illius, quicum est locuturus, debetur majestati, præcogitat? Multo igitur amplius ubi quis Deo in oratione cogitat loqui, cumque illo tractare de negotiis animæ suæ salutem, sumumque profectum spiritualem concernentibus, omnino sollicitè præmeditari debet, quîcum sit locuturus, quamque sit præ se laturus & corporis & animæ compositionem, ne fortè ignominiosè repellatur, sed potius ut favorabilem obtineat petitionis suæ effectum. Scopus autem universæ istius præparationis, quam nos orationi oportet præmittere, consistit

sistit in phantasiæ nostræ retentione ; cordis pace & cogitationum tranquillitate ; ut ita liberè potentias & facultates nostras applicare valeamus materiæ , quam nostræ meditationi præfiximus, considerandæ. Quem scopum ut consequamur duplicis generis præparationes nobis præscribunt Magistri vitæ spiritualis, quarum alteram *remotam* , *proximam* alteram appellant. Prima removet impedimenta , secunda vero necessarias apportat dispositiones.

De Præparatione remotæ.

PRæparatio remota ita dicitur , eo quod nos remote ac veluti à longe disponat ad illam animi tranquillitatem , atque interiorem pacem , adeo nobis ad orationis exercitium necessariam. Illa in eo sita est , primo , ut nosmetipsos custodiamus à defectibus ac peccatis , quæ Dei nos conspectu efficere possent indignos , deinde ut interius simus semper recollecti præcaventes , ne sensus plus nimio evagentur , omnes cogitationes nostras observantes , & cor nostrum ab omnibus passionum perturbationibus liberum servantes. Quia omnium illorum , qui sacro huic vacant exercitio , experientiâ comprobatum est , tales nos esse in oratione , quales extra illam esse solemus : adeò ut ille qui extra illam solet esse devotus , recollectus, sensuum mortificationi addictus, modestus, & in sua conversatione sedatus , in ipso orationis exercitio ordinariè magnâ fruatur pace ac tranquillitate ; cum illi econtra , qui fuerint indevoti, ineptiis dediti , atque in exteriora effusi , curiosi,

In quo generatim præparatio remota consistat.

rioſi, leves, & in moribus, & actionibus ſuis diſſoluti, durante oratione ferme ſemper infinitarum propemodum impertinentium cogitationum turbine agitari ſoleant; quo fieri conſuevit, ut nihil boni præſtare poſſint.

Si igitur Fratres noſtri hoc ſibi omninò perſuaſum habuerint, ſe non eſſe *Religioſos*, ac potiſſimum *Carmelitas*, niſi ut orationis exercitio vacent, omniaque Religionis exercitia in hoc unum collimare, ita ſibi continuò advigilabunt, ut nunquam coram Deo comparere haud ſint parati. Hæc ipſis conſideratio incitamentum erit efficaciſſimum, quo ad ſenſus ſuos mortificandos, omnemque cavendam atque evitandam à propoſito aberrationem impellantur, uti fuit Patri Hyacintho à S. Laurentio digniſſimo obſervantiæ noſtræ Profeſſori. Hic etenim recenter profeſſus, cùm Patrem quendam ad exequias cujusdam ſancti-monialis, cui Pater ille morienti adſtiterat, ſuiſſet comitatus atque ad conventum reverſus à quodam, num ſanctimonialem illam tumbæ mortuariæ incluſam vidiſſet, rogaretur, nequaquam, reſpondit, alioquin enim poſtea mihi in orationem incumbenti defuncta ob oculos ſancti-monialis verſaretur.

Hic devotus Pater fuit ad ſacrum ordinem noſtrum ſingulari beneficio B. V. appellatus, in quo anno profeſſionis ſuæ nono cum odore ſanctitatis mortuus fuit Andegavi A. 1636.

Orationi valde erat addictus nec minus tamen inſigniter laborioſus.

Præparatio iſta remota peculiarius conſiderata conſiſtit primò in eo, ut quis averſionem quam maximam habeat non ſolùm ab omnibus peccatis, verum & ab omnibus etiam minimis defectibus, quippe qui liberum ad Deum nobis acceſſum præpediant.

In quo ſpecialius conſiſtat

Secundò in eo, ut quis exactius ſervet atque incolat ſolitudinem, fugiatque occupationes omni-

omnino omnes inutiles & supervacaneas, putà illas, quas neque obedientia, neque charitas injungit, illæ etenim sine dubio mentem nostram animumque speciebus ac figuris distrahentibus repletent. Quantum ad illas, quas evitare non possumus, eâ ipsas ratione peragamus oportet, ut semper meminerimus cor nostrum ad Deo se applicandum tenere paratum. *hæc præparatio remota.*

Tertiò consistit in eo, ut cor omnino habeamus ab omni quarumcumq; rerum affectu alienum, alioquin enim multæ cogitationes & curæ inutiles nos conturbabunt, atque in nobisipsis inimici salutis nostræ invenient, unde nos impugnare validissimè possint.

Quartò consistit in vanis recreationibus, temporis amissione, sermonibus otiosis, sensuum evagatione, inutilibus, stultis, & impertinentibus cogitationibus, quæ mentem nostram non ratò occupant, lætitia vana & vana tristitia, indignatione & cordis amaritudine, omnibusq; omnino, quę nos vel minimum dissipare, aut animum nostrum conturbare possunt, resecandis ac penitus rescindendis.

De præparatione propinqua.

PRæparatio proxima duo in se comprehendit. Illa enim consistit primo *in lectione materiæ*, circa quam quis meditari cogitet, id quod pertinet *ad intellectum*. Secundo in certo quodam desiderio ac *fame spirituali* hujus Angelici exercitii, id quod spectat ad *voluntatem*.

Quoad *lectionem*, Fratres nostri sequentes regulas observabunt. Primo lectio sit mediocris, neque longa nimis, nec nimis brevis, verùm. *Melius est lectionem desumere ex uno solo libro.*

quam ex pluribus, quia multitudo librorum meditationis multiplicat nimiũ ac distrahit intellectum.

verùm ad materiam intellectui suggerendam sufficiens.

Secundo fiat cum attentione & judicio, non cum præcipitatione, verùm & illam bis terve, si opus fuerit, repetant, ut melius lectam comprehendant.

Tertio illa puncta atque illas considerationes seligent, quæ amplius illis placuerint, & ex quibus ampliorem sperant profectum, utpote quæ sint magis ad hoc, ut dilatentur in meditatione, & bona in affectione desideria excitent, idoneæ. Ubi singulariter notandum est, nimiâ considerationum copiâ memoriam obrui, atque intellectum confundi, maxime si nullum inter se habeant ordinem, sequelam aut connexionem. Nimia vero econtra illarum inopia scaturigo esse videtur certissima otiositatis, amissionis temporis, & ariditatis, quæ causa erit, ut intellectus tædio victus extra fines egressus evagetur, quærens quibus occupetur.

Quarto si inter legendum nihil, quod placeat aut è quo fructus aliquis speretur, occurrat, nihilominus duo aut tria puncta seligent, sperantes fore ut Deus materiam illam, quantum quidem apparet, sterilem fecundet, & sicut olim ex petra aquas eduxit, ita fortassis devotionis aquas in cordibus illorum nasci faciat. Quod si tamen id sæpius eveniret, atque ita orationis tempus sine fructu laberetur, magistrum suum monebunt, qui, si ita oportunum indicaverit, librum illis meditationum cum alio commutabit.

Quin-

Quinto cavebunt exactè inter legendum nimiam indulgere libertatem intellectui, qui fortassis ob vivacitatem suam statim circa ea quæ legerint, discursus efformare voluerit; eo quod hac ratione in ipso orationis exercitio fastidio affici facillimè possent, ubi nihil illis novi occurreret. Præterquam quod istud sit animi nimium curiosi ac præcipitis signum, atque ita gratiæ Spiritus sancti obex facillime poni posset.

Sexto: Exactè sequentur ordinem meditationum Authoris, neque hinc inde evagabuntur, modo ex initio, modo ex fine libri meditationis suæ materiam desumentes, exceptis festis principalioribus, in quibus bonum erit circa mysteria, quæ illa nobis repræsentant, meditanda occupari.

Septimo: Etsi bonum omnino sit materiæ & stylo authoris penitus insistere, maximè pro iis, qui hoc sacrum orationis exercitium non ita pridem excoluerunt, ut ita majorem se extendendi ac dilatandi facilitatem acquirant; illud attamen absolutè necessarium non est, imo non raro multo magis expedit uti facilitate naturali & ingenii nostri industriâ, eo quod ea, quæ à nobis ipsis proveniunt, plus habere soleant energiæ, majoresque in animis nostris fructus pariant iis, quæ ab aliis procedunt. Quod si inter legendum Fratres nostri in aliquam sententiam inciderint, quæ ipsis considerationis alicujus bonæ materiam suppeditet; illam diligentet annotare poterunt, ut inde unam è meditationis considerationibus faciant & experientiâ discent, animabus

mabus inde suis plus emolumenti ac satisfactionis accedere.

Octavo demum, ubi hac ratione materiam, ac puncta meditationis determinaverint, sibi ob oculos proponent fructum, sive generalem, sive particularem, quem ex illorum consideratione potissimùm possunt aut debent aut volunt elicere, unus è generalibus erit, exempli gratia, dolor de peccatis, illa per pœnitentiam expiandi propositum, & similia. Particularis erit praxis alicujus actus certæ virtutis, aut actus mortificationis, aut fuga alicujus pravæ occasionis & similia. Nihilominus illi fructui ita firmiter non insistent aut adhærebunt, quin multo amplius ductui Spiritus sancti se resignent, qui illis fortassis inspirabit alios, quibus pro tunc amplius indigebunt.

Præparatio ex parte voluntatis.

Jam vero ad *dispositionem voluntatis* quod attinet, ante omnia necessarium est, ut magnum in oratione proficiendi desiderium concipiant, quod si in seipsis non persentiscant, ipsum pia aliqua consideratione excitent oportet,

Eundum est ad orationem cum magno desiderio proficiendi.

properando, exempli gratia, ad hoc sanctum exercitium haud secus atque avarus ad amplum, quo apprimè ditari possit, thesaurum, aut viator sitibundus ad pellucidum quendam fontem, quo sitim relevare queat, aut sicut famelicus ad opiparum, quo famem levare possit, convivium, aut denique veluti infirmus sanitatis suæ percupidus ad medicinam accelerare consueverunt. Oratio enim bona spiritualia enumeratis omnibus multo ampliora continet ac pretiosiora.

Verùm

Verùm, an non hoc unicum ad ardens orationis desiderium in nobis concitandum incitamentum sufficiat, considerare videlicet, quantum bonum sit loqui ipsi Deo ? Quod si gratia ista nobis non nisi semel quorannis indulgeretur ; O quanto cum desiderio tempus illud fortunatissimum expectaremus ? Quod si igitur Deus erga nos est adeo benignus, misericors, ac liberalis, ut omni nobis hora, omni momento atque omni loco liberum ad se concedat accessum, nunquid hæc illius facilitas, indulgentia, ac bonitas nos tepidos, negligentes ac languidos, & non potius devotos ac ferventes reddat oportet ? Secundo oportet ad orationem confugere, sive accedere forti cum proposito illam nequaquam dimittendi, quantumcumque in illa difficultatis reperiamus ac laboris : Verùm potius in illa constanter ad finem usque persistendi. Et licet quandoque accideret, ut aliud facere omnino nihil possemus, quàm quod oculis in crucifixum subinde conjectis interius diceremus : *Pro tui amore ô Domine Jesu hic existo*, vel ex hoc ipso fructum non modicum reportaremus.

Fortiter oportet proponere ab oratione non desistere, quantamcumque quis experiatur difficultatem.

CAPUT IV.

De ingressu orationis.

SUpponendum est primo cum omnibus spiritualis vitæ magistris id quod confirmat experientia, tempus videlicet, locum & corporis situm multum conducere ad orationem mentalem.

Tem-

Quod tempus ad orandum sit opportunius.

Tempus nocturnum videtur esse opportunissimum atque accommodatissimum, eo quod animus tunc denudatus est ab omnibus rerum visibilium speciebus ac figuris, obscuritas ipsa cum universæ naturæ silentio nos in Deum efferre videtur. Quæ causa fuit, cur Servator noster sæpissimè in montibus in oratione pernoctabat, non quod ipse subsidio hoc indigeret exteriori, sed quo nobis exemplo præiret. Eapropter fervenres Novitii crebrius obtinere solent licentiam aliquantum temporis post matutinas horas in choro decantatas huic sancto exercitio impendendi, quin & sæpius per ipsum diem noctem sibimetipsis quasi artificialem comparant, cellularum suarum fenestras obstruendo, atque ita in obscuro cum Deo de salute animarum suarum pertractant.

Tempus matutinum similiter imprimis est orationi faciendæ aptum, eo quod illo spiritus sit omnino tranquillus ac quietus, atque ad hoc, ut cuicumque rei absque magna difficultate applicetur, dispositus. Idcirco scriptura ait: Quod *justus cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum & in conspectu Altissimi deprecabitur.* Verùm bonus Religiosus, ut jam insinuavimus, omni tempore esse debet ad orandum paratus, juxta illud Sapientis consilium: *Ne impediaris orare semper.* At enim quocumque temporè aut loco fiat oratio, sive in publico, sive in privato, omnino exactum in loco, ubi fit, & circa illum fervetur silentium oporter. Eam ob causam omnino attendendum

Eccli. 39. 6.

Eccli. 18. 22.

Magno silentio opus est in loco orationis.

dum est, ut omnes in loco orationi destinato ante illius Inchoationem sint præsentes, ne qui forte tardius accedentes aperiendo & claudendo januas orantes perturbent. Eandem etiam ob causam Janitori vetitum est, ullum Religiosum, hoc sancto durante exercitio, evocare, idque non solum quia æquum non est, Religiosum à conversatione, quam habet cum Deo, retrahere, nisi ad exercendum actum charitatis omnino necessarium, quique procrastinationem non patiatur; verùm etiam ne alii orantes distrahantur. Non enim res levis est considerationis interturbare sanctas illas delicias, quas experitur anima, quæ loquitur Deo, & ipsemet hac super re ait: *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, ne suscitetis, neq; evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit*: quasi diceret: adjuro vos, filiæ Jerusalem, ne ullam animarum mihi dilectarum suscitetis aut evigilare faciatis â somno suo spirituali atque interiori, donec consolationibus meis fuerint repletæ atque exsatiatæ. Eandem denique ob causam Fratribus nostris præcipitur id, quod à sanctis nostris antiquis Patribus, Cassiano teste, sanctissimè practicatum semper fuit; ut videlicet, quantum quidem possibile fuerit, caveant tussire, excreare aut etiam suspiria ducere, quæ audiri queant; ne forte suo strepitu ac murmure alios orantes interturbent, atque ita nihil debet omitti eorum, quæ conducant ad ritè faciendam orationem, cui alia concedant omnia necesse est, cùm ipsa sit cibus & vita animæ nostræ, sine qua neque Religiosus, neq; ipsa Religio subsistere ullo modo queat. *Cant. 3. 5.*

Vitanda est immodestia & corporis mollitia.

Quantum ad *situm corporis*, ille plenus respectu, pietate, gravitate ac reverentia sit oportet. Nunquam igitur, nisi manifesta & à superiore approbata infirmitate cogente, sedendum est, sed semper aut genuflectendum, aut erecto ac nullibi inclinato corpore standum, nisi forte quis modicè & modestè sedilibus innitatur, absque eo quod huc illuc, cum manifesto inquietudinis indicio, se vertat ac moveat. Uno verbo, ita in omnibus quivis se gerat, ut nulla immodestiæ, acediæ aut irreverentiæ signa edat. De S. Martino legitur, quod orationis tempore in Ecclesia semper stabat erectus, orationemque peragebat facie pallida, totoque corpore contremiscente, cujus rei causam rogatus, an non, respondit, meritò magnâ cum reverentia, timore ac tremore assistam in conspectu Dei Creatoris ac Judicis mei?

Non sunt nimium quærenda commoditates.

Potissimum verò Fratres nostri advertant, ne orationis tempore commoditatem suam nimium quærant, experientia enim comprobante didicimus, eos qui suæ commoditati plus æquo student, parùm omnino in hoc sancto exercitio proficere, omninoq; vivam Dei præsentiam non sentire. Nihilominus ubi in privato in cellulis suis orationi vacaverint, in humili quodam loco, ut E. g. in oratorii seu genuflexorii sui pede seu inferiore scabello considere poterunt, ubi se, postquam aliquamdiu genuflexi perstiterint, lassos nimium aut fatigatos animadverterint.

Quorundam conventuum superiores ordinant,

Horâ ergo orationi præscriptâ adveniente ferventes ad chorum aut alium à Superiore assignatum locum convolabunt, illumq; ubi re-

præ-

præsentabunt quasi cœlestem quendam paradisum, aut quasi mysticum illud Salomonis templum, quod Deus nube lucida Majestatis gloriæ suæ replebat, omninoque sibi persuadebunt, ac firmiter credent, divinam Majestatem totâ cœlesti suâ curiâ circumfusam, ibi revera præsentem existere, ut preces eorum exaudiat, illorumq; necessitatibus subveniat. Voce devota recitabunt antiphonam *Veni sancte Spiritus*, corde simul & ore humiliter postulantes divinam Spiritus S. assistentiam, cujus unius ope se spirituales evasuros credant; Sicut in festo Pentecostes S. Mater Ecclesia canit: *Tu aspirando das spirituales esse homines.* Deinde signo crucis se communient, & capite aliquantisper discooperto, deinde cooperto, oculis demissis, ut omnem evitent distractionem, intra seipsos se recolligent, quanto melius poterunt, & animum suum conabuntur serenare ac tranquillare, illum omnibus ab hoc sacro exercitio alienis exuentes cogitationibus, curis ac sollicitudinibus, aliquas etiam hunc in finem recitando preces vocales, ut exempli gratia, aliquam devotam oratiunculam aut aliquem psalmum, si hac ratione se juvari animadvetrerint, ut pluribus evenire consuevit.

ut oratiò fiat in oratorio aus alio loco devotiori ac secretiori, quia Fratrum devotio turbari posset ex strepitu, qui fit in plateis, aut etià in ipsa Ecclesia maximè festivis diebus post vesperas. In prosa missæ. Aliqui non sine magno commodo oculos in aliqua devota imagine defigunt, quod cum consilio p. Magistri fierè poterit.

Tria quæ facere oportet priusquam meditationem quis incipiat.

TRia omninò antequam meditationē ipsam quis aggrediatur, faciat oportet. Primum est, ut *se constituat in præsentia Dei.* Secundū ut *brevem faciat conscientiæ suæ discussionem* Tertium, ut *se profundè coram Deo humiliet voluntatemq; suam agnoscat.*

Quomodò se in præsentia Dei orationis initio collocare quis debeat.

Primò igitur Fratres noſtri cor ſuum elevabunt ad Deum affectu quodam ſuavi, humili & pleno reverentia, illius ſibi Majeſtatem, pro materiæ, quam meditationi præfixerint, exigentia repræſentantes: Si etenim materia illa eſt imaginationi ſubjecta, ut v. g. ſi meditaturi ſint de rigida peccatorum in inferno caſtigatione, Deum ſibi repræſentare poterunt velut Regem contra rebelles ſubditos ſuos irritatum, aut veluti exactum, ſeverum ac rigoroſum Judicem: ſi è contrario meditaturi ſint gloriam ſanctorum; illum ſibi repræſentare poterunt, magna cum Majeſtate, throno lucis undique radiis circumfuſo inſidententem, quem Angeli venerentur, omnesque ſancti ac beati circumſtantes adorent, atque ita de aliis materiis.

Verùm ſi materiam meditaturi ſunt purè intellectualem, ut v. g. de amore Dei erga homines, ſatis erit allaborare, ut illius aliquam concipiant purè ſimiliter intellectualem ideam, quanquam non deſint, qui, non ſine magno adjumento, in quibusvis materiis ſenſibilem aliquam Dei repræſentationem ſibimet efformare contendant. E. g. in materia ſupradicta de amore Dei illum ſibi repræſentant ut patrem filiorum ſuorum amantiſſimum, qui, illis ut omnis generis bona procuret, inceſſanter allaboret; aut veluti Medicum charitate plenum, qui omnibus illorum infirmitatibus compatiatur, & peccata illorum patienter toleret; illisq; medeatur, aut veluti clementiſſimum ac liberaliſſimum Regem, qui nunquam ita lætatur, atq; ubi è ſubjectis ſuis alicui benefecerit.

Caven-

Cavendum attamen est, ne istæ repræsentationes, sive intellectuales sint, sive imaginariæ, sint violentæ, affectatæ, aut nimium vivæ, sed suaves, moderatæ, affectivę & sensibus constringendis, animoque in timore ac reverentia continendo (qui unicus illarum finis esse debet) sufficientes. Tametsi autem raro evenire soleat, ut sensum quis formet de Deo purè intellectualem, absque eo, quod concurrat imaginatio, quæ statim suas sibi recolligens species sibimet efformat imaginem illorum, quæ intellectus considerat, attamen & hoc utilissimum est, iis potissimum, qui orationis exercitium non ita pridem inchoarunt, ut Dei præsentiam sibi efforment sensibilem & imaginariam, ista enim multo efficacior est ad inferiores potentias in officio suo continendas. Atque ut omne evitetur fastidium, quod ex eo oriri posset, si quis eundem semper modum observaret, potest ista repræsentatio secundum interiores, quas in seipso quis experitur, dispositiones variari: Cum etenim bona oratio spiritus divini potius, quam humani, sit opus, illi multum obediendum est, interiores illas, quas ipse in nobis ordinat, dispositiones sequendo.

Ista Dei repræsentatio nec est necessaria, nisi ut animum recollectum, & in magno ergæ Deum respectu hoc modo continemus.

Quod si cui forte sufficeret ad se continendum, cogitare se esse coram Deo, & velle ob illius amorem orare, absque eo quod aliam de præsentia divina apprehensionem facere facile posset, ille ibi subsistet, neque ulteriora tentabit.

Alterum, quod facere hic debent Fratres nostri, est, ut *brevem instituant conscientiæ*

Secundum quod initio orationis

faciendũ occurrit.

suæ discussionem, ut si forte ab ultima oratione admississent culpam aliquam voluntariam, aut aliquo modo notabilem, quæ illos divino alloquio indignos reddere posset, illius à Deo veniam quam humillimè deprecentur.

Iustus prior accusator est sui. Prov. 18. v. 17.

Primum enim, quod in oratione, Scripturâ docente, justus facere debet, est accusare seipsum: atque idipsum solummodo faciebat Publicanus ille Evangelicus multorum se criminum reum agnoscens, & ecce regressus est justificatus. Verùm scrupulosiores hanc discussionem obiter percurrent, neque illam, nisi generaliter ac succinctè, instituent, ne forte se exponant motibus turbationum, quas in illis scrupulosa illorum conscientia posset excitare. Illis ergo sufficiet, si in generali à *Deo*, magnâ cum humilitate, delictorum suorum veniam petant.

Tertium quod orationis initio fieri debet. Eccli. 35 v. 21.

Deinde elicient actum humilitatis, profundissimæque sui coram *Deo*, cui loqui desiderant, abjectionis atque annihilationis, quia *oratio humiliantis* se, Scripturâ teste, *penetrat nubes*. Eo fine considerare poterunt,

Quomodo eliciendus sit actus humilitatis.

quantum *Deus* sit in seipso glorioſus, quantâ cum reverentia illum omnes beati spiritus adorent, & qualiter omnis terra coram ipso non sit nisi minima aquæ guttula, atque omnis illa creaturarum, quas cœli immensa vastitas ambit, multitudo in conspectu illius multo sit minus quid quã formica. Quid ergo in illius conspectu erit unus homo, qui in mundi totius comparatione minus est atomo in aëre volanti? Et hic nihilominus homo tam vilis tam abjectus audet comparere coram *Deo* suo atque illius al-

altissimæ ac incomprehensibili loqui Majestati ? Hæc consideratio animum continere debet in magna reverentia & attentione coram Deo.

Tandem illi offerent istam orationem magno cum desiderio faciendi illam purè & unicè ad majorem suã gloriam, atq; ut illius beneficio obtineant suiipsorum reformationem, omnem aliam intentionem abjicientes, detestantes etiam ex tunc omnes distractiones, quæ illis contra suam voluntatem evenient, atque illum toto animo orantes, ut illis assistat, atque eos sancti Spiritus gratiâ dirigat & gubernet. Hæc omuia, hoc vel simili modo facere poterunt.

Directio ante orationem.

O Deus infinitæ Majestatis, ecce ego miser & infelix peccator, omni contemptu dignus, & qui multò ampliùs mererer à conspectu divinæ Majestatis tuæ in perpetuum arceri, quàm ad tuum alloquium admitti, ad te tamen accedere audeo, tuæq; infinitæ Majestati loqui præsumo. Adoro te, ô Rex Regum, meque in conspectu divinæ Majestatis tuæ, eâ, qua mihi possibile est, reverentiâ & humilitate prosterno: doleo ex toto corde meo de omnibus meis infidelitatibus & peccatis, & præcipuè tali ac tali, pro quibus jure timeo, ne in præsenti à te rejiciar ac repellar. Illa mihi, Clementissime Domine, per infinitam misericordiam tuam te rogo, ignosce : promitto tibi fore ut imposterum magis ad meipsum attendam, & gratias tuas ac secretas inspirationes fidelius observem.

Offero tibi hanc orationem, quam facere desidero ad majorem gloriam tuam atque ad salutem animæ meæ, & coram te protestor, me alium nolle finem, atque ex nunc omnibus distractionibus, quæ mihi evenire poterunt, renuncio; illasque ex animo detestor. Reple memoriam meam cogitationibus sanctis, intellectum meum cœlesti tuo lumine illustra, & voluntatem meam amoris tui igne inflamma, ut hinc recedam totus in alium mutatus atq; omnino ad tibi multò amplius, quam hactenus unquam fecerim, serviendum resolutus. Hanc à te gratiam peto per merita Salvatoris ac Domini mei Jesu Christi, & per intercessionem illius sanctissimæ matris Mariæ.

Poterit hæc directio diversis modis variari, ne, si eodem semper modo fiat, tædium aut fastidium generet. Eapropter illam quis poterit aliquando amplificare, alias restringere secundum varias animi dispositiones

Omnino enim expediens erit, maximè pro incipientibus, ut tempus notabile istis exercitiis præparatoriis impendant, ut illorum praxin promptiorem & faciliorem acquirant; imo non abs re erit, illis solis aliquando potissimam horæ orationi destinatæ partem insumere, usq, dum mediocrem saltem illa practicandi habitum quis acquisierit.

Quando quis animum suũ tranquillare non potest, patienter illi coram Deo consistendum est.

Quod si Fratribus nostris hæc omnia pro voto non succedant, ita ut, posteaquam omnia supradicta monita & consilia exactè secuti fuerint, omnemque diligentiam & conatum adhibuerint, ut se bene ad orationem disponerent, atque animos suos recolligerent, nihil

atta-

attamen aut parùm profecerint, non propterea statim animum despondebunt, aut à cœpto desistent: quin potius hanc suam spiritualem inopiam ac desolationem cum plena & perfecta resignatione pati ac tolerare studebunt, certò sperantes fore, ut Deus, visâ hac illorum fidelitate & constantia, omnes istas difficultates amoliatur.

CAPUT V.

De Meditatione.

POst præparationem statim sequitur meditatio; & sicut illius finis fuit, ut animus sese recolligeret, atque ad Deo loquendum disponeret, ita istius finis esse debet affectus excitare voluntatis, ut ipsa se resolvat ad ea, quæ intellectus perspexerit, ac de quibus convictus fuerit, executioni mandanda. Ut autem facilius intelligatur, quomodo in ipsa se quis meditatione habere debeat, primò exponemus, quid sit meditari. Secundò quænam ad bene meditandum sint necessariæ conditiones, ac demum quinam in meditatione defectus committi ordinariè soleant.

Quid sit Meditatio.

MEditari est rem quampiam attentè considerare. Est penetrare, explicare & animo non minus quieto ac tranquillo, quam attento & vigilanti minutatim examinare ea omnia, quæ in re quapiam quasi involuta delitescunt, ut inde fructus aliquis spiritualis eliciatur.

Definitio meditationis. Meditari est quasi per medium ire.

ciatur. Est igitur propriè loquendo *meditatio* attenta rei cujuspiam consideratio. Est discursus de re quapiam devota efformatus ab intellectu rei illius causas, effectus, proprietates atque etiam circumstantias temporum, locorum & personarum expendente, atque omnium istorum proprios sibimet efformante conceptus; nec non & ex isto discursu practicas eliciente conclusiones, quibus voluntatem efficaciter ad bonum cognitum prosequendum aut malum fugiendum impellat.

Explicatur definitio.

Dicimus primò meditationem esse considerationem *attentam & fixam*, in quo differt ab aliis quibusdam cogitationibus pi's, quæ, cùm inopinatò nobis incidant, non nisi superficiales sunt, modicum durant, & exiguas in animo impressiones relinquunt.

Dicimus secundò esse *discursum*, quo quis propositam materiam expendit, ac minutatim examinat, in quo discrepat à contemplatione, quæ unico momento ac simplici quasi intuitu omnia pervidet, quæ in mysterio aut alia quapiam piæ considerationi subjecta materia latent.

Dicimus tertiò, illam institui eo fine, *ut fructus ex ea spiritualis eliciatur*: in quo differt à speculatione, quæ alium sibi finem propositum non habet, nisi rei notitiam; non enim, ut ita dicam, speculamur, nisi ut speculemur, meditamur autem ut amemus. Ubi notandum est, ita comparatam esse voluntatem nostram, ut nihil amare possit, quod intellectus prius non cognoverit, atque ipsi

ipsi voluntati proposuerit ; unde intellectus assimilari potest servo facem voluntati, tanquam Dominæ aut Magistræ suæ, præferenti, adeo ut sicuti servus facem non portat recreationis causa, sed ut Dominæ domus in omnibus, quę illi agenda sunt, lucem ministret, ita intellectus meditari non debet præcisè ut meditetur, suæque ut satisfaciat inclinationi, verùm ut affectiones & gressus dirigat voluntatis, quæ quasi omnium animæ facultatum est Regina. *Comparatio meditationis cum face.*

Assimilatur etiam intellectus cani venatico, qui aliud nihil facere debet, nisi hero suo demonstrare inventam prædam, eâque demonstratâ statim consistere, neque ultra progredi, quia intellectus postquam fortem aliquam ac persuasivam veritatem indagando deprehenderit, nihil aliud facere debet, nisi illam voluntati exhibere, moxque quietum se tenere, interim dum illa affectus suos producit. *Alia comparatio cum cane venatico.*

Assimilatur denique meditatio usui ignitabuli ad eliciendum ignem ; Sicut enim silicem frequentius percutiendo elicimus scintillas ignis, quæ fomitem ubi corripuerint, illumq; pervaserint, ingens excitare possent incendium, ita homo meditãs, postquam ex ista meditatione sua scintillam elicuerit alicujus veritatis, quæ cor illius jam occupârit, à silicis percussione cessare debet, id est, ingenii atq; intellectus sui cohibere indaginem, ut ita totus occupetur in fovenda flamma illa, quâ se sentit accensum quæque ingenti amoris incendio excitando satis erit. Hoc igitur est meditari. *Alia comparatio cum ignitabulo.*

Quę

Quomodo meditari oporteat.

Qualis esse debeat applicatio intellectus.

VErùm res magnę eſt conſiderationis atque etiam neceſſitatis, hoc in exercitio intellectus ut bene dirigatur. Duo igitur in illo ſunt obſervanda. Primum ut ipſa intellectus *applicatio* ſit moderata, nec nimium intenſa, neque nimium remiſſa, nec nimium præcipitata, neque nimium lenta. Verùm oportet ut ſit ſedata, non tamen ſine vigore, tranquilla, non tamen ſine vivacitate, ita ut caveatur, ne vel nimium intellectus in ſua activitate ſit vehemens, ne forte ſuis in cogitatis confundatur, aut à propoſita deflectat materia, vel nimium ſe intendat, ut cogitatus ſubtiles efformet, ſive nimium aſſurgat, ut effingat curioſos: atque etiam ex altera parte attendatur, ne tædium concipiat, aut plus nimio ſe relaxet ac remittat.

Quales eſſe debeant conſiderationes.

Alterum, quod obſervari omnino debet, eſt, ut ipſæ, quas de ſua efformat materia, conſiderationes ſint convenientes ac propriæ non verò aliunde aut remote nimium petitæ; ſint etiam communes ac familiares, non verò ſublimes, & nimium affectatæ aut exquiſitæ; ſint ſimplices & devotæ, non verò ſubtiles & curioſæ: ſint tandem illius, qui meditatur, ſtatui conformes, totque omnino eliciantur, quot ad excitandam & efficaciter convincendam voluntatem ſufficiant. Debent igitur eſſe *convenientes*, id eſt, ſcopo, quem quis in orationis ingreſſu ſibi propoſuerit, congruentes. Exempli gratia, qui voluerit excitare ſpiritum compunctionis, atque ingentem concipere de

ſuis

ſuis peccatis dolorem ; talem meditationem inſtituat , quæ ipſi peccatorum deformitatem & malignos eorum effectus exhibeat.

Debent eſſe conſiderationes illæ *communes* ac *familiares*, id eſt verbis ſimplicibus absque aliquo artificio aut elegantia expreſſæ , quia Deo in eloquenti diſcurſu non complacet, ſed potius, ut ait Scriptura, *Simplicium converſatione delectatur: cum ſimplicibus ſermocinatio ejus.* Prov. 3. v. 32. Debent eſſe *devotæ*, id eſt, affectuoſæ, ut voluntatem pio aliquo motu & impulſu afficiant , alioquin oratio in merum evaderet ſtudium. Debent eſſe *meditantis ſtatui conformes*, id eſt, illi perfectionis gradui , in quo ipſe tunc ſe eſſe exiſtimat , putà incipientium , proficientium aut perfectorum , proportionatæ. Imò etiam eſſe debent , quantum quidem fieri poterit , conformes viæ, quâ Deus illum ducit ; hoc eſt, omnes conſiderationes ſuas , quantum ei poſſibile fuerit, reducere debet ad illos interiores affectus & attactus , quos ordinariè experitur , & quibus illum ſibi Deus alligare videtur.

De diverſis meditationis materiis inferius acturi ſumus , ideoque hic obiter ſolummodo monemus , tunc Novitium conformiter ſtatui ſuo meditari, quando eò ſpectat , ut bene cognoſcat miſerabilem vitæ ſuæ præteritæ ſtatum , ut omnem mundi memoriam ſuffocet, ut ſenſus ſuos mortificet, ac paſſiones debellet. Proficientes eò ſpectent oportet, ut ſubtiliſſimas amoris proprii diſquiſitiones ac prætextus circumcidant , ac virtutum praxi aſſueſcant.

Per-

Perfecti verò ad intimam cum Deo unionem contendant necesse est.

Tandem hujusmodi considerationes tot eliciat oportet, quot ad excitandam efficaciter voluntatem sufficiant, hoc est, si una non sufficiat, duæ, tres, aut quatuor illam subsequantur, donec affectus interni cordis excitentur. Sedulò tamen etiam advertendum est, ut materiam propositam leviter ac superficialiter ne transcurramus, sed bis, terve, si opus fuerit, ad eandem considerationem redeamus, ut fructum inde desideratum hauriamus.

Defectus in oratione cavendi.

Aliqui nimis violenter se applicant.

QUantum attinet ad defectus plurimorum in hoc sancto orationis exercitio parùm omninò proficientium, sed potius in plurimas inconvenientias incidentium, eo quod ignorent, aut certè non exequantur omnia hæc monita & præcepta, advertendum est; reperiri nonnullos, qui statim ab initio materiam sibi propositam considerare incipiunt tantâ cum *impetuositate* ac tantâ capitis ac pectoris intensione & conatu, ut, naturâ statim defatigatâ, omnibusq; exhaustis viribus, desistere cogantur, neq; ulterius ullo progredi modo valeant.

Aliqui non satis se applicant.

Alii è contra ita parum, tantoq; cordis atq; animi *languore* considerationes tuas adoriuntur, ut nihil omnino aliud faciant, nisi quod nescio quibus levibus ac superficiei tenus conceptis cogitationibus, è quibus fructum omnino nullum haurire valeant, oblectentur.

Aliqui initio se applicant, sed postea desistunt.

Nonnulli etiam initio nonnihil laborant, se pro exiguo tempore exercitio huic applicantes; verùm statim lassati in quasvis obvias ferun-

runtur cogitationes, quas illis phantasia suggesserit.

Nec minus reperire est aliquos, qui uti sunt quietis amantissimi, ita labores quàm maximè metuunt, ideoque statim à principio nescio quo sursum se attollunt, atque ad nescio quam intellectus atque animi sublimitatem sese efferunt, ubi se super omnia esse existimant, fruiq; pace, quæ attamen revera non est nisi naturalis. in qua nihilominus persistere conantur, absque eo quod aliud agant, parùm considerantes, se fundari & firmari in pura otiositate & desidia. in qua tempus omninò inutiliter consumunt ac perdunt. *Aliqui in falsa pace otiantur.*

Sunt etiam, qui non insistunt materiæ seriò expendendæ ac meditandæ, sed statim, ubi obiter omnia meditationis puncta, absq; ulla veritatis alicujus aut luminis distinctione, percurrerint, absq; etiam eo, quod quidquam in particulari digesserint, quamplurimos continuò eliciunt actus & affectus producunt sine ullo Dei attactu aut ordine, qua in re caput tantummodo frangunt, nec quidquam inde fructus reportant. *Alii superficialiter materiam propositam decurrunt.*

Nonnulli student pulchris efformandis cogitatis aut verbis reperiendis elegantioribus, nec parùm sibi complacent in eo, quod politos efforment discursus. Verùm aliud hi agunt nihil, quam quod ingenii sui curiositati satisfaciant, atque a Dei se spiritu, qui simplex est, elongent, omninoque nihil unquam in vitæ suæ emendatione proficient. *Aliqui curiosi politis studeant verbis & conceptibus.*

Tandem etiam reperiuntur non pauci, qui, cùm ingenii sint omnino vivacis & ferventis, capti- *Aliqui nullum servant ordinem.*

captivare se minimè possunt, ut puncta meditationis ordine ac sigillatim considerent, sed ab uno in aliud, saltando quasi, discurrunt, absque eo, quod quidquam cum judicio & maturitate expendant. Hi similes omnino sunt illis, qui lauto accumbentes convivio, singula attingunt fercula, neque tamen ex illis quid manducant. Quæ causa est, cur famelici omnino remaneant.

Complures hic alii aperiri possent defectus. Verùm, præterquam quod isti sint potiores, quilibet in seipso facillime poterit illos, in quos frequentius incidet, advertere, & juxta instructionem & monita Magistri, quicum hac in materia sæpissimè communicandum est, emendare.

CAPUT VI.

Methodus meditandi, & se in materiis tam sensilibus, quam spiritualibus dilatandi.

FRatres nostri meditationem inchoaturi suaviter in memoriam revocabunt materiam & puncta, quæ præparaverint, illorumque propriam, vivam ac facilem concipere nitentur repræsentationem. Ante omnia vero advertendum ipsis est, omnia illa, quæ meditationis possunt suppeditare materiam, aut corporalia esse & sensibilia, aut spiritualia & invisibilia. Mysteria Incarnationis, Nativitatis & Circumcisionis Salvatoris nostri, sicut & illius miracula, vita, mors, & passio, nec non & vi-

Duo genera materiarum meditationis.

tæ

tæ Sanctorum, cœlum, infernus & similia argumenta sunt sensibilia, quorum proinde considerationi haud parum inservit imaginatio. Vitia autem, virtutes, monita perfectionis, sententiæ sacræ Scripturæ, perfectiones divinæ argumenta sunt spiritualia & à sensibus remota, quorum proinde in consideratione plus agit ratio quam imaginatio. Tametsi etiam ordinariè in materiis sensibilibus circumstantiæ aliquę purè spirituales, & in spiritualibus inveniantur circumstantiæ sensibiles, quæ ipsæ seorsim acceptæ suppeditare meditationis queant materiam. E. g. in mysterio Nativitatis Domini nostri, quod argumentum est corporeum, potest quis insistere præcisè considerando ingenti Dei erga nos amori, quo filium suum unigenitũ nobis dedit, atq; ista meditatio erit purè intellectualis, qua nihilominus occasione argumenti corporei elicitur. Similiter circa virtutem obedientiæ, quæ materia est spiritualis, potest quis præcisè meditari, quantam in agendo promptitudinem verus obediens exhibere debeat, quæ meditatio est corporea in argumento spirituali, eo quod repræsentatio veri obedientis ad omnia exequenda jussa parati ac prompti omninò sensibilis est & imaginaria: quasi videlicet illum oculis cerneremus auscultantem cum affectu dicta sui superioris, currentem cum gaudio ad locum obedientiæ exequendæ destinatum, & magnâ cum diligentiâ opus imperatum exequentem.

Sic Deus dilexit mundũ, ut filium suũ unigenitũ daret. Ioan. 3 16.

Qui ergo de materia quapiam corporali meditari voluerit v. g. de Nativitate Salvatoris conabitur sua sibi in imaginatione ad vivum

Quomodo repræsentanda

Sit materia corporalis.

quidem, quantum fieri poterit, suaviter tamen & sine violentia, repræsentare aliquam totius mysterii ideam cum omnibus circumstantiis, loci, temporis & personarum. Deum intuebitur factum infantem, exiguo super fœno in præsepio, in medio animalium, B. Virgine & sancto Josepho assistente, repositum, à pastoribus adoratum, præ frigore trementem, patientem, plorantem, & suorum principia dolorum æterno Patri suo pro nostra salute offerentem.

Qualem conceptum formare quis debeat de materia purè spirituali.

Illi verò, qui rem quampiam meditari voluerint spiritualem, illius intellectualem in animo conceptum sibimet efformabunt E. g. si meditationem instituant de aliqua virtute, aut egregiâ quadam atque insigni veritate aut sententia, illius sibi ideam efformabunt, ut bonæ, pulcherrimæ, Deo gratissimæ hominique ut lissimæ. Si è contrario de vitio aut errore perversi alicujus placiti mundani meditari cogitent, ideam sibi efformabunt oppositam; rei videlicet infamis, defectuosæ, & coram Deo abominabilis, animæque suæ quam maximè noxiæ. Quod si cui forte id visum fuerit difficilius, nullam ille sibi inferre debet violentiam, ut comprehendat, multo minus opere ipso ut exequatur, quia fortassis sensim sine sensu ex seipso addiscet absque ulla industria aut reflexione ad illa, quæ hic annotamus, præcepta, quæ potius observationes sunt, quas in seipsis piæ animæ in oratione experiuntur, quàm artis præcepta, ad quæ illos absolutè adstringere oporteat. Præterquam quod ista repræsentatio necessaria non est, nisi in quantum ad spiritus & animi recollectionem conser-

servandam juvat, quod si quis aliâ præstare viâ queat, parùm intererit.

Vsus imaginationis.

Omnino tamen expedit Novitiis, ut imaginariè meditentur, saltem per aliquod temporis spatium, initio, dum huic sancto exercitio studere incipiunt. Et licet nonnulli concipere omnino nihil possint, nisi modo quodam crassiori & omnino confuso, imò etiam non rarò immisceant alias omnino dissentaneas & alienas imagines, quas ipsis phantasia efformat, nihilominus imperfectâ hac repræsentatione sint contenti necesse est, suamque nihilo secius prosequantur orationem, quæ eò minus non erit fructuosa. Illi è contrario, qui imaginationis sunt adeo vivæ, adeoque fortis, ut hæc illis omnes rerum propositarum, etiam particulares, circumstantias ita ad vivum repræsentet, quasi coràm illas intuerentur, ac discernerent non solùm personas, verùm etiam vultum, colorem, situationem, motus & similia; illi, inquam, ut vivacitatem illam moderentur, allaborare debent, alioquin extremis illusionum ac delirii periculis se exponerent.

Omnino autem indifferens est, res illas, quas quis sibi repræsentarit, vel ut propinquas repræsentare, vel ut à se remotas, intra sive extra se. Sunt etenim, qui plus inde capiunt fructus, si locum ipsum, ubi res, super quibus meditantur, contigere, sibi repræsentent, atque ad ipsum cogitatione accedant. Alii illas quasi ad semetipsos adducunt, & in proximo sibi repræsentant. Alii etiam intra semetipsos illas concludunt, & alii è contra se rebus ipsis, de quibus meditantur, includunt.

Omnes isti modi boni sunt, cuilibet proinde illum, quem sibi faciliorem magisq; naturalem atque ad sensus in tranquillitate, Angelico huic exercitio comprimis necessariâ, continendos efficacem judicaverit, sequi liceat.

Quod si quis fortassis etiam experiretur, sibi expedire, ut sibi imaginetur quasi in ipsa Salvatoris nostri aut sancti alicujus oraret societate hocq; sibi suis omnibus tranquillandis cogitationibus, cordique suo in attentione ac debito conservando respectu satis esse, ille poterit huic sese impendere exercitio.

Verùm ea, quæ hactenus diximus, omnia non nisi meditationis sunt principia. Eapropter nunc ea, quæ in progressu quis tenere ac quomodo se dilatare queat, exponamus.

Modus se dilatandi in meditatione.

Quid sit in oratione se dilatare.

Dilatatio nihil est aliud, quàm inventio plurium rationum aut veritatum, quibus intellectus instruatur, illuminetur & convincatur, adeò ut sicuti in Rhetorices schola docemur certos locos, qui sunt quasi fontes & scaturigines rationum, quibus orator quidvis Auditoribus valeat persuadere, sic in hac Rhetorica mystica doceamur certa capita, quorum considerationi nos oporteat insistere, ut ita nobisipsis id quod intendimus persuadeamus.

Quia verò, uti supra meminimus, argumenta meditationum aut corporea sunt aut spiritualia sive intellectualia, si quis argumentum sibi proposuerit corporeum v. g. unum è mysteriis vitæ aut passionis Salvatoris nostri, sive actionem aliquam virtuo-

sam

sam cujuscumque sancti, aut quid simile, hic poterit expendere :

1. Historiam, qualiter videlicet in generali res gesta fuerit.

2. Circumstantias loci & temporis.

3. Circumstantias & qualitates personarum.

4. Ea, quæ durante actione illa dicta fuerint, sive dici potuerint.

5. Affectus, quos ille, actionem qui elicuit, habere potuerit.

6. In quem finem actionem illam direxerit.

7. Quinam ex illa effectus profluxerint.

8. Qualiter nos actionem illam aut praxin imitemur, aut illius ab imitatione deficiamus.

9. Quem inde nos fructum haurire conveniat.

Demum ut quis melius intelligat & comprehendat hanc doctrinam, à qua non parùm dependet profectus, aut illius in oratione decrementum, formulam aliquam, ceu exemplum, hic subjiciemus, si prius adverterimus, quod si illud, quod nostræ præfiximus meditationi, argumentum nullam habet cum aliquo ex punctis istis proportionem, omittendum illud erit, ad aliud ut transeatur; è contra verò si unum aliquod fovendæ meditationi visum fuerit esse satis, illi insistendum erit, quamdiu aliquem in ipso gustum experiemur.

Exemplū dilatationis circa materiam sensibilem.

Si quis igitur meditari voluerit, quomodo Salvator noster Jesus Christus semetipsum B. V. Mariæ sicut & sancto Josepho submiserit, considerabit.

Historia. 1. Qualiter divinus ille amabilissimusque puer simplex erat, & ad omnia illorum imperata obediens, illa etiam, non secus, ac si Deus non esset, sollicitè omnino præveniens.

Tempus & locus. 2. Circumstantias *temporis & loci*, siquidem illis non in tenera dumtaxat, sed etiam in ætate maturiori, viginti quinque videlicet atque etiam triginta annorum, dicto obediens extitit, idque non domi solummodo suæ, verum etiam in publico & quovis in loco.

Persona. 3. Circumstantias *personarum*, est etenim homo Deus, qui obedit puris omnino creaturis, quæ proinde, etsi sanctissimæ, infinities tamen illo erant inferiores.

Verba. 4. Sermones illius ac verba submissione semper ac summâ suavitate pleniſſima, quasi dixisset aliquando: *non veni ministrari, sed ministrare. Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* Similiter etiam considerabis, qualiter vice versâ aliquando B. Virgo & sanctus Joseph totaliter hærebant attoniti, ubi cogitatione aut etiam mutuâ sermocinatione recolebant, qualiter Deum sibi haberent subjectum.

Matth. 20. 28. Ioan. 9. 38.

Sensus. 5. Particulares Dei filii affectus, quasi aliquando diceret: meo saltem exemplo homines, qui aliquando in me crediturí sunt, ac potissimum Religiosi, discent esse simplices, humiles & obedientes.

Finis. 6. Finem, propter quem Dei Filius hisce suis obedivit parentibus, ut nimirum nostram ita superbiam condemnaret, quæ aliquando adeo increscit, ut superioribus quandoque vix

sinat

sinat nos subjici, æqualibus verò aut inferioribus omnino nos obedire vetet.

7. Effectus humilem istam submissionem atque obedientiam simplicissimam consecuti sunt isti : *Effectus.*

1. Ineffabilis in æternum Patrem redundans glotia.

2. Innumeri virtutis ejusdem actus à plurimis sanctis Religiosis exerciti.

3. Additus Religioso cuivis virtutem istam imitandi affectus.

8. Tandem supra vitam suam reflexionem faciet, ut quantum à perfecta Salvatoris sui, hac in virtute, imitatione absit, intelligat, simulque quam firmum virtutis illius exercendæ propositum elicere debeat, considerabit. *Profectus.*

Quomodo quis in materiis purè spiritualibus dilatare se debeat.

QUod si verò meditatio instituatur circa materiam purè spiritualem, ut v: g. circa aliquod è beneficiis divinis, aut circa quamvis virtutem, considerare oportebit,

1. Rei ipsius naturam sive essentiam, id est. quidnam ipsa sit propriè in semetipsa considerata.

2. Nomina, quibus insignitur, si illa consideratione dignum quid comprehendant.

3. Causas quæ illam producunt.

4. Proprietates illius & effectus.

5. Finem, quem spectat.

Deinde peculiarius considerare quis poterit.

6. Exempla, quæ rei illius habemus in vita

Christi aut quænam circa illam ex verbis illius elicere possimus documenta.

7. Considerare nos oportebit, quomodo illa hactenus nos observaverimus.

8. Qualiter circa illa imposterum affectos nos esse conveniat.

9. Modum & media ex illis desideratum fructum eliciendi.

Res patebit hoc exemplo.

Natura beneficii. Meditaturus v. g. beneficium vocationis tuæ ad statum Religiosum considerabis:

1. Beneficii illius naturam, seu quid sit in seipso consideratum, esse videlicet miserarum animarum nostrarum à certissimo interitu ereptionem, ac liberationem, & collocationem illarum in loco securitatis, ubi habituræ non sint, nisi bona exempla, atque alia sufficientissima salutis suæ media.

Nomina. 2. Nomina, quibus ipsum insignitur; illud videlicet secundum baptisma, mortem civilem, omnibus rebus factam renunciationem, atque ad vitam alteram meliorem resurrectionem &c. appellari consuevisse.

Causa. 3. Causas illius; esse videlicet Deum, qui in nobis pro infinita misericordia sua excitat hanc mundo renunciandi voluntatem, atque esse idcircò insigne munus ab ingenti illius erga nos amore profectum, sine ullis nostris meritis, cùm illum nos è contra sæpiùs malitiosissimè offenderimus, atque ita ad nos justissimè deserendos & perditioni relinquendos provocaverimus.

4. Pro-

4. Proprietates illius & effectus, qui consistunt in eo, quod nos inducat ad mundi delicias contemnendas, & pœnitentiam magnis animis amplexandam, mentes nostras ad cœlestia erigat, omnium terrenorum oblivionem in illas inducat, omnemque in animis nostris parentum, amicorum, consanguineorumque memoriam aboleat & obliteret, nosque Deo sic intimè conjungat &c. *Proprietates & effectus.*

5. Finem illius, quem respicit, qui in eo situs est, ut simus sancti, magisque vivamus cœlo, quam terræ, continuò & sine intermissione mortificantes sensus ac passiones nostras, & corda nostra à minimis etiam imperfectionibus ita perfectè emundantes, ut Deo evadamus, quantum fieri potest, simillimi. *Finis.*

6. Ea, quæ fecit Christus, fortassis hic locum non habent, quia ipse mundo se non subduxit, uti facere solent Religiosi, nisi spatio quadraginta dierum, quos in deserto transegit; attamen omnibus, perfectionem assequi qui voluerint, mundum ut relinquerent, suasit, dicens: *Qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Veni separare hominem adversus patrem suum, & filiam adversus matrem suam, & nurum adversus socrum suam. Et qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus.* *Luc. 14. 35. Matth. 10. 35. & 37.*

7. Deinde considerare nos oportebit, quid hactenus de tanto tamque inæstimabili senserimus beneficio: num studuerimus Dei

nos ad sanctum statum illum vocantis correspondere voluntati, ac tandem, quem ex illis considerationibus elicere nos oporteat fructum, quæque nobis illum consequendi media sint assumenda.

Industria se dilatandi.

Exempla ista, unà cum formulis in fine tractatus hujus subjiciendis, Fratribus nostris intellectum aperient, atque illis super re qualibet se facilius extendendi modum suggerent. Atque ut continuandi discursum industriæ illis suppetant, poterunt quandoque alloqui semetipsos, aut animam suam in particulari, aliàs ad *D*eum aut unam è sacratissimis personis vivificæ Trinitatis, quandoque etiam ad Salvatorem nostrum Christum Jesum, aliàs quoque ad B. V. Mariam aut sanctos Angelos, potissimum tutelarem suum, discursus suos dirigent, quasi certas quasdam ipsis proponendo quæstiones. Imò etiam ad ipsas aliquando creaturas insensibiles, quasi ipsas interrogando, & ab ipsis responsum ferendo, convertere sese poterunt, ad eum modum, quem potuerunt observare in tractatu primo in discursibus illis, quos ibi efformavimus super Novitiorum vocatione, sicut & super mundi miseriis, & sicut etiam advertent in tractatu subsequenti in illis, quæ ibi proponemus, exercitiis compunctionis.

Tract. II.

Tract. 5.

Utilissimum etiam, maximeque illis erit proficuum, si quandoque quasi in præsentia *D*ei se constituant, velut reos coram suo Judice, à quo aut absolutionis sententiam expectent aut condemnationis, qua in dispositione loquentur cum *D*eo magno cum metu, hu-

humilitate & reverentia. Aliàs se præsentabunt, quasi ægros coram pleno charitatis Medico, cui vulnera sua ac morbos aperiant. Quandoque etiam veluti pauperes ac mendicos coram divite quopiam pleno compassionis. Nonnunquam etiam tanquam discipulos coram suo Magistro, à quo illuminari petant & instrui. Subinde tanquam amantissimi filii Patrem suum cœlestem filiali cum amore, respectus ac fiduciæ pleno, alloquentur. Aliquando etiam loquentur ei tanquam sinceriſſimo optimoque amico, cui dubia sua proponent, ut illius reportent consilium, sua exponent desideria, ut obtineant auxilium, suas aperient necessitates, ut consequantur levamen, hæcque omnia quivis faciet secundùm interiores suas, quas in se experitur quisque, dispositiones. In omnibus enim præceptis illis, quæ hic nos statuimus, id unum semper supponimus, Spiritum videlicet sanctum primarium esse ac principalem divini istius exercitii Magistrum: ideoq; omnia exercitia nostra illum solum spectare debent, ut removeamus obstacula, quæ illum impedire possent, quo minus in nobis illa lumina, illos attactus, illosq, quos nobis communicare voluerit, affectus producat.

CAPUT VII.

Methodus in quibusdam in particulari materiis observanda.

TAmetsi quacumque de re institui possit meditatio, cum nulla in mundo sit creatura,

tura, cujus consideratio mentem nostram ad Dei notitiam non possit elevare, cùm ipse in singulis suarum ineffabilium vestigia impresserit perfectionum; certæ tamen sunt materiæ, quarum frequentior magisque ordinaria nobis esse debet consideratio, eò quod illa utilior nobis sit magisque proficua. Illæ in tres communiter classes rediguntur, ut tribus serviant statibus perfectionis, nimirum incipientium, proficientium & perfectorum.

Tres diversi eorũ, qui student orationi, status.

Incipientibus assignari solet, horror vitiorum, maligni effectus peccatorum, quatuor hominis novissima, putà, mors, judicium, infernus & cœlestis gloria, notitia suiipsorum, aliæque materiæ propriæ viæ purgativæ, quæque in animis illorum generare possint odium sui, timorem Dei, mundi contemptum & veram cordis compunctionem.

Materia meditationis propria incipientium.

Proficientibus assignantur virtutes, omnia mysteria vitæ, mortis, & passionis Salvatoris nostri, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, exempla sanctorum, vota, regulæ & praxes Religionis, Evangelia, Psalmi & alii Scripturæ sanctæ libri, aliæque consimiles materiæ, quæ inserviant illorum mentibus divino lumine illustrandis, animabusque eorum, ab omni peccatorum sorde in statu præcedenti jam emendatis, virtutum cultu exornandis.

Proficientium.

Perfectis materiam orationis suggerunt beneficia Dei, tam generalia quàm particularia, attributa divina, aliaque hujus generis argumenta, quæ in ipsis generent efficacissima motiva inflammandi atque in cordibus suis con-

Perfectorum.

continuò fovendi intimum & puriſſimum divinæ Majeſtatis ſuæ amorem: Illæ tamen materiæ non ita ſunt uni ſtatui propriæ, quin alteri, certis in occaſionibus, & juxta diverſas cujusque diſpoſitiones, poſſint inſervire: ſatis enim contingit frequenter, ut Novitii ſatis efficaciter ſe ſentiant à Deo tactos, ideoque non ſine fructu materias proficientium aut etiam perfectorum proprias aſſumere poſſint meditandas. In pluribus è contra occaſionibus perfectis neceſſarium eſt, ut ad conſiderationes incipientibus proprias deſcendant, eò quod, quantumvis ſint perfecti, ſuas nihilominus in parte inferiori experiantur repugnantias & luctas, & in ſuperiori plura expurganda ac regulanda advertant: ea de cauſa omnino neceſſe eſt, ut Novitii in omnibus, quantum ad materiarum meditationis ſuæ delectum, Magiſtri ductum & ordinationem ſequantur. Interim tamen hic nos, paulò quam capite præcedenti enucleatius ac ſpecialius, quædam puncta principalia, quorum poſſint conſiderationi inſiſtere, idque omnino juxta trium claſſium ſupradictarum ordinem, deducemus.

De materiis meditationis propriis Incipientibus; & quidem primò conderationes de peccato.

1. PRima claſſis eſt *Incipientium*, in qua ſi quis meditari velit de *peccato* in generali, conſiderabit.

1. Quid

1. Quid sit peccatum in seipso acceptum, esse videlicet horrorem omnium horrorum, & abominationem omnium abominationum, nihilque aliud nisi corruptionem & inordinationem, malitiam atque ipsam improbitatem, imò esse pejus nihilo, quia multò satius esset nunquam extitisse, quàm peccasse.

2. Peculiarius peccatum est àversio à Creatore, & conversio ad creaturam, formalis rebellio, & expressa prævaricatio præceptorum divinorum, quantumvis æquissimorum, non minus quam facilium. Ex quo nascitur, quod peccatum committere, sit committere incredibilem indignitatem, quæ peccatorem reddit infinitè abominabilem *Deo*, qui omnigenis titulis & nominibus dignus est, cujus præceptis obtemperemus.

3. Considerabit funestos effectus, quos in anima peccatoris producit. Primò enim illum spoliat gratia *Dei*, & jure quod habebat in æternam beatitudinem. Secundò illum exuit omnibus omnino meritis. Tertiò illum constituit diaboli mancipium, idque modo multò funestiori ac lamentabiliori, quàm sint illi, quorum corpora à dæmonibus sunt possessa.

4. Quam rigorosè *Deus* ipsum puniat, videlicet non nisi pœnis æternis, quæ quidem pœnæ non solum infliguntur illis, qui aliquam admiserunt peccatorum multitudinem, verùm etiam iis, qui non nisi unicum, idque cogitatione fortassis tantummodo absq; operis ipsius effectu, commiserunt.

5. Dein-

5. Deinde reflectet se super his, quæ ipse commisit, considerando illorum multitudinem, atque enormitatem, nec non & pœnas illis debitas.

6. Contendet veram de illis elicere contritionem, factâque fortissimâ omnia peccata imposterum] morte ipsâ amplius fugiendi resolutione, illius propositi sui exequendi media inquiret.

Eundem quis servare poterit ordinem, ubi de aliquo in particulari peccato voluerit meditari, addendo considerationem virtutis illi oppositæ, ut, per illam peccati deformitatis cum virtutis pulchritudine oppositionem, illius horror melius & clarius perspiciatur, & quotquot in virtute bonos effectus, insignesque adnotârit proprietates, tot è contra in opposito peccato concludet esse effectus malignos ac deformitates. Parum attamen considerationi peccatorum castitati oppositorum oportet insistere, propter periculum, quod hac in materia reperitur.

Peccata communiter bifariam dividuntur. Primò distribuuntur in quatuor classes, putà cogitationis, locutionis, operis & omissionis. Secundò considerando illa aut prout sunt contra Deum, aut contra proximum aut contra nosmetipsos. Quælibet istarum classium aut divisionum poterit materiam meditationis suggerere, ita videlicet, ut unâ quis die consideret peccata, quæ commisit cogitatione, alterâ quæ locutione, & sic de aliis.

2. *Considerationes, quæ pertinent ad notitiam sui ipsius.*

COnsiderare quis poterit primò, quid sit in statu naturæ, deinde quid in statu gratiæ.

1. In statu naturæ nihil sumus ex nobismetipsis, quia totum esse nostrum à Deo solo recepimus, postquam per totam æternitatem omninò nihil fueramus.

2. Hoc ipsum *esse*, quod habemus, adeò est imbecillum, ut si Deus, qui ipsum nobis dedit, continuo conservationis beneficio illud non sustineret, mox in nostrum nihilum reincideremus.

3. Quin & nosmetipsi adeo in agendo sumus debiles, ut, nisi Deus in qualibet actione nostra concursu suo generali opitularetur, ne vel manum possemus movere.

4. Quantum ad animam, ignorantiâ sumus pleni, nostrarumque subjecti bello passionum, quibus frequenter succumbimus, atque ita à vitiis non rarò superamur.

5. Quantum ad corpus, illud est in præsenti vas plenum immunditiis, & aliquando esca vermium erit.

In statu similiter gratiæ considerare quis poterit,

1. Quod si illam habeamus, non habemus nisi ab infinita Dei misericordia, qui nobis illam nullo titulo debebat, quique de facto pluribus illam Regibus, Monarchis & Magnatibus, qui illam nobis etiam amplius promeriti fuisse videri possent, denegavit.

2. Nos

2. Nos nulla ratione possumus in statu gratiæ perseverare, nisi ille, qui in eo nos collocavit, Deus in ipso nos incessanter conservet.

3. Ne vel minimum virtutis cujusvis elicere possumus actum, absque speciali bonarum illius inspirationum, & sanctarum emotionum subsidio.

4. Deinde super seipsum se reflectens expendet, quantum ipse sit in illis ipsis gratiarum subsidiis correspondendo infidelis, quotque sit imperfectionibus subjectus, atque ita quandam quasi coram Deo confessionis speciem efficiet.

Demum ex omnibus considerationibus istis elicere poteris exiguum, omninoque vilem tuimetipsius existimationem, ac deinde confunderis de illa, quam hactenus aliquatenus prætulisti, præsumptione, omninoque statues nihil imposterum per vanam gloriam tibimetipsi attribuere, verùm ad Deum, boni omnis authorem, omnia, quæ in te videri bona possent, referre.

3. *Considerationes de Morte.*

1. COnsiderabis quid sit mors: animæ videlicet à corpore separatio, quæ necessariò aliquando, infallibiliterque eveniet.

2. Quam incerta sit mortis hora, sicut & modus, quo nos illa invadet, subitò videlicet an ex præmeditato.

3. Dolores, terrores, & horrores, qui illam solent prævenire.

4. Tentationes, malæ vitæ pœnitudines, ac Dei judiciorum metus, quæ illam comitantur.

5. Denique felicitatem aut infelicitatem, quæ illam subsequuntur, quæ quidem incerta cùm sint, animam in desperationem penè adducunt.

6. Reflectes te supra negligentiam vitæ præteritæ, emendationisque propositum concipies, atque ad eum modum vivere imposterum statues, ut semper ad moriendum paratus existas.

Unum alterumve horum punctorum integræ meditationi materiam omnino sufficientem præbere poterit.

4. *Considerationes de generali judicio.*

Sol obscurabitur & Luna non dabit lumen suum & stellæ cadent de cælo & virtutes cælorum commovebuntur. Matth. 24, 29.

1. COnsiderabis terribilia signa, quæ ipsum præcedent, prout Christus ea prædixit in Evangelio.

2. Resurrectionem universalem omnium hominum ab Adamo ad ultimum usque posterorum illius.

3. Congregationem omnium creaturarum; omniumque nationum ante tribunal Christi sonitu tubæ factam citationem,

4. Distinctam conscientiarum omnium, omniumque, quæ unquam patrata fuerint, peccatorum, simul cum omnibus suis circumstantiis manifestationem.

5. Rigorem ac severitatem judicis, qui nullius, nisi idipse promeritus fuerit, miserebitur.

6. De-

6. Definitivam ac peremptoriam sententiam judicis, à qua non liceat appellare, quæque eodem statim momento executioni mandetur, ubi, justis in paradisum receptis, peccatores in inferni abyssum præcipites demergentur.

Et tunc parebit signum filii hominis, & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt filiũ hominis venientẽ in nubibus cœli cum virtute multa & Majestate. Ibid. v. 30.

7. Tandem supra vitam tuam præteritam, quantum necesse fuerit, reflectes, fortiterque illam emendare tibi propones, eo modo, quo in aliis materiis fieri debere jam monuimus.

5. *Considerationes de Inferno.*

1. OB oculos tibi propones terribilem locum istum, qui est vasta quædam concavitas in centro terræ sita, plena flammis, formidabili quadam ac terribili activitate damnatorum corpora adurentibus, nec tamen consumentibus.

2. Considerabis alias pœnas sensibiles: singuli enim illic sensus sua peculiaria sustinebunt tormenta, præter vermem conscientiæ, quæ erit æterna quædam pœnitudo de cœli amissione, continuusque de admisso peccato remorsus.

3. Peculiarius oculi horribili terrebuntur visione dæmonum; aures fragorem audient, terribiliumque plurimarum vocum confusionem, sicut & blasphemias, clamores, ululatus &c. odoratus fœtores percipiet horrendos; Lingua potabitur felle omnibusque quam maximè abominabilibus venenis.

4. Istarum pœnarum æternitatem. *Quia vermis eorum non moritur & ignis eorum non extinguitur*, inquit Christus Salvator noster. Marc. 9. 43.

Apoc. 19. 3. *Et ascendet fumus eorum in sæcula sæculorum*, adjungit sanctus Joannes Evangelista.

5. Tandem produces & reflexiones & resolutiones necessarias, atque ad fructum ex his considerationibus speratum eliciendum opportunas.

6. *Considerationes de æterna gloria.*

Platea & muri ejus ex auro purissimo, portæ nitent margaritis &c.

1. LOcum tibi exhibebis illi, quem supra de inferno descripsimus, omninò oppositum.

2. Est videlicet iste locus plenus luce, quæ nunquam deficit vel obscuratur. Auro est purior, chrystallo lucidior, ubi felix regnat immortalitas.

Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ & torrente voluptatis tuæ potabis eos Ps. 35. 9.

3. Anima illic inebriatur incomprehensibili felicitate, quia intellectus potietur clara Dei visione, voluntas verò illius fruitione, amori ejus suavissimo, ampliusq; quam quis unquam sit expertus penetranti, sociatâ.

Tunc justi fulgebunt sicut Sol in regno patris sui. Matth. 13. 43.

4. Corpus illic plenum gloriâ Solis instar fulgebit, & quatuor donis, impassibilitatis, subtilitatis, agilitatis & claritatis beabitur.

5. Quinque sensus omnibus, quarum quidem capaces fuerint, recreationibus perfundentur, idque singulari quadam cum puritate ac spiritus elevatione, quæ Deo semper illos retinebit unitos.

Erunt sicut Angeli Dei in cœlo. Matt. 22. 30.

6. Gloriosa electorum omnium, sicut & beatorum spirituum, societas non parum ad lætitiam paradisi conferet, potissimùm verò aspectus & societas sacratissimæ humanitatis Salvatoris nostri, & illius sanctissimæ matris.

7. Tan-

7. Tandem reflexiones elicies & resolutiones necessarias, ad fructum concupitum ex istis considerationibus percipiendum accommodas.

Beati immaculati in via. tanquam si diceret, si vis esse beatus, esto immaculatus. D. Aug.

Quantum ad ea, quæ de quatuor novissimis dicta sunt, adiri poterit Catechismus noster in quo abundantissimam meditationis materiam quis inveniet.

CAPUT IIX.

De aliis meditationum materiis proficientium proprius.

DIximus jam superius proficientibus ordinariè meditandum esse de virtutibus, de vita, miraculis & passione Salvatoris nostri, de sanctissimo Sacramento, de vita B. Virginis, de exemplis Sanctorum, de votis ac regulis Religionis, de sententiis sacræ Scripturæ, & aliis similibus argumentis illorum intellectui in via Dei magis magisque illuminando accommodis.

1. *Consideratio de virtute in genere.*

Causæ.
1. Exemplaris.
2. Efficiens.

SI quis igitur meditari voluerit de virtute in genere, considerabit

1. Illius naturam, putà quod sit sanctus quidam habitus, excellens qualitas, certum ornamentum, perfectio & decor animæ, eos, qui illam possederint, felices reddens, atque ad bene operandum disponens.

Qui deficit sibi, ut virtuti adhæreat, amittit quod suū est, accipit quod æternum est. D. Amb.

2. Causas illius. Est enim excellens quædam participatio & imitatio alicujus perfectionis Dei, nobilissimusq; gratiæ Spiritus sancti in animabus nostris relictus effectus.

3. Proprietates illius & effectus, putà quod Deo nos reddat gratiores, atque, ut ipsi ad orationem præsentemur, digniores, magisque ad vitium oppositum expugnandum expeditos, quod nostrum hic in terris adaugeat meritum, gloriamque in cœlis.

Mens non potest habere regnũ virtutum, nisi excusserit regnũ vitiorum. D. Aug.

4. Finem, quem spectat, scilicet ut illius beneficio minuatur & penitus extirpetur naturalis illa repugnantia, quâ abhorremus à bono; & destruantur quas experimur inclinationes in malum.

5. Posthæc si quis meditari voluerit de virtute aliqua in particulari, illius poterit considerare pulchritudinem atque excellentiam ex oppositione turpitudinis ac deformitatis vitii contrarii: poterit & seipsum ad illius amorem excitare aliquo illius exemplo nobis à Christo Domino, B. Virgine, aut sancto quodam relicto.

6. Tandem postquam supra seipsum se reflexerit, videritque quantum in virtute illa sive profecerit, sive defecerit, illi studere amplius imposterum statuet, hujusque propositi sui efficaciter exequendi media sibi proponet. Exemplum subjicimus.

2. *Consideratio virtutis alicujus in particulari.*

Assuetudo materiam suggeret atque aliarum omnium erit exemplum. Considerabis igitur

1. Illius naturam, putà, quod sit tranquilla quædam ac pacis plena animi æqualitas, quæ nullis injuriis aut offensis turbatur. Quòd sit cor

cor expers omnis amaritudinis, quod in medio injuriarum est sicuti *homo non audiens & non habens in ore suo redargutiones.* Ps. 37. 15.

2. Causam illius effectivam, quæ est contemptus suiipsius, quisquis enim est verè humilis, hic etiam mitis est & mansuetus.

3. Illius proprietates sunt, nimiam audaciam aliorum offensioni obnoxiam reprimere, nunquam cogitare nisi cogitationes pacis, reddere pro malo bonum &c.

4. Illius effectus sunt, nos semper reddere tranquillos, lætos & ad loquendum de Deo paratos; imò & nos reddere omnibus hominibus gratos & amabiles &c.

5. Finis illius est, nobis obtinere possessionem terræ viventium, juxta illam Salvatoris nostri sententiam: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Matth. 5. 4.

6. Quod si cum opposita comparetur iracundia, eò apparebit illa jucundior, gratior & amabilior, quò vitium istud est ingratius & horribilius.

7. Excellentissimè virtus ista eminuit in Salvatore nostro, Agno ab Isaia Propheta assimilato: *Sicut ovis ad occisionem ducetur & quasi agnus coram tondente se non aperiet os suum.* Et Apostolus Petrus dicit: *Quod cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur.* Isa. 53. 7. 1. Petr. 2. 23.

8. Tandem supra temetipsum, & supra vitam tuam te reflectes, ut intelligas, quantum hucusq; à perfecta virtutis illius possessione abfueris, simulq; considerabis, in quibus imposterum occasionibus virtutis illius praxi amplius possis studere.

3. *Considerationes de actionibus, dictis, & doloribus Salvatoris nostri.*

TOta Salvatoris nostri vita ad tria potissimum capita reduci potest : Scilicet ea *quæ dixit, quæ fecit, & quæ passus est. Multa dixit, mira fecit, dura passus est*, inquit S. Bernardus. Tres istæ considerationes tria possunt meditationis puncta constituere. Verùm cum illæ nimis sint generales, satius erit quodlibet ex iis, quæ dixit, fecit aut passus est, seorsim ac sigillatim expendere, idque ab ipso inchoando mysterio Incarnationis, atque usque ad glorioſam ejus Ascensionem continuando. Considerando videlicet vitam illius pauperem, humilem ac pœnosam, actiones ejus heroicas, zelum, quem, habuit salutis animarum nostrarum, miraculosas morborum curationes, contemptus, ac tandem mortem contumeliosam, quæ omnia pulcherrima in se comprehendunt documenta, quæ propriâ quivis consideratione evolvet. Verùm in quolibet ex hisce punctis quivis poterit considerare

1. Quis sit ille, qui dicit, facit, aut patitur ista? Est videlicet Filius Dei.

2. Pro quibus dicit, facit, aut patitur talia? pro hominibus peccatoribus & ingratis.

3. Quo fine? ob nostram salutem, & ad nostram eruditionem ex illius dictis hauriendam & exemplis,

4 Quo cordis sui affectu talia dixit, fecit, aut passus est.

5. Qua gratia, suavitate, humilitate atque exteriori modestia.

6. Alias

6. Alias loci; temporis & personarum circumstantias.

7. Considerare exinde quis poterit fructum, quem ex istis percipere debeat, simulque se ad illum amplectendum resolvet.

4. *Considerationes de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.*

1. COnsiderabis historiam, ac seriem Institutionis illius.

2. Causas istius institutionis. Illud etenim Salvator noster instituit. 1. Ut esset nobis sanctissimæ passionis suæ rememorativum. 2. Ut suum erga nos testaretur amorem. 3. Ut nobis esset sacrificium. 4. Ut esset pignus æternæ gloriæ. 5. Ut esset animarum nostrarum cibus &c.

3. Miracula, quæ in ipso reperiuntur. 1. Quod panis & vinum esse desinant eodem, quo sacerdos verba consecrationis protulerit momento. 2. Corpus Christi Domini, quod in cœlo habet debitam extensionem, hic est quasi contractum ad quantitatem exiguæ hostiæ. 3. Ipsum non dividitur, etsi hostia frangatur. 4. Eodem tempore in pluribus Ecclesiis diversisque reperitur altaribus. 5. Quilibet ipsum manducat, neque tamen diminuitur. Atque omnia hæc miracula non operatur, nisi ut miseram invisat animam, quo satis commonstrat, quantum amet, quantique faciat salutem nostram, pro qua tanta operatur.

4. Effectus, quos divinum hocce sacramentum producit. Quia 1. ultra gratiam sanctificantem quam confert. 2. Replet consolatione cœlesti omnes illos, qui ipsum devotè recipiunt. 3. Loquens nobis ad cor, illuminat intellectum nostrum lumine suarum cœlestium veritatum. 4. Voluntatem nostram animat & excitat. 5. Et quasi ex superabundanti gratia ipsis corporibus nostris puritatem omnino confert singularem.

5. Considerare etiam poteris & expendere Antiphonas, hymnos, psalmos, versus, aut sententias, quæ hocce Augustissimum Sacramentum tangunt, idque eo modo, qui inferius exponetur.

6. Pro sacra communione etiam considerare poteris, quis sit, qui venit. 2. ad quem. 3. quare. 4. quomodo veniat. Omnes etenim considerationes istæ excitabunt te, ut illum expectes cum desiderio. 2. ut illum recipias cum puritate, humilitate, reverentia, ac magno charitatis affectu. 3. ut humiles ei reddas actiones gratiarum, omninoque statuas imposterum nihil admittere in conscientia tua, quod illam possit inquinare, aut tantum hospitem tuum ullatenus offendere.

5. *Methodus meditandi vitam, & virtutes B. V. Mariæ.*

4. MEditari poteris vitam *Beatissimæ Virginis Mariæ*, sicut vitam Christi Domini Salvatoris nostri, argumentum tuarum meditationum desumendo ex omnibus illius festivitatibus, quas toto anni circulo peragere solet

solet S. Ecclesia, ab immaculata ipsius Conceptione usque ad gloriosam in cœlos Assumptionem, aut certo quodam ordine singulas illius considerando virtutes, aut denique expendendo Antiphonas, hymnos, Lytanias, aut alias in honorem illius conscriptas sententias. Deinde reflectes te supra teipsum, considerabisque quàm parùm tu imiteris hanc purissimam & sacratissimam Virginem, maximamq; concipies confusionem, quod illius vestiaris habitu, illiusque glorieris te in ordine vivere, cujus vitæ tamen adeò parùm studueris hactenus vitam tuam conformare. Examinabis deinde causas, cur illam adeo parùm imitatus hactenus fueris, omninoque propones illius imitationi ferventius studere, & media ad id faciendum inquires, atque illa adhibere statues.

6. *Considerationes super vita alicujus Sancti.*

1. COnsiderare poteris insigniores illius virtutes, quas in hac vita exercuit.

2. Fidelitatem in mortificando semetipso, & in gratiæ divinæ correspondendo.

3. Quantum Deo ob insignia hæc exercitia placuerit.

4. Ingentia illa merita, quæ sibi in hoc mundo acquisivit, atque etiam amplissimam illam gloriam, quam obtinet modò in cœlis in suarum mortificationum atque operum bonorum remunerationem.

5. Quantum apud Deum valeat precibus suis & intercessionibus.

6. Dein-

6. Deinde reflectes supra teipsum, & proposita convenientia concipies. Poteris etiam (& quidem multò melius) particularem aliquam illius virtutem, aut aliquod ex illius exemplis, atque illud considerare eo modo, quo diximus cap. 6. ubi ostendimus quomodo in materiis intellectualibus dilatare te debeas.

7. *Considerationes super votis & Regulis Religionis.*

De votis, MOdus meditandi de votis est omninò similis modo, quo quis meditari debet super aliqua virtute, adjungendo duntaxat strictas illas obligationes, quas habemus illa integrè & perfectè servandi. Verùm super *Regula, Constitutionibus & sanctis Religionis praxibus* considerabis:

Puncta meditationis circa Regulã alicujus Religionis.

Pro Christo legatione fungimur.

2. Cor. 5. 20

1. Illas non esse nobis præscriptas ab hominibus, sed ab ipso Deo, cujus hac in parte homines fuêre vicarii, dicente Salvatore nostro: *Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit.* Apostolus etiam primis Christianis aliquid præcipiens inquiebat: *Præcipio non ego, sed Dominus.*

1. Cor. 7. 10.

2. Illas esse efficacia media à Deo ad nostram prædestinationem ordinata, sine quibus periculum manifestum incurrimus in graviora vitia prolabendi, arque ita salutis nostræ discrimen adeundi.

3. Illas esse æstimatas, honoratas & ad amussim observatas à pluribus Ordinis nostri magnis sanctis, qui etiam illarum beneficio & observantiâ sanctitatem amplissimam sunt consecuti.

4. Dei

4. Dei illas nobis præscribentis intentionem pariter fuisse, ut nos sancti evaderemus.

5. Quantum animabus nostris illæ conferant emolumenti, omnes imperfectionum quarumvis occasiones pręscindendo, & in nobis vices quasi quorundam obeundo repagulorum, quibus violenti naturæ nostræ impetus cohibeantur, atque intra suos limites coerceantur.

6. Considerabis denique, quanti illas hactenus æstimaveris, & num illas fideliter observaveris. posteaque propones illarum observantiæ inviolabiliter atque immobiliter deinceps insistere.

8. *Considerationes super sententiis sacræ Scripturæ.*

SI cupis meditari super *sacra Scriptura*, aliquas oportet ex illa tibi seligas sententias, quas deinde de verbo ad verbum expendes, tantumque cuilibet insistes, quantum affectus invenies, quolibet in puncto supra teipsum reflectens, ut intelligas, quid inde elicere possis spiritualis emolumenti.

Quòd si tamen modum hoc in argumento te dilatandi nosse cupias. Considerabis

1. Quis ille sit, qui hancce veritatem edixit.

2. Quo fine, sensu & affectu illam pronunciaverit.

3. Quomodo illam ipse prius in praxin redegerit.

4. Quid à nobis exigat Deus consequenter ad veritatis istius cognitionem.

5. Quale

5. Quale hac in re exemplum nobis dereliquerint sancti, & quem inde fructum modò in æterna felicitate percipiant.

6. Quomodo tu hactenus veritatis illius praxi studueris, & quid imposterum facere debeas.

7. Firmo concipies proposito inde fructum illum eliciendi, quem Deum à te requirere hac in veritate cognovisti.

9. *Considerationes de Beneficiis Dei.*

SI meditari volueris de *Dei* in te *beneficiis*, illa accipere poteris vel omnia simul, vel unum post aliud, aut unam cujuslibet partem, ut tibi suppeditet meditationis materiam. Ex istis verò aliqua omnibus omninò hominibus sunt communia, ut Creatio, Conservatio, & Redemptio: alia communia quidem sunt pluribus, sed non omnibus, ut vocatio ad Fidem & justificatio, alia sunt paucis personis peculiaria, ut vocatio ad Religionem, ac demum veræ pœnitentiæ & conversionis gratia: atque alia denique sunt cuilibet singularia, ut quod natus quis sit bonis ac virtuosis parentibus, quod sit bonæ indolis, propensus ad virtutes, bene in sua tenera ætate educatus & instructus, à certo quodam ereptus periculo, quod plures receperit interiores Spiritus sancti inspirationes, quod aliquando gratiis illius tenerè quasi fuerit affectus, quod ab ordinariis mundi dissolutionibus ac vitiis fuerit præservatus, aut certè ab illis misericorditer revocatus, & similia. De quolibet igitur beneficio considerare poteris:

1. Quan-

1. Quantum illud sit.

2. Quis sit ille, à quo ipsum processit?

3. Quid illum ad ipsum tibi conferendum potuerit permovere.

4. Quo fine, quave illud intentione tibi concesserit.

5. Quis tu, cui ille benefecit.

6. Quantum illi idcircò debeas.

7. Quam hactenus ei ingratus extiteris, beneficium non recognoscens, aut nullum ex illo fructum percipere contendens.

8. Quid imposterum facere debeas.

9. Bona concipies proposita præcedenti meditationi conformia.

10. *Considerationes super attributis divinis.*

DE *attributis* seu *perfectionibus* Dei, exempli gratia, illius potentiâ, sapientiâ, misericordiâ, justitiâ, sanctitate, providentiâ & similibus considerabis

1. Excellentiam infinitam perfectionis illius in seipsa spectatæ.

2. Signa illius, quæ Deus ipse exhibet creaturis.

3. Exempla illius, quæ nobis exhibet sacra Scriptura.

4. Qua in re nos ei nos possumus conformare.

5. Quantum in hoc defeceris hactenus, & quid tibi deinceps sit faciendum.

Ecce ea omnia, quæ proposueramus circa secundam orationis partem, quæ est meditatio. Tertiam jam auspicabimur, quæ sita est in affe-

affectibus ; dubia verò & difficultates, quæ circa ea, quæ diximus jam, moveri possent, deinceps resolvemus.

CAPUT IX.

De Affectibus.

SUperius diximus, omnem orationis fructum consistere in affectibus, illosque esse scopum, ad quem nostra omnis contendere debet meditatio. Parum enim nobis serviet, si de Deo ac rebus spiritualibus multas habeamus insignes cognitiones & conceptus, neque tamen cor nostrum illorum amore sit inflammatum. Et sicut parum proficeret pauperi, si ingentem aliquem videret thesaurum, neque tamen possideret : aut famelico si videret mensam opiparis instructam ferculis, neque tamen inde comederet, ita profectò parum tibi conferret emolumenti, quod oculis tui intellectus videres spirituales veritates, nisi etiam inde gustum aliquem interiorem persentisceres, & affectu ac desiderio quodam ardenti ad illas contenderes. Verùm tametsi is, qui thesaurum corporeum desiderat, non propterea illum statim possidet : affectus attamen ac desiderium rerum spiritualium adeo illas nobis appropriat, ut ex illis fructum omnem desideratum percipiamus. Nihilominus invenire est quædam ingenia curiosa, quæ nunquam finem suis imponũt meditationibus, & nullũ aut certè valdè exiguum tempus permittunt voluntati, ut suos illa eliciat affectus, ac propterea hujusmodi

modi homines ab oratione discedunt ita frigidi & aridi, atque ad illam sunt ingressi, quia illorum meditationes, quas convenientius quis appellaverit speculationes, lumina sunt sine calore, & omnes illorum considerationes similes sunt soli hyberno, qui illuminat, nec tamen calefacit; ex quo etiam fit, quod terra cordis eorum nullum producat fructum bonum, atque ex omnibus exercitiis illis spiritualibus, quæ faciunt, nihil reportent aliud, quàm curiositatem, superbiam ac vanitatem.

Non esse nimium tribuendū intellectui.

Non est nobis inquirendum, inquit Gerson, in quo consistat virtus præcisè ut sciamus, verùm ut amemus illam & in praxin redigamus, atque ita reipsa virtuosi evadamus. Considerare debemus, ut cognoscamus, at verò cognoscere non debemus, nisi ut amemus, ad exemplum Regii Vatis, qui de seipso ait: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.* *Ps 38. v. 4.*

Quamprimùm igitur adverterint Fratres nostri, voluntatem suam incipere inflammari, sive per interiorem Dei attactum absque eo quod multum adhuc sint in consideratione progressi, sive beneficio considerationum, quas ei exhibuerit intellectus, cessabunt à discursu, ut illi tempus concedant sanctos affectus, quos conceperit, producendi. Cujus rei ut certam eis methodum præscribamus, dicemus primo:

Inveni, quem dilegit anima mea, tenui eum, nec dimittam. Cant. 3. v. 4.

Quid sit affectus, & quomodo ille in cordibus nostris enascatur.

AFfectus, de quo hic loquimur, est certa quædam commotio cordis, sive sanctus

Quomodo producatur affectus.

quidam ardor in anima nostra natus aut ex solo attactu ac secreta impressione gratiæ Spiritus sancti, aut ex præmissis considerationibus intellectus. Duobus enim ille modis nascitur: Primò videlicet per infusionem extraordinarii cujusdam luminis, unico momento intellectum hominis adeo illustrantis, ut rem clarius multò perspiciat, quam si duas aut tres horas continuas in meditatione insumpsisset, non secus atque ubi radius quidam solaris ingreditur per fenestram in aliquod conclave, multo ampliùs ipsum illuminat, quàm si plures illic accensæ forent candelæ. Hoc vero lumen, cognitio atque interior claritas procedit immediatè à Deo, qui simul voluntati imprimit fortem quidem, sed tamen suavem aliquam inclinationem ad se veritati cognitæ conformandam.

Multi hocce genus interiors commotionis experiuntur etiam priusquam sciant quid sit oratio, prout accidit non rarò quibusdam Adolescentibus sæcularibus, quibus Deus inspirat mundo valedicendi propositum, illis quandoque in suis communionibus quasi in ictu oculi omnes miserias atque omnia commonstrando pericula, quibus expositi sunt, quamdiu in mundo remanent.

Alter modus, quo producuntur affectus, est communis & ordinarius, & ex parte dependens ab humana industria, qua anima, postea quam certæ materiæ considerandæ intendit, atque aliquam veritatem percepit, illi insistit, illam amat,, desiderat, amplecti pro-

proponit, & media ad hoc propositum convenientia intendit. Id quod modo fit adeo naturali ac suavi, ut absque ulla ad ea, quæ hic præscribimus, præcepta, aut ad ullam industriam reflexione quamprimum anima percipit rem aliquam amabilem, statim ex seipsa in illam feratur amandam, aut si odio dignam perceperit, illam odisse & aversari incipiat. Adeoque applicatio intellectus nostri ad meditandum est quidem illa plena industriâ, & nostris est conjuncta laboribus; Verùm ubi quis propositam veritatem semel meditando cognoverit, sine ullo deinde labore aut industria affectu erga illam animus movetur, sicut multâ nequaquam estopus industriâ, ut ad bellam quandam imaginem aut aliam quamvis rem, quam vidimus, desiderandam, aut rem deformem nostris objectam oculis aversandam impellamur: Sufficit enim hujusmodi res videre, ut priores quidem amemus, alias verò fugiamus & aversemur.

De differentia affectuum.

INter affectus ea intercedit differentia, quod aliqui ferantur in res bonas, sanctas, ac virtuosas, ut eas desiderent; alii vero feruntur in res malas ac vitiosas, ut eas detestentur. Aliqui eorum pleni sunt ardore, alii mirâ animum suavitate afficiunt. Aliqui sunt prompti & acuti, alii tardiores sunt ac suáviores, sed tamen efficaces. Aliqui denique sunt purè spirituales, quos non

nisi sola degustat voluntas, alii simul spirituales sunt ac sensibiles ; id quod fit, ubi passiones partis sensitivæ affectibus voluntatis conjunguntur : quod duobus contingere solet modis. Primò quando objectum sensibile est & imaginarium, tunc enim appetitus sensitivus (qui in parte inferiori correspondet imaginationi, sicut voluntas intellectui in superiori) primò commovetur atque istâ suâ commotione non parùm juvat ad affectus voluntatis ardentiores excitandos.

Quomodo fiant affectus sensibiles.

Alter modus est, quando argumentum meditationis est purè spirituale, ita ut non nisi valdè parùm operetur imaginatio. Tunc enim voluntas primò sentit illas sanctas commotiones, quæ tamen nonnunquam adeò magnæ sunt, ut anima, quæ in superiori parte illis abundat, per redundantiam in inferiorem quoque partem aliquid inde transfundat. Tametsi verò omnes actus interiores perfectionem suam ac totam rationem meriti potissimùm habeant à voluntate ; adeoque illi non eo minus sint Deo grati, quod sint producti absque sensibilitate, imò & cum repugnantia partis ipsius inferioris : attamen gratia est singularis, quam Deus concedere solet quandoque Novitiis, ubi illis indulget gustus aliquos sensibiles, qui orationem ipsis reddunt facilitate plenam & suavitate. Illa enim interior suavitas & delectatio multum confortat proposita, quæ tunc concipiunt, actus ipsorum reddit ferventiores ac voluntarios, atque illos fortissimè inescat, ut imposterum huic divino exercitio totos se dedant.

Affe-

Affectus, quos concipimus ex consideratione boni, sunt amoris, desiderii, gaudii, spei, admirationis, laudis Dei & similes. Illi verò quos concipimus ex consideratione mali, sunt odii, horroris ac timoris, ne eveniat. aut tristitiæ si evenerit, & alii hujusmodi. Verùm sicut in particulari magnum intercedit discrimen inter ea, quæ intellectui suppeditant materiam meditationis, ita etiam in particulari inter affectus, quos super quamlibet materiam in singulari producere possumus,, magna intercedit differentia. Quare sicut superius materias meditationis magis ordinarias ad certa reduximus capita sive considerationes, conformiter ad tres status Incipientium sive Novitiorum, Proficientium & Perfectorum, ita imposterum agemus de affectibus ex iisdemmet considerationibus nasci solitis, tametsi in generali possimus dicere, inter affectus pluris faciendos esse illos, qui tendunt ad praxin illius quod meditati sumus, quam quosvis alios, qui sunt quasi mediâ ex parte speculativi, atque ex quibus fructus omninò nascuntur exigui, ut sunt admirationes, exclamationes & hujusmodi.

Ita Dominus noster Iesus Christus in spiritu gavisus est. ubi ait: Confiteor tibi pater, Domine cæli & terræ, qui abscondisti hæc à Sapientibus &c.

E contra in horto ad intuitum peccati tristatus est dicens: tristis est anima mea usq; ad mortem.

De ordine, quem quis in eliciendis tenere debet affectibus.

QUoad ordinem, quem ea in re observare oportet, sequenda est directio gratiæ Spiritus sancti, ubi illam in nobis experimur, non attendendo ad statum, in quo sumus constituti. Verùm ubi Deus nostræ propriæ nos relinquit industriæ, sequendus est ordo, quem ipse

in conversione servat animarum, atque illarum ad perfectionem conductione.

Ordo autem ille talis est, quod ubi aliquem ex abysso peccatorum decrevit educere, primò illum statim terret, imprimens illi fortem ac vivam apprehensionem suorum judiciorum, illi miserabilem suum statum ostendens simul ac rigorem & severitatem suæ justitiæ, ex quo in illo nascuntur desideria verè & efficaciter se convertendi.

Affectus proprii status incipientiũ.

Deinde paulatim crassas intellectus illius tenebras dissipans, illi distinctè ostendit ipsius extremam ingratitudinem & malitiam, suam verò amoris plenam in illo in peccatis suis tollerando, atque ad pœnirentiam expectando, patientiam, ex quo nascitur dolor intensissimæ contritionis. Atque ista conveniunt statui *Incipientium.*

Affectus proprii status Proficientium.

Ex hinc ordinariè Dominus noster illum facit reflectere super ea, quæ amore illius ipse pertulit, ac præcipuè super mysteria suæ vitæ, mortis ac passionis, illi inspirans affectus permagnæ erga ipsum teneritudinis, qua ille ratione obligatur ad ubique & in omnibus quærenda media ipsi placendi, atque in omnibus satisfaciendi, imitando admirabiles illius virtutes, atque istud proprium est statui *Proficientium.*

Affectus proprii status Perfectorum.

Tandem posteaquam anima ipsa jam habitus quarundam acquisivit virtutum, divina Majestas illam altiùs solet elevare, atque ad cordis sui secretum conducere, ubi illius admirabiles dulcedines aliquatenus valeat degustare. Eo fine aliquos in ipsam suarum divina-

rum

rum perfectionum radios transfundit, quibus illa tanto accenditur amore, ut fundi ac liquefieri debere videatur, ut Deo incorporetur, atque ista propriè spectant ad statum *Perfectorum*.

Novitii igitur atque *Incipientes* magis debent colere, conservare, & fovere affectus viæ purgativæ, quàm alios, tametsi eminentiores illi sint, Hoc est, communes illorum affectus esse debent. 1. Contritionis ac peccatorum detestationis. 2. Metus malæ mortis. 3. Apprehensionis judiciorum Dei. 4. Pœnitentiam de vita præterita agendi desiderii. 5. Contemptus mundi. 6. Propositi firmi Deo totaliter se addicendi, ut vitia possint impugnare, tentationibus resistere, ac sensus suos mortificare.

Proficientes amplius debent immorari affectibus, qui illos inducunt 1. ad habendam teneram erga humanitatem Christi Domini devotionem. 2. Ad perfectam illius aut Beatissimæ Virginis, Sanctorumque imitationem. 3. Ad fugam peccatorum venialium atque etiam levissimarum imperfectionum. 4. Ad perfectam suimetipsorum abnegationem, ut etiam in subtilissimis amoris proprii prensationibus se mortificent. 5. Ad solidam atque exactam praxin virtutum, aliaque, quæ ad vitam pertinent illuminativam.

Perfectis hic nulla præscribitur regula, hanc enim ipsi ab ipso Deo recipiunt, ubi in suis exercitiis spiritualibus interius à Spiritu sancto moventur ac diriguntur: atque intimi illorum affectus sunt aut totalis amissionis & resignationis suiipsorum in manus Dei, aut simplicis

ac nudæ adhæsionis ad Deum, aut transformationis, uniformitatis, Deiformitatis, & similium, ad quæ nulla ars, nullaque potest humana pervenire industria, tametsi illa nos possit ad hunc perfectionis apicem disponere, ad illum enim eminentem orationis gradum per illas praxes humiliores, de quibus hic agimus, pervenitur.

Nemo tamen persuadere sibi debet, affectus istos cuilibet ex tribus prædictis statibus ordinarios, ita esse illis proprios, ut illi qui in alia via sunt, illis nunquam possint aut debeant affici, etenim contingere non rarò solet, quod Deus animas etiam perfectissimas aliquo sui timore percellat, & è contra qui vix dum Deo servire incipiunt, frequenter Dei amore sic inflammantur, ut credant se jamjam perfectè illi ac totaliter posse uniri. Verùm affectus isti transitorii sunt, postea enim quàm illos quis persenserit, atque illis etiam pro tunc locum dederit, quo ita (ut inferius dicemus) motum & attractum Spiritus sancti sequatur, statim ad viam suam ordinariam necesse est ut revertatur, ut statui suo conformiter agat.

Quomodo affectus sint eliciendi & continuandi.

Affectus continuandorum & protrahendorum industria.

HOc tandem unicum dicendum nobis restat; videlicet ad continuandos protrahendosque affectus posse nos uti certis quibusdam industriis, illis, quas supra pro dilatanda meditatione præscripsimus, haud absimilibus: hoc est, per conversiones & Apostrophas, nunc ad Deum, mox ad Beatissimam Virginem

ginem, Angelum noſtrum cuſtodem, aut aliquem ſanctum, quandoque etiam ad ipſas creaturas nos convertendo: ſuper omnia tamen faciendo haud infrequentes reflexiones ſupra nosipſos, ut nosmetipſos de noſtris tepidatibus ac negligentiis arguamus, atque animas noſtras multis rationibus excitemus, animemus atque impellamus, ut ſe reſolvant ad ea, quæ meditando cognovimus, ſtrenuè atq; indefeſsè executioni mandanda.

Quando ſint affectus producendi.

Quoad affectuum producendorum tempus; ſunt, qui illos immediatè poſt quamlibet eliciunt conſiderationem. Alii uſque ad finem omnium conſiderationum expectant, alii denique affectus ſimul cum conſiderationibus conjungunt & quaſi æquali gradu producunt. Ex tribus his methodis quivis ſeligere poterit, quæ ei videbitur eſſe convenientior ac fructuoſior. Aliqui enim facilius & commodius affectus ſtatim poſt conſiderationes ſingulas eliciunt, quod etiam reverà videtur eſſe magis congruum atque Incipientibus magis proprium. Alii plurimas ſimul rationes & conſiderationes quaſi accumulant, ut fortius adigant & efficacius impellant voluntatem ad capeſſendas, quas intendunt, reſolutiones. Alii deniq; hoc ſibi experiuntur commodius ac fructuoſius, ut uniant intellectum unà cum voluntate, atque omnes ſuas conſiderationes habeant affectivas, atque iſte modus eſt maximè proprius illis, qui jam aliquem fecerunt in oratione progreſſum, aut illis, qui multum ſe ſentiunt à Deo tactos. Inferius ponemus for-

mulas juxta tres illas methodos, ut illæ serviant pro norma & exemplo.

CAPUT X.

De aliquibus affectibus generalibus pro qualibet cujusvis generis oratione. Et primò de gratiarum actione.

INter quamplurimos affectus, quos in oratione concipere atque elicere potest voluntas, quatuor sunt, quos *generales* appellant & *universales*, eo quod in omnibus illi queant orationibus elici, quacumque demum illæ de materia instituantur. Illi sunt primò Gratiarum actio. 2. Bona proposita. 3. Oblatio & 4. Petitio, de quibus nunc in particulari agemus.

Definitio gratiarum actionis propriè dictæ.

Gratiarum actio accipitur duobus modis. Primò enim maximè propriè atque in significatione valde stricta accipitur pro quadam animi commotione, qua Deo pro collatis beneficiis gratiarum actiones reddimus. Secundò in acceptione largiori sumitur pro quibuslibet laudibus, quas Deo persolvimus, sicut exempli gratia quando in Missæ officio canimus: *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam*, id est, benedicimus tibi, laudamus te propter magnam gloriam atque infinitas tuas perfectiones. Et sicut etiam aliquando dixit Salvator noster: *Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapienti-*

Gratiarũ actio sæpè accipitur pro laude.

Matth. 11. v. 25.

pientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis, idest, laudo te ac benedico.

Quod hic confiteor dixit, idem valet quod gratias ago. Chrys.

Hic autem affectus in quavis oratione locum habet, tam in una quam in altera acceptione, sive videlicet accipiatur pro actu gratitudinis, sive pro actu laudis Deo exhibitæ. Deo enim gratias agere possumus non solùm de beneficiis nobis exhibitis, cùm illa meditamur, verùm etiam de gratia nobis actu in omni oratione exhibita, quod videlicet nobis ad se accessum præbeat, suisque nos cœlestis lucis radiis illustret dicentes exempli gratia:

Quomodo gratiarum actio locũ habeat in quavis oratione.

Formula gratiarum actionis.

Gratias tibi ago, Domine, de tua ineffabili erga me bonitate; cum etenim à tua divina facie repelli meruissem ob meas infinitas negligentias, & quotidianas in tuo servitio socordias, tu nihilominus, ut coram tua divina Majestate compaream, permittis. Neque hoc dumtaxat, verùm etiam gratias gratiis & beneficia cumulans beneficiis, cœlesti tuo lumine me illustrasti, ut talem vel talem veritatem cognoverim, cujus etiam modò sensu me afficis interiori, de quo tibi ex intimo cordis mei affectu gratias ago. Hanc formulam quilibet poterit dilatare pro sua, quam persentiscet, devotione.

Hoc affectuum genus Deo gratissimum est; sicut enim monumentum omnino nullum labitur, quo illius erga nos bonitatem non experiamur, sive quia nos præservat ab imperfectionibus & peccatis, in quæ prolabi possemus, sive quia plures nobis suggerit sanctas inspirationes

ac

Quantum Deo placeant gratiarum actiones.

ac lumina, quibus ad virtutem permoveamur. Eapropter etiam à nobis requirit gratitudinem, ut proinde illis omnibus gratiis mereatur ille privari, qui pro iis est ingratus, neque debitas illi gratiarum actiones exsolvit.

Consuetudo laudabilissima.

Sunt, qui quovis die notabile orationis suæ tempus, sive in principio, sive in fine orationis suæ, impendunt gratiis suæ divinæ Majestati agendis pro particularibus illo die receptis beneficiis, putà quod sint à certa quadam liberati tentatione, quod aliquam fecerint actionem virtutis, & similibus; quæ omnia sunt effectus gratiæ Dei. Imò etiam extendunt se ad generalia, credentes nullum vitæ suæ diem debere transire, quin illi gratias agant, quod illos creârit, quod eousque conservârit, quod ad fidem Christianam & statum vocârit Religiosum, quod illos ad sacerdotii gradum (si illo sint insigniti) elevârit, aut ad minus quod sacro corporis sanguinisq; sui Sacramento illos non rarò refecerit.

Alii hos actus mane in directione generali, aut sub vesperum in examine conscientiæ producere amant, cuilibet id liberum est, prout interiorem persenserit devotionem, modò diligenter animadvertat, veluti nihil unquam nos oporteat incipere, quin à Deo prius illud fideliter ac bene perficiendi gratiam postulaverimus, ita post opus peractum nunquam esse gratiarum actionem intermittendam.

Praxis agendi gratias.

VErùm ut ad ea, quæ orationem concernunt, redeamus, sicut illa, uti neque ullus virtu-

virtutis cujusvis actus, fieri nequit, quin suam Deus gratiam communicârit, ita nunquam oblivisci oportet gratiarum actionis. Quod si quandoque videamur nobis à Deo derelicti ob exiguam, quam sentimus, devotionem, credendum nobis attamen est indubitatè illum oculos suos super nos semper habere apertos, de quo solo permagnam habemus occasionem ei gratias agendi, dicendique exempli gratia: Tu mihi hodierna die ostendere vis, Domine, hac tuæ lucis atque omnium interiorum, quos aliàs experiri solebam, attactuum tuorum subtractione, nihil te mihi debere, verùm ubi illa mihi indulges, id fieri per tuam misericordiam, atque etiam è contra ubi illa mihi denegas, id magnâ omninò fieri cum justitia. Certus attamen sum, me hic in conspectu divinæ Majestatis tuæ consistere atque à te fixis oculis me videri. Prô! infinities beatum me reputo, Domine, quod à te merear conspici, atque iisdem quidem oculis, quibus unicè dilectum tuum filium Dominum nostrum, ubi ille coram te pro nobis supplex assistebat, sicut etiam glorioſissimam Virginem atque omnes Sanctos, insignes tuos servos, intuitus fuisti. Gratias igitur tibi, quam possum, maximas ago, & quamvis in omnibus orationibus meis nullam aliam mihi unquam gratiam exhiberes, confiteor tamen, illam omnibus omninò meis meritis esse longe majorem.

Quando quis est quasi à Deo derelictus, sine ullo lumine & affectu.

Equidem certum est, gratiarum actionem videri magis propriè pertinere ad meditationem divinorum beneficiorum, & reverà tunc orationis illa partem haud posteriorem constituat

tuat necesse est. Quæ causa est, cur hic aliquas formulas subnectamus, pro exemplo sumentes passionem Domini nostri, tanquam unum ex præcipuis illius erga genus humanum beneficiis: Ille igitur, qui illam fuerit meditatus, gratiarum actionem reddere poterit hoc modo:

Formula gratiarum actionis de passione Domini nostri.

Gratias tibi ago, Domine, ex toto corde meo, quod mortem adeo pœnosam & crudelem pro me subire non fuisti dedignatus. Pro! quanti tibi constant peccata mea, quamque magnus est tuus erga me amor? Quantum hocce beneficium inæstimabile modis omnibus recognoscere obligor & obstringor? Ingratus sanè & infelix essem, si singulis vitæ meæ momentis tui non recordarer, tibique non viverem, quandoquidem omnia illa tuo tu sanguine pro me copiosissimè profuso acquisivisti? Pro! Domine meimetipsius oblivisceret potius, quam hujus adeo beneficæ & amoris plenæ adeoque copiosæ Redemptionis haud recordarer. Hoc tuum insigne beneficium nimis me obligat, ad amori æterno & incomparabili, quem erga me in hoc Redemptionis nostræ opere ostendisti, amore forti & invicto correspondendum.

Quis sum ego, & quis es tu, mi Deus, quod tanto me pretio redemeris, ut necesse fuerit Salvatoris ac dilectissimi Redemptoris mei Jesu Christi, unigeniti filii tui, sanguinem pro me, ad ultimam usque guttulam, profundi? Verè, Domine, tu nimias in me congeris & accumulas obligationes, tu me prævenis omnigenis benedictionibus dulcedinis, amoris & charitatis. Heu me? quid tibi retribuam aut

quas

quas gratiarum actiones persolvam? tota mihi non sufficeret æternitas ad te laudandum, tuasque erga me immensas misericordias magnificandas? ô si mille haberem corda & totidem linguas, quas gratiarum actionibus pro tuo ineffabili erga me amore persolvendis possem impendere? Verùm opto, ut omnes Angeli, omnesque creaturæ tuæ impotentiam meam suppleant. Sed hoc nimis parùm foret. Te igitur enixè oro, amantissime Domine, ut tuipse per teipsum te collaudes ac benedicas, quia præter te non est, qui dignè id possit præstare, sicq; ego divino spiritui tuo me uniam, ad te, per illum & cum illo, æternum benefactorē meum, Deum meum & omnia, recognoscendum.

Eadem quoque ratione circa omnia alia Dei beneficia, dona & gratias te poteris dilatare, neque unquam deficere tibi poterit argumentum, quia inter omnia, quæ meditari potueris, pauca erunt, in quibus singulare Dei beneficium, quod recognoscas, non occurrat.

1. In meditatione de peccatis gratias agemus Deo, quod ab illis nos præservarit aut liberarit.

2. De morte, quòd illam nobis non immiserit, cum in statu essemus peccati, sed tempus pœnitentiæ concesserit.

3. De judicio atque aliis materiis terribilibus, quod illas nobis dederit quasi totidem aggeres, quibus impetuosi perversarum inclinationum nostrarum torrentes cohiberentur, & quorum consideratio creaturarum in nobis amorem extingueret.

4. De inferno, quòd ab illo servati simus, cùm illum toties promeruerimus.

5. De

5. De cœlesti paradiso quod adeo magnificũ & beatum in futuram totam æternitatem habitaculum nobis præparaverit.

6. De virtute, quod illius acquirendæ illiusque possessione Dei gratiam obtinendi capaces nos creaverit, atque ita de cæteris.

Quod si quæ reperiantur argumenta, ex quorum consideratione nullo modo nos sentiamus gratitudinis affectu commotos, uti esse possunt perfectiones Dei aut actus virtuosi Sanctorum, nulla penitus inferenda nobis erit violentia, ut illum extorqueamus, sed satis erit Deum de re illa benedicere ac laudare, invitando in eum finem omnes creaturas, ut idem nobiscum faciant. Longe etenim melius & utilius est, unum actum interiorem cum omnimoda producere spiritus libertate, sequendo ductum & impulsum Spiritus sancti, quàm decem violenter extorquere aut artificialiter comparare, cùm præcipuè nullus in particulari sit absolutè necessarius, exceptis propositis ac petitionibus.

CAPUT XI.

De Resolutionibus ac bonis propositis.

In illis totus fructus orationis consistit.

Sicut diximus superius totum meditationis fructum in eo situm esse, ut sanctos concipiamus affectus, ita pariter dicendum hic nobis est, totum fructum affectuum consistere in eliciendis bonis ac efficacibus propositis. Quocirca cavendum nobis erit, ne tantùm qui-

quibusdam affectibus infructuosis atque in vanum elicitis, quantum bonis hisce propositis insistatur: qui etenim orationem finiret, quin ullum concepisset bonum propositum, similis illi foret, qui invitatus ad lautum convivium satis haberet cibos videre, in bono dapum ac ferculorum ordine sibi complacere, aut laudare splendorem ac magnificentiam illius, qui ipsum instruxisset, absque eo, quod quidquam gûstaret, sicque inde nullum alium fructum reportaret, quàm vanam imaginariam complacentiam.

E contra vidimus nonnullos, qui, cùm per totam orationis horam diversis fuissent infestati cogitationibus, ut nihil possent boni facere, attamen videntes esse se in fine orationis, absque eo quòd, ita loquendo, illius feciſſent initium, unico momento se recolligentes proposita conceperunt fortissima, quæ etiam fidelissimè sunt executi, fructumque inde uberiorem reportarunt iis, qui toto durante orationis tempore summâ pace ac tranquillitate fuêre perfruiti.

Hæc autem bona proposita sunt certi actus voluntatis per meditationem excitati, quibus homo fertur ad efficaciter amplexandum cognitum bonum, aut malum fugiendum. *Definitio.*

Verùm isti actus, ut fructuosi sint, quatuor habeant conditiones necesse est. Prima est, ut sint *specifici* circa rem aliquam in particulari, non verò in generali. Promittere enim verbi gratia, velle se humiliare, nihil promittere est. Quocirca specificandum est in quo, ut exempli gratia, amando & affectando offi- *Quæ conditiones sint necessariæ ad bona proposita. Prima conditio.*

cia viliora & magis abjecta, nunquam dicendo aliquid, quod vergat in propriam laudem & aliis hujusmodi.

Secunda conditio. Secunda conditio est, ut fiant cum *discretione*, non autem inconsideratè, aut juxta repentinum impetum affectus cujusdam sensibilis inordinati, sicut verbi gratia, qui sibi proponeret quærere occasionem Martyrii aut quotidie immensum elicere numerum actuum internorum, aut alia similia nimis difficilia aut viribus nostris evidenter majora.

Tertia conditio. Tertia ut *cujusvis statui sint conformia*, prout superius diximus, quia Novitii ordinariè debent sua proposita dirigere ad mortificandos suos sensus atque illos modestè compescendos, ad corpus suum aliqua in re affligendum, atque ad alia hujusmodi exercitia, quibus in illis nascatur aut foveatur spiritus compunctionis. Proficientes contendere debent ad solidam praxin virtutum, ac perfecti ad multa pro Deo toleranda, ad se summè attentos ad seipsos reddendos, ad se continendum semper in totali resignatione, atque integra spirituum & omnium, quæ possunt, divinæ directioni facta submissione.

Attamen neque isti, neque illi adeò debent esse in suo statu limitati & constricti, quin liberè sequi queant attractum Dei & sancti Spiritus ductum, secundum quod ille eos deducere voluerit aliquando supra, aliquando infra ordinarium suum gradum, quin potius quasi necessarium est, ut etiam ii, qui maximè fuerint in perfectione progressi, sæpius pro materia

teria orationis accipiant sui status interioris revisionem.

Quod si verò defectuosos se repererint, aut paulò effectos liberiores ad quasdam immoderationes aut dissolutiones, quas in Incipientibus etiam solemus reprehendere, firma concipiant illas abolendi atque efficaciter emendandi proposita necesse erit.

Quarta conditio est, ut illa proposita sint facta certa quadam cum *libertate animi, promptitudine ac fiducia*, quod illa simus expleturi, absque nimio metu, ne in illis deficiamus, aut ne illa non exequamur tam citò, adeoque tam bene ut oporteret. Semper enim sperare debemus fore, ut divina bonitas, quæ modo nobis dat gratiam, ea quæ concipimus illi promittendi, etiam nobis continuet gratiam nostra explendi promissa. Et licet quandoque promissis nostris deficiamus, postea tamen quàm generosè à lapsibus nostris resurrexerimus, magis magisque confidere debemus, tandem fore, ut Deus adeo copiosa & efficaci nos gratia corroboret, ut ea, quæ illi promisimus, omnia servare possimus quàm exactissimè. *Quarta conditio.*

Praxis eliciendi & concipiendi bona proposita.

PRaxin hanc melius concipient Fratres nostri, si illius apponamus exemplum, quod idcirco præstabimus. Supponamus itaq; meditationem nos instituisse de aliquo mysterio Passionis Domini nostri Jesu Christi, atq, istam fortassis inde elicuisse veritatem. *Animas*

nostras esse pretii & valoris inæstimabilis, cum filius Dei corpus suum exposuerit tantis tormentis, ut illas redimeret. Exinde concipiemus indubiè magnam animæ nostræ æstimationem, nosque resolvemus illam imposterum honorare, non permittendo, ut corpus aut vitia corporalia illi dominentur, aut illam indignius excipiant. Imò verò particularius proponemus nobis affligere & domare carnem nostram pœnitentiis, & magis adhuc speciatim non cedere amplius tali aut tali repugnantiæ, quam ordinariè experimur in tali aut tali exercitio, hac aut aliâ simili ratione.

Formula bonorum propositorum eliciendorum.

Quæ causa tibi erat, mi Deus, ut tot & tanta adeoque crudelia patereris tormenta? Certum est id alio te fine non feciſſe, nisi ut mihi patefaceres pretium & valorem immortalis animæ, quam in mea mihi creatione dedisti, idque ex pretio inæstimabili, quod pro illa redimenda solvisti: Verè igitur anima mea in tuis est oculis pretiosa, quandoquidem pro illa proprium filium tuum morti tradidisti. Hinc disco, mi Domine, illam super omnia æstimare, illique omnis generis spiritualia conciliare bona, etiam cum dispendio mei proprii corporis, cùm te in tuo videam illius causâ cruciatum.

Hic specificari debet, ad quid quis

Hoc mihi hic coram tua Majestate divina propono. Cupio ut imposterum corpus meum omnigenis exponatur pœnis ac doloribus potius, quàm deficiam in procurando animæ meæ vel minimo spirituali bono virtutum, quibus illa possit exornari. Verùm particularissimè tibi promitto, non amplius cessurum me repu-

repugnantiis illis naturalibus, quas experior in tali aut tali exercitio devotionis, aut talem aut talem actum pœnitentiæ aut propriæ mortificationis exerciturum. Heu! nimium retrocessi, nimium hactenus dolores, pœnas & omnia sensibus & carni meæ repugnantia declinavi. Capta est resolutio, atque ubi illæ meæ antiquæ repugnantiæ redierint, aut tentatio inclinationibus mollitiæ meæ aut corporeæ voluptatis obediendi me rursus lacessiverit, cogitabo, mi Domine, si tu teipsum pro animæ bono tantis tamque immodicis exposuisti tormentis, rationi quam maximè consentaneum esse, ut mea quoque ex parte aliquid faciam, cùm mea res potissimùm agatur. Etenim si tantum tu feciſti pro me, quid ego ipse pro me facere non deberem?

se resolvere & providere omnes illius exequendi occasiones.

Huncce quis affectum poterit extendere, prout se senserit motum, atque hac methodo uti poterit alios in quavis materia eliciendi.

CAPUT XII.

De Oblationibus.

DIcemus hic primò, quid sit affectus oblationis, quando ille sit eliciendus & quorum fieri possit oblatio.

Oblatio est certus animi affectus, quo movemur ad aliquid dandum Deo, quod in nostra est potestate, aut generaliter ei præstandum, quidquid illi novimus esse acceptum. *Definitio.*

Tribus autem incitamentis ad aliquid offerendum Deo impelli possumus. Primum est *gratiarum actio*, aut alicujus beneficii re- *Oblatio aut est Eucharistica*

aut expiatoria aut impetratoria.

cognitio. Alterum est desiderium divinæ Majestati suæ pro nostris *satisfaciendi* peccatis, ac defectibus. Tertium, Intentio aliquam novam gratiam ab illo *impetrandi* pro futuro. Hæ enim tres considerationes hujusmodi in nobis excitare possunt affectum.

Oblatio in beneficii memoriâ facta quasi fructus gratiarum actionis.

Quoad primum, certum est, animam, quæ quidem in meditatione perspexerit, se esse Deo, ob beneficium aliquod aut gratiam ab illo receptam, multùm obligatam, illi humilem debere exhibere recognitionem, prout jam diximus. Verùm si ardentiori fuerit gratitudinis affectu permota, ulterius progressa continere se non potest, quin benefactoris sui benevolentiæ atque amori pro suo modulo studeat respondere, illi omnia, quæ potest, & quæ etiam est, offerendo.

Oblatio expiatoria

Quoad secundum, ubi suas præteriras in iis, quæ jam cognovit, practicandis consideraverit negligentias, coram Deo confunditur, & erubescit, atque idcirco, ut illum placet, atque aliquâ ei ratione satisfaciat, illi se offert ad culpas præteritas porrò expiandas.

Oblatio impetratoria.

Quoad tertium, scilicet spem ac desiderium novam aliquam ab ipso gratiam obtinendi aut beneficium, experimur quotidie, nos quasi naturaliter inclinari ad donis honorandum; ac pro virili nostra nobis devinciendum illum, cujus indigemus, & cujus in nostris necessitatibus opem speramus ac subsidium. Tametsi etenim certum sit, creaturam, utpote infinitis modis pauperem atque inopem, Deo posse dare nihil, quod illius jam antea non fuerit, potest attamen actibus liberis

liberis ac voluntariis quasi ratificare sui omnisumque aliarum rerum Deo competentem possessionem : potest ei promittere ac liberè offerre aliquem actum pœnitentiæ aut devotionis, potest denique illi repræsentare ac denovo offerre merita Salvatoris nostri, illiusque sanctissimæ Matris, atque omnium aliorum Sanctorum, sicut sacerdotes de novo quotidie æterno Patri Salvatorem nostrum Jesum Christum offerunt in Sacramento Eucharistiæ.

Quando producendi sunt actus oblationis.

Hac ratione oblationes fieri possunt in tribus locis orationis. Primò consequenter ac gratiarum actionem, quando nascuntur ex primo ex allegatis tribus motivis. Secundò post bona proposita acresolutiones, quando nascuntur ex altero, ac tandem unà cum petitionibus, quando illas eo fine facimus, ut gratiam à Deo aliquam impetremus.

Tunc autem petitiones effectum ordinariè consequuntur magis infallibilem, quia nihil Deo offerre potest creatura, quin illius infinita bonitas centuplum reddat. Et licet muneribus aut donis, quæ ei offert creatura, ipse non moveatur, quia non aliunde nisi ex seipso omnium, quæ facit ipse, accipit rationem ; nihilominus creatura post hasce oblationes ad ea, quæ postulat, accipienda fit capacior, quia illarum proprius effectus est augere fiduciam, quæ una est ex optimis dispositionibus ad hoc, ut quis exaudiatur, ut S. Jacobus Apostolus ait : *Postulet autem in fide nihil hæsitans.* Jac. 1, v. 6.

Cæterum in hoc, uti & in aliis affectibus, non tam attendenda sunt præcepta aut ordo, quem videntur habere cum aliis, quam interior motus devotionis, adeo ut illum quis possit elicere aut omittere, multum aut parum extendere, juxta quod ipse se senserit à Spiritu sancto motum. Incipientes tamen pro aliquo saltem notabili tempore se debent astringere ad sequendum ordinem horum affectuum generaliorum; atque ad aliquos semper illorum actus producendos, ut paulatim hoc exercitium sibi facilius reddant ac familiarius.

Quid Deo possimus offerre.

Argumentum ac materia oblationum copiosissima est & amplissima. Deo enim offerre possumus corpora nostra, animas, vitam, actiones, ærumnas, bona desideria, ac proposita, atque insuper etiam omnia merita Domini nostri Jesu Christi, Beatissimæ Virginis, atque omnium Sanctorum, omnes virtutes & sanctas operationes, quæ ab omnibus fiunt piis, per mundum universum, hominibus, omnes laudes & gratiarum actiones, quas ei persolvunt atque in cœlo per totam æternitatem persoluturi sunt sancti Angeli, & similia, cum enim in communione vivamus Sanctorum, horum omnium aliquâ ratione possumus esse participes. Præterquam quod ad aliquid offerendum Deo sufficiat illi præsentare ea, quæ novimus ei non posse non esse accepta, ut sunt ea omnia, quæ jam commemoravimus.

Praxis oblationum.

METhodus faciendi oblationes in quibusdam apertissimè elùcebit exemplis. Supposito

posito igitur, quod meditatus fueris aliquod mysterium passionis Domini nostri, exempli gratia, flagellationem illius, sicque in illius ingentis amoris, quem ibi nobis exhibuit, recognitionem te illi offerre cupias, ita dices.

Formula oblationis.

Heu! mi Domine, quantum tu mihi amorem ostendis, ubi te ingenti huic ictuum flagellorum grandini exponere non dubitas? Etenim ut me à rigorosissimis à divina tua justitia contra me decretis pœnis, quas toties promeritus ego fueram, liberares, tormenta tu adeo immoderata ac dolorosa subire non dubitasti? Heu! ego sum, Domine, ego sum, qui peccavi ac pœnas promerui: Ecce igitur ego, Domine, qui me intra tuas consigno sanctissimas manus, tibique me offero tanquam victimam, ut condignas de peccatis meis ac sceleribus pœnas luam. Me ergo, quibuscumque divinæ tuæ placuerit Majestati, affligemodis, totus enim in æternum tuus sum. Utinam à tua nunquam obedientia me subduxissem! Offero tibi corpus meum, ut per pœnitentiam edometur, atque ut perpetuò vivum sit instrumentum earum actionum, quæ ad divinam tuam gloriam spectant. Offero tibi cor meum, ut præter te imposterum nihil amem, linguam meam, ut nisi de te non loquar, omnes cogitationes meas, ut illæ non sint de alio, quam de te &c.

Hac ratione dilatare se poterit anima, juxta gustum & Spiritus sancti, quem in se persenserit, attactum, resignando se totaliter in manus Dei, ad faciendum & patiendum ea omnia, quæ ipsi placuerint in tempore & æterni-

nitate, idque in hujus tanti beneficii memoriam atque agnitionem.

At videns jea non nisi remotissimè benefactoris sui amori correspondere, Deo nostro offerre poterit pios sensus & affectus, quos unquam de hoc pœnosissimo mysterio habuerunt omnes Sancti, sive laudes quas ei æternum decantabunt omnes Angeli pro eo, quod tantum hominibus amorem patefecerit. Poterit similiter æterno Patri, in memoriam tantæ charitatis, quam nobis in hocce ac tot aliis beneficiis exhibuit, offerre omnes actiones & pœnas, omnes pariter virtutes ac merita unigeniti filii illius Domini nostri Jesu Christi, à primo suæ Incarnationis momento usque ad suam glorioſam in cœlos Ascensionem. His etiam unire poterit merita Beatissimæ Virginis, atque omnium in cœlo Sanctorum, & justorum in terris, quin imò & bona proposita ac sanctas resolutiones, quas ipsa ex Spiritus sancti inspiratione conceperit.

Alia formula ex 2. motivo consequenter ad præcedentem.

Aliud accipe exemplum circa idem argumentum, ubi quis voluerit elicere actum oblationum in præteritarum negligentiarum satisfactionem, dicet hoc modo:

Verum est, Domine, non diffiteor, infinita mea est in tibi inserviendo negligentia, exigua valdè in perversis corruptæ naturæ meæ inclinationibus ac propensionibus expugnandis ac debellandis generositas, tanta in occasionibus mortificationum amplexandis tepiditas, tam modica pœnitentiæ faciendæ affectio &c. Prô! non est hoc, quod me tu docuisti, ubi corpus tuum adeo duris & crudelibus flagellorum

lorum ictibus expoſuiſti : Verùm ad quem confugiam pro vitæ adeo tepidæ ac negligentis expiatione, niſi ad te, Domine Deus meus ? Recipe quæſo in ſatisfactionem non præſentia hæc mea deſideria, parum enim id foret, non corpus meum, quod deinceps rigidè habere conſtituo, non animam meam, cujus omnes potentias ac facultates impoſterum te imitandi mediis inveſtigandis, atque inquirendis impendere propono ; quidquid enim ego habeo, & à me quidquid poteſt procedere, totum nihil eſt, & ne quidem, ut tua divina Majeſtas ipſum reſpiciat, promeretur. Verùm in plenam ſatisfactionem pro peccatis meis offero tibi, Pater æterne infinita merita Salvatoris mei Jeſu Chriſti Filii tui unigeniti, amantiſſimi Redemptoris mei, quem nobis miſericorditer tu dediſti, quique ſeipſum ex intimo animo flagellis ſubjecit, in ſemetipſo luens pœnas, quas noſtris nos peccatis promerueramus. Offero tibi hos ſanctiſſimos humeros flagellorum ictibus omninò diſciſſos ac dilaceratos, virgineam illam atque innocentem carnem omni ex parte apertam ac disruptam ; membra illa ſacratiſſima, ex quibus copioſiſſimus ſanguis promanat, oculos illos lacrymis totos immerſos, vultum illum ſputis oppletum & pudore totum coopertum, teque humillimè rogo, ut ad intuitum filii tui, doloribus pleni, atque ob amorem illius præterita mea delicta ac negligentias mihi ignoſcas. Offero tibi etiam merita Beatiſſimæ Virginis Mariæ, atque omnium ſanctorum tuorum.

Reſpice in faciem Chriſti tui. Pſ. 83. v 3.

Offe-

Offero tibi, inquam, omnes actus interiores, quos incomparabilis ista Virgo elicuit in omnibus orationibus suis, quas toto fecit vitæ suæ tempore. Offero tibi labores & persecutiones sanctorum Apostolorum, tormenta & charitatem omnium Martyrum, virtutes & pœnitentias omnium Religiosorum & Confessorum, puritatem atque innocentiam sanctarum Virginum, laudes, quas tibi persolvunt omnes beati in cœlo spiritus &c. Juxta hæc duo exempla quivis poterit formare sibi alia circa quodvis argumentum, atque ista optimè quis poterit imitari, ubi Deo exhibere voluerit aliquos actus oblationis ad hoc, ut rem ab ipso quampiam obtineat.

Nota. Advertent tamen Fratres nostri, tametsi hoc genus affectuum non sit absolutè in quibusvis orationibus necessarium, expedientissimum tamen esse, ut nunquam ab oratione discedant, quin Deo dederint aliquid, etiam exterius, tametsi id aliud non esset, nisi quod in signum adorationis terram deoscularentur, ubi ad suam fuerint cellam reversi, aut vel semel recitarent orationem Dominicam brachiis per modum crucis expansis, ac similia, quæ tametsi videantur exigua, fructum tamen habent non modicum, quia nobis in memoriam revocant ea, quæ Deo promisimus, ac divina sua Majestas hasce praxes largè solet remunerari infusione gratiæ efficacis, ac necessariæ ad bona proposita nostra fideliter executioni mandanda.

CA-

CAPUT XIII.

De Petitionibus.

ORationi ordinariè finem imponunt petitiones, quæ nihil sunt aliud, nisi manifestatio nostrarum necessitatum facta Deo, à quo auxilium postulamus, ut ab illis eruamur. Nascitur autem petitio ex consideratione propriarum infirmitatum ac miseriarum, quas ubi anima cognoverit, efficax ab illis se expediendi ac liberandi concipit desiderium; verùm haud ignorans, id se non posse absque divinæ auxilio gratiæ consequi, humiliter & confidenter ad Deum se convertit, & ab ipso illam petit.

Definitio petitionis.

Nonnulli putant petitionem esse actum intellectus, sed reverà est actus voluntatis, & quasi expressus per actum intellectus.

Actus proinde petitionis tres alios comprehendit; Primus est consideratio eorum, quæ nobis desunt; Alter interius illa consequendi desiderium. Tertius denique affectuosa eruptio voluntatis ad Deum confugientis, & suam illi necessitatem pariter ac desiderium repræsentantis, non quidem ut illum instruat, nihil enim ille ignorat: *Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis*, inquiebat divinus Magister noster, sed quia desiderium nostrum eâ proportione augetur, quâ petitiones nostras multiplicamus., quod desiderium ita adauctum citius meretur exaudiri.

Matth. 6. v. 32.

Petitio autem, ut bona sit atque à Deo exaudiatur, quatuor habere debet conditiones, scilicet ut fiat primò *magno* cum *desiderio*, secundò profundâ cum *humilitate*, tertiò tenerâ

Conditiones quas habere debet petitio.

nerâ ac filiali cum *confidentia*, ac quartò denique constanti cum *perseverantia*.

Quantum ad primam: si desiderium nostrum instabile sit & inconstans, omninò timendum est, ne à Deo non exaudiamur. *Non æstimet homo ille, quod accipiat aliquid à Domino*, inquit S. Jacobus Apostolus. Quia gratiæ illius dona tanta sunt, adeoque pretiosa, ut minima res, quam à nobis ipse possit exigere, sit verum ac sincerum illa obtinendi desiderium. Atque ista causa est, cur ea nobis ipse non rarò soleat ad tempus denegare, ut illa habendi desiderio ex hac dilatione crescente, deinde tanti quanti oportet faciamus, atque illis etiam melius utamùr. Eapropter ubi se quis adverterit esse tepidum, ac veluti inter duo extrema fluctuantem, semetipsum excitare debet piis quibusdam considerationibus, ut fortiter divinæ gratiæ, quam petit, cooperari proponat. Quod si quis neque hoc possit, saltem dicet cum Propheta Regio: *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas*, id est in omni re explere tuam sanctam voluntatem. Hoc genus desideriorum sincerum est, etsi minus videatur esse vehemens, unde etiam non rarò meretur exaudiri.

Iacob, 1. 7.

Ps. 118. 20.

Altera conditio est verus atque ingens *nostræ indignitatis sensus & affectus*, quia nihil est, quod adeo super nos attrahat gratiam Dei, quam cor humile. Et quò plus anima in suarum miseriarum ac peccatorum consideratione atque agnitione in conspectu divinæ Majestatis se demergit, eò ampliùs se disponit, ut donis ac virtutibus cœlestibus à Deo compleatur,

tur, quia uti optimè dixit Psalmista: *Abyssus abyssum invocat*, abyssus videlicet humilitatis super se attrahit abyssum divitiarum ac misericordiarum Dei. *Ps. 41. v. 8.*

Tertiam conditionem uos docuit ipse Salvator noster ubi ait: *Omnia quæcumq; orantes petitis, credite quia accipietis; & evenient vobis.* Ad hanc habendam *fiduciam*, non parum inserviet, si consideremus, Deum nihil æque desiderare, atque nos suis cumulare donis, illiusque liberalitatem omnibus etiam votis nostris esse longè majorem, dicente S. Augustino: *Erubescat humana pigritia, plus ille vult dare, quam nos recipere.* Quod si tantæ liberalitatis effectum parùm experiamur, causa est, quod nos ex parte nostra in requisitis petitionis legitimæ conditionibus deficimus. *Matth. 11. v. 24.*

Quid nos possit excitare ad fiduciam.

Petitis & non accipitis, eo quod malè petatis. Iac. 2. 3.

Quarta denique conditio, quam etiam divino suo ore cœlestis nos docuit Magister noster, est *perseverantia*, quæ consistit in eo, ut nunquam animum despondeamus, quod nostrarum petitionum consecuti haud simus effectum, verùm nos potius magis ac magis animemus ac solidemus in ea fide, fore denique, ut sua divina Majestas duplicatò nobis concedat ea, quæ ad tempus distulit nobis indulgere. Id equidem haud difficulter comprehendetur ab iis, qui magno tenebuntur illius, quod poscunt, consequendi desiderio: Cor enim desiderio plenum nunquam fatigatur in eo, quod amat, persequendo; verùm si frigidum fuerit desiderium, statim desistit, atque ad primam repulsam animum omninò despondet.

In-

P. Ludov. Granad. Insignis quidam Author existimat, orantem atque aliquid à Deo petentem coram eo se habere debere eo modo, quo se habet catellus coram Domino suo mensæ assidenti : pauperculum enim illud animalculum omnis generis exhibet gesticulationes ac situs, ut frustulum aliquod obtineat ; tametsi verò uno die patiatur repulsam, non minus altero redit, atque easdem facit, quas die præcedenti, instantias. Uno verbo Redemptor noster ait : incessanter nos orare debere, neque deficere, quia tandem supremus ille Rex noster ea nobis, quæ petierimus, indulgebit.

Quænam in oratione petere debeamus.

SIcut à Deo procedunt omnia bona, sive temporalia sive spiritualia, etiam utraque ab illo petere quis potest, cum hoc tamen discrimine, quod bona temporalia, qualia sunt prolongatio vitæ, sanitas, vires, felix alicujus negotii successus, ac similia, petere non debemus, nisi sub conditione, scilicet si sua divina providentia ita nobis judicaverit expedientius. Idem quoque dicendum est de bonis spiritualibus, quæ ex se non efficiunt nos meliores, neque Deo gratiores, uti sunt donum lacrymarum, consolationes internæ, devotionis sensibilis suavitas, facilis ac profunda interior recollectio & similia.

Res temporales non sunt à Deo petenda, nisi sub conditione.

At virtutes ac gratiam Dei absolutè debemus petere.

Verùm absolutè & absque ulla restrictione aut limitatione petenda nobis sunt bona spiritualia necessaria ad nostram salutem ac perfectionem, qualia sunt remissio peccatorum,

victoria

victoria tentationum, vitiorum extirpatio, sanctum odium suiipsius, mortificatio sensuum ac passionum, facultatum ac potentiarum animæ nostræ superiorum ordinatio ac recta compositio, exacta Regularum & Constitutionum nostrarum observantia, virtutes ad vocationi sanctæ nostræ respondendum necessariæ, pœnitentia, oratio, obedientia, humilitas, mansuetudo, fortitudo, ac purus in Deum amor, integra conformitas cum sua divina voluntate, aliæque similes nobilissimæ qualitates, sine quibus animæ nostræ Deo perfectè nequeunt placere.

Ordo petitionum.

Ordo, quem in suis petitionibus quis potest tenere, hic erit: ut ante omnia petamus gratiam practicandi aut acquirendi ea, quæ in meditatione cognovimus nobis esse utilia, aut nobis deficere, uti foret, verbi gratia, Extirpatio alicujus vitii; exinde verò transire poterimus ad alias petitiones generaliores, tam pro nobisipsis quam pro aliis, observando semper, tam hîc quàm in aliis omnibus, interiorem, quam quis persenserit, dispositionem, ac Spiritus S. motum, & gubernationem. *Nam quid oremus sicut oportet, nescimus: Spiritus autem postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* *Rom. 8. v. 26.*

Sunt, qui posteaquam ea, quæ pro seipsis voluerint, petierunt, etiam orare amant pro Ecclesia, pro Prælatis, atque universo populo Christiano; alii pro sanctæ nostræ Religionis orthodoxæ exaltatione, Infidelium & Hæreticorum conversione, ac Schismaticorum reunione; alii similiter pro incremento boni spiritualis nostri sacri ordinis: alii pro animabus

purgatorii ; alii pro agonizantibus ; alii pro
Nota. animabus in peccato obduratis, atque alii denique pro aliis diversis rebus, quem interiorem attactum ac motum quivis sequatur oportet, quia credibile est, velle Deum à tali homine pro hujusmodi rebus orari, ut hac ratione suo in terram gratiarum suarum thesauros effundat.

Praxis actuum petitionis.

Prima aliquid à Deo postulandi ratio,

DUplici porrò ratione in hujusmodi faciendis petitionibus procedere possumus. Primò necessitates nostras cum affectu interiore nudè ac simpliciter proponendo ; sicut mendicantes ægroti in valvis Ecclesiarum constituti suas dumtaxat plagas aut vulnera sive ulcera exhibere solent, quo ita ingredientes & egredientes ad compassionem commoveant, atque ab iis stipem obtineant, quam quidem eâ obtinent ratione facilius, quàm si importunis clamoribus prætergredientium aures obtunderent.

Hac ratione ad januam Epulonis se gerebat mendicus ille Lazarus, ne verbum etenim proferebat, sed solum *jacebat ad januam, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa Divitis.* Eodem modo se habebat pauper ille Leprosus, qui coram Salvatore nostro in genua sua procumbens ajebat : *Domine si vis potes me mundare*, mundari expressè non postulat, sed solùm ajebat, Domine si vis potes me mundare. Nec absimili quoque ratione se duæ illæ sorores Martha & Maria Magdalena gerebant in infirmitate fratris sui Lazari, neque enim

Luc. 16. v. 11.

Matth. 8, v. 2.

enim ad Jesum mittebant, qui eum rogarer, ut veniret, & fratrem suum ab infirmitate sua curaret, sed solum miserunt ad eum, dicentes: *Domine, ecce quem amas, infirmatur*; Hic denique (ut paucis multa complectar) usus erat Vatis Regi ubi dicebat: *Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus ate non est absconditus.* Ioan 11. v. 3. Ps. 37. v. 10.

Ista methodus orandi suo perquam rarissimè frustratur effectu, quia sincera, ingenua, humilis ac plena fiduciâ est. Desiderium dumtaxat est nullâ ratiocinatione explicatum, Deo tamen longè gratissimum, omninoque quod exaudiatur dignissimum, dicente Propheta Regio: *Desiderium pauperum exaudivit Dominus.* Ps. 10. v. 17.

Alter modus orandi Deum seu aliquid ab ipso petendi,

Altera orandi methodus est; cum quis utitur discursu composito ex pluribus rationibus & argumentis bene ordinatis, & ad Deum commovendum, ac veluti, ut petitioni annuat, persuadendum comparatis; ad eum penè modum quo uti solent, qui à Rege munus aliquod aut favorem obtinere cupiunt, aut Rei cum Judicem permovere satagunt, ut latam in eos sententiam aboleat & rescindat. Utrosque enim videmus omnem suam depromere industriam, ut postulata obtineant. Rogant, supplicant, obsecrant, obtestantur. Nunc eorum, quos orant, bonitatem ac virtutes commendant; mox ea, quæ universis hominibus conferre amant, beneficia deprædicant; quin & amicorum preces non rarò interponunt: uno verbo nihil eorum, quæ ipsis ad intentum servire possunt, intermittunt,

Industria supplicantium.

Eâdem prorsus ratione nos gerere possumus erga Deum, illum orando & obtestando per omnes illius perfectiones prorsus infinitas, per ineffabilem bonitatem, per misericordias erga peccatores immensas, ac denique per omnes titulos atque ingentis illius, quæ sæpissimè nobis exhibuit amoris argumenta, recensendo figillatim quamplurima ab eo in nos profecta beneficia, eumque his omnibus argumentis ad nos exaudiendos permovendo, exhibendo ei, quam æquæ sint petitiones nostræ, quantum ad nostram salutem conferant momenti; quantumque nos simus infirmi, nisi divino illius corroboremur auxilio.

Possumus etiam, imò debemus, interponere merita Domini nostri Jesu Christi, ut dictum fuit capite præcedenti, recurrere quoque ad B. Virginem, Angelum Custodem, atque ad omnes nostros sanctos Patronos, secundùm quod nos nostra impulerit devotio. Ut verò Fratres nostri ea, quæ dicta sunt, omnia melius percipiant, in gratiam illorum aliqua hic exempla seu formulas subnectemus.

Formulæ.

ANima postquam exempli gratia meditata fuerit infelicitates peccati, ad Deum, ut ipsam ab eo eripiat, orandum impelli se sentiet, petitionem ergo suam exhibebit hac ratione.

Prima formula. Secundùm infinitam misericordiam tuam, Domine, peccata mihi mea, meas miserias, im-

imperfectiones meas manifestasti, illorumque omnium horrore perculisti ac terrore. Verùm, amabò, quid prodesset infelicitatem meam intelligere, si in eandem me relabi contingeret? Ah! noli, mi Deus, noli, te obsecro & obtestor, id permittere. Gratiam, quæso, tuam mihi impertire, ut illis in perpetuum liber existam, facultatem, rogo, concede, omnes declinandi occasiones, quibus aliquid committere possem tuo divino ingratum conspectui, integrè etenim tuo consecrare me famulitio omninò constitui.

Altera formula.

Anima, quæ divino sese amore conspexerit vacuam, ipsum à Deo postulabit hac ratione; Domine Deus, humillimè rogo te, ut mihi verum fortemque tui amorem impertiaris, hoc enim pacto & mihi & tibi lucrifecero universa. Quod si vel semel cordi meo detur gustare, quàm suavis es Domine, vitia absque ulla declinabit, virtutesque consectabitur difficultate. Verum quidem est, isto me amore prorsus esse indignum, quoniam tamen te amare jubeor ex toto corde, ex tota anima, atque ex totis viribus meis, da mihi quæso quod jubes. Heu me! quantum ab omnibus omninò creaturis tuis, verùm à me præcipuè, cui tot, tantaque exhibuisti beneficia, dignus es ut ameris? Age ergo, mi Domine, veni, & hujus cordis mei adi possessionem, atque hoc age, ut quantum debeo, imò & quantum, si possibile illud fuerit, tu mereris, te diligam.

Da quod jubes, & jube quod vis. D. Aug.

Tertia Formula,

Eodem modo pro obtinendis virtutibus sic orabis: Heu me miserum! Quomodo coram te, amabilissime Domine, in die tuarum comparere audebo nuptiarum, cùm nudum me, atque omnium virtutum veste spoliatum comperiam? Tu ergo, te obtestor, insignibus illis me condecora ornamentis, quibus careo, quorumque defectu in tuis tibi oculis displicere me novi; intimo cordi meo profundam imprime humilitatem, simplicem ac promptam erga meos mihi superiores obedientiam, erga Fratres meos suavitatem concede ac submissionem. Vivam indulge compunctionem, qua dignè peccata mea plangere, eaque pœnitentiâ sanctâ queam eluere. Tenebras mentis meæ crassiores sancto tuo lumine dissipa, atque animam meam veracibus tui penitus acquirendi ac possidendi desideriis adimple, ut totus esse tuus desiderem, ut quoque tu meus esse non dedigneris. Hoc efflictim te rogo per sanctum nomen tuum, per ineffabiles perfectiones, per bonitatem, misericordiam & charitatem tuam infinitam, perque eum denique, quo teipsum prosequeris, amorem. Rogo per dilectissimum filium tuum Dominum ac Redemptorem meum Jesum Christum, per vitam & dolores illius, per ea omnia, quæ pro me fecit & passus est, per orationes, jejunia, vigilias & labores ipsius, per omnes quas perpessus fuit injurias, opprobria, tormenta, per mortem denique, & in cruce pro me effusum cruorem, petitionem hanc utique meam, si placet, mi Deus, non denegabis, quia concessurum

Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Ioan 16, 23.

surum te nobis, quidquid in illius te nomine rogaverimus, promisisti. Exaudi ergo, oro te, exaudi me, quia de tuo honore, deque mea hic agitur salute, quia & sanguis pretiosissimus dilectissimi tui Filii te interpellat.

Domine, si vis, hanc mihi gratiam potes præstare; quod si verò tu illam mihi deneges à quo ipsam sperare unquam potero? Tuipse nostris in necessitatibus ad te confugere nos jussisti, in verbo ergo tuo id facio. Ut quid verò tot hactenus beneficiis me cumulasti, si ista in necessitate mea me deseris?

Virgo gloriosa, te quoque interpello, tuamque incomparabilem bonitatem obtestor, ut causam meam agas, tuamque potestatem & authoritatem erga filium tuum dilectissimum, qui tibi denegare nil poterit, pro me interponas. Tu Mater misericordiæ, ac miserorum peccatorum, quorum pessimus ego sum, es Advocata: in me ergo juvando tua charitas ac Dei mei magis elucebit misericordia.

Angele Tutelaris, vosque sancti Patroni mei N. N. mei este intercessores, perque merita vestra petitionis meæ exauditionem obtinete.

Juxta formulas istas & exempla omnis generis petitiones, in quavis materia, efformare facillimum erit.

CAPUT XIV.

De quibusdam affectibus pro quavis materia particularibus, ac primò de iis qui sunt proprii incipientium.

VEluti suprà methodum assignavimus meditandi super quibusdam argumentis tribus hominum statibus, Incipientium videlicet, Proficientium ac Perfectorum, peculiaribus, ita non absre erit hic videre, quosnam in quovis ex his statibus quis queat elicere affectus, quo sic ex istis formulis & exemplis facilius intelligant Fratres nostri, qua ratione in quavis alia matêria procedere debeant. Uti enim argumenta meditationum propria Novitiorum seu Incipientium differunt ab iis, quæ sunt propria magis Provectorum, ita affectus eorum proprii quoque differunt, uti jam diximus: argumenta ista communiora sunt:

1. Peccatum.
2. Cognitio suiipsius.
3. Mors.
4. Judicium.
5. Infernus.
6. Cœlestis gloria, & similia.

Affectus magis ordinarii ex hisce meditationibus promanantes sunt: 1. Contritionis & perversi status peccati detestationis.

2. Sancti

2. Sancti suiipsius odii.

3. Timoris malæ mortis, ac bene vivendi, ut bene mori quis possit, desiderii.

4. Metus Judiciorum Dei.

5. Desiderii patiendi, atque in hac vita agendæ pœnitentiæ.

6. Gaudii & consolationis in pœnis, ac spei æternæ beatitudinis aliquando reportandæ:

Comparatio affectuum orationis cum naturalibus hominis passionibus.

Multiq; alii ex istis tanquam ex fontibus suis ac scaturiginibus profluentes, qui ex bonorum malorumve spiritualium consideratione proveniunt, sicuti motus appetitus sensitivi excitantur ex intuitu objectorum pariter sensibilium bonorum aut malorum, gratorum aut ingratorum. Ubi etenim bonum aliquod, exempli gratia, æternam cœlestis gloriæ beatitudinem, consideramus, mox in nobis experimur amorem, desiderium, gaudium, spem ac sanctam quandam audaciam nos resolvendi ad superandas difficultates, quæ nos ab illius acquisitione possunt impedire. Ubi verò consideramus aliquod malum, verbi gratia, tormenta inferni, experimur in anima nostra odium, abominationem, tristitiam ac tanti mali timorem. Aliquot hic formulas super quolibet ex prædictis argumentis apponemus.

De Peccato.

PRimò quidem consideratio peccati secundum seipsum & pravos ipsius effectus,

injuriam videlicet Deo illatam, animæ vastationem, & horribiles pœnas, quibus à divina castigatur justitia, unà cum attentione ad ea, quæ nos commisimus bene multa & enormia, certam in corde nostro producit verecundiam ac nostrimet confusionem, status nostri miserrimi extremum horrorem, justum evidentis periculi æternæ damnationis incurrendæ timorem, amarumque de nostris offensis dolorem, tum ob metum inferni, tum quia adeo graviter offendimus Deum, qui amorē ac servitia promeretur infinita, ob incomparabilia, quæ quidem ab ipso, sive in ordine naturæ sive gratiæ, recepimus, beneficia.

Affectus nasci soliti ex consideratione peccati.

Ac proinde præter quatuor istos affectus generales, de quibus locuti sumus, videlicet gratiarum actionis, pro eo, quod in malo isto statu ex hac vita abrepti non sumus: resolutionis vigorosæ corporaliter moriendi potius quam in illum relabendi; obligationis nostrimetipsorum; omnium vitę nostrę momentorum Deo in satisfactionem pro peccatis nostris factæ; & petitionis gratiæ divinæ, ut nostris queamus stare promissis: præter, inquam, hos quatuor affectus generales, nascuntur in cordibus nostris aliqui particulares, contritionis, timoris, pudoris, & horroris, qui omnes invicem permiscentur hac vel simili ratione.

Affectus particulares miscētur generalibus.

Formula.

Eheu! mi Deus, quantum confundor, ubi in conspectu divinæ Majestatis tuæ comparere debeo, tot impuritatibus onustus & immunditiis? O me infelicem peccatorem! O inferni titionem, sordibusque & pædoribus infectam cloacam! Vah! terrore contremisco con-

considerans ignes, quos tua divina justitia pro me accendit, solaque tormentorum illorum repræsentatio metu me concutit ac horrore. Nunquid verò, mi Deus, vel tantillum tibi restat misericordiæ pro hoc infelici peccatore, qui dolet, quod unquam te offenderit? Misericordiam ô mi Deus, misericordiam, paucas adhuc inducias, ut queam agere pœnitentiam, quam ecce ab hoc momento exordiar. Prô! maledictum peccatum, quantum te detestor & abhorreo. Quid? tam igraviter ac malitiosè dereliquisse Deum meum? Quid obsecro cogitabam? Utinam, utinam, ô mi Deus, tibi nunquam fuissem inobediens, neque unquam te offendissem! Vah! nunquam, ita, nunquam amplius peccabo, potius moriar, imo potius infernum adibo, quam ad pristina mea unquam revertar delicta.

Verùm nunquid ullatenus de omnibus istis perversitatibus meis de meipso ultionem sumere potero? Agam profectò & corpus hoc ce meum pœnitentiis onerabo atque austeritatibus, ut veluti instrumentum peccati extitit, ita quoque instrumentum existat satisfactionis. Afflige, percute, Domine, occide hunc rebellem, hoc inquam à patibulo, infernoque redemptum mancipium. Ure, consume; annihila hunc fœtidum canem, hoc putridum & corruptum cadaver, quod coram divina Majestate tua & beatis illis spiritibus adeo virulentum exhalat odorem, modò hac ratione tuam promereri queam misericordiam.

Pro! quando erit, ubi reverà habebor veluti mortalium omnium impiissimus, maximè abo-

abominabilis, omnique gratia indigniſſimus, qui Deo meo, Creatori meo, conſervatori meo ac benefactori indefeſſo adeo fui infidelis, qui, inquam, proditor extiti divini Magiſtri mei, adeoque juſtiſſimis amabiliſſimisque cœleſtis Patris mei mandatis rebellis. Ecce; ecce hſc ad illius meme pedes provolvo, oculis lacrymis, corde pleno ſingultibus, ſuſpiriis ac doloribus, quod eum toties adeoque malitiosè dereliquerim, merita pretioſiſſimi ſanguinis illius pedibus protriverim, illiusque gratias abundantes, quas tanto ipſe mihi labore comparavit ac ſudore, inutilitèr diſſipaverim, eâ, quâ poſſum, conſtantiâ conteſtando, impoſterum ei me futurum fideliſſimum.

2. *De Cognitione ſuiipſius.*

ANima, quæ non obſcurè meditando cognoverit, ſe nihil eſſe, nihil habere, ac nihil poſſe ex ſeipſa, imo ne valere quidem proferre ſanctiſſimum nomen Jeſu ſine divini Spiritus aſſiſtentiâ, neque uno procedere gradu ſine Dei concurſu, concipiet affectus

Affectus naſci ſoliti ex cognitione ſuiipſius.

1. Pudoris & confuſionis, quod unquam adeò ineptè de ſeipſa quidquam præſumpſerit.

2. Vilis exiſtimationis ſuiipſius, ac profundæ coram Deo humiliationis.

3. Dependentiæ ac ſubjectionis eorum omnium, quæ vel ipſa eſt, vel fecit unquam boni, cuncta integrè referens in Deum.

4. Horroris vanæ gloriæ, per quam homo ſibiipſi quidquam, quod tamen niſi à Deo non habet, attribuens, ſacrilegio proximum commit-

mittit furtum ſpirituale, quia donum quod Deo proprium eſt, quodque in ipſum per humilem gratiarum actionem refundere debebat, ſibimetipſi attribuit. Hos omnes affectus ea poteſt ratione exprimere.

Rubore ac pudore ſuffundor coram divina Majeſtate tua, Deus meus ac Dominus meus, quod adeo fuerim unquam occœcatus, ut mihimetipſi talentum aliquod aut virtutis exercitium attribuerim, quaſi ipſum ex meipſo & non ex gratia tua haberem. Vah! inſanire id eſt, nimiumque memetipſum ignorare. *Formula.*

Abſit, mi Domine, abſit, ut impoſterum ullo unquam tempore ſecretam vanitatem in me foveam, abſit, ut quidquam jactationis, oſtentationis aut vanæ gloriæ unquam admittam; quia tu ſolus es, cui ex eo, quod ſum, quodque poſſum boni, omnis debetur gloria.

Ex meipſo utique, præter nihilum meum, ignorantiam & peccatum nihil habeo, hocque ſolum meum eſt: & ſi de alio quopiam gloriari voluero, confuſione & æterno coram Angelis beatis, coram omnibus Sanctis tuis, imo & coram ipſis Diabolis, qui me tam ſtultè & injuſtè de eo, quod meum non eſt, ſuperbientem cernunt, opprobrio dignus ſum.

Humillimam hic ô mi Deus conteſtationem & nihili mei, meæque & in ſtatu naturæ & gratiæ impotentiæ facio recognitionem! Totum quod poſſum uni tibi per humillimam agnitionem ac ſubmiſſionem attribuo.

Te te omnis boni, quod feci unquam, unicum agnosco Authorem, tibique ex nunc, quidquid unquam boni facere potero, consecro & addico, utpote originaliter de gratia tua, de divinis tuis luminibus ac sanctis promanans inspirat onibus.

Recedite, recedite à me in perpetuum maledicti affectus præsumptionis, vosque omnes occultæ complacentiæ & vanitates; nolo enim, nolo amplius fur esse ac latro donorum Dei mei; sicuti verò non sum, neque vivo, aut quidquam ago, nisi per indesinentem à gratia & directione ipsius dependentiam, similiter volo, ut omnis in ipsum solum inde redundet gloria, mihi verò nil nisi verecundia, & de meis remaneat peccatis confusio.

3. *In revisione sui ipsius & examine, quo statum suum interiorem atq; in virtutibus agnoscat progressum.*

UBi quis consideraverit, quantum sit in contectandis bonis inspirationibus, ac Spiritus sancti illustrationibus infidelis, quàm negligens in tentationibus Inimici reprimendis, quàm remissus in superandis quibusvis difficultatibus, contrarietatibusve atque alios non paucos defectus suos recognoverit, coram Deo quasi quandam generalis, ut vocant, confessionis speciem depromet convestitam

1. Pudore ac verecundia.
2. Contritione atque humiltate.
3. Sincero in praxi bonorum operum sanctisque exercitiis se obfirmandi desiderio.

4. Pe-

4. Petitione veniæ præteritorum, gratiæq; futurorum peccatorum atq; imperfectionum declinandarum. Id quod fieri poterit hac ratione.

Quonam usque deveni, mi Deus? Eheu! heu me infelicem! quotidie retrocedo; pro eo quod progredi me oporteret. *Formula generalis suiipsius accusationis.*

Imperfectiones imperfectionibus, defectus defectibus, infidelitates accumulo infidelitatibus, & quo diutius vivo, eò amplius in deteriora prolabor.

Conscientia mea me reprehendit, nimiumque mihi clarè demonstrat, omnia opera mea defectibus plena esse. Quòd si enim virtutis alicujus actum exerceo, mox propria sese ingerit complacentia, ac naturalis, quam inde percipio, oblectatio parum illud, quod actui hujusmodi inesse posset, boni absumit. Quod si opus sit aliquantò difficilius, non nisi invitus ipsum aggredior, ac mediâ dumtaxat ex parte ac perfunctoriè perficio. Si diuturnius est, corruptæ naturæ meæ inconstantia illud citò abrumpere suadet, atque idcircò sæpius ipsum desero, cum vix inchoaverim: tametsi tua mihi nunquam defuerit gratia, mihimetipsi tamen non rarò quas nescio imbecillitates, imò absolutas impossibilitates confingo; ubi modicâ dumtaxat opus foret resolutione. Nullum denique opus bonum efficio, quin in multis ipsum deficiat circumstantiis. Prô! quid erit de me, ad tuum ubi provocabor judicium?

Ubi, ubi quæso est exacta Regularum mearum observantia? Eheu! quam negligens sum in mortificandis meis sensibus? quot passionibus

nibus meis inservio ? quâ quæso in re proprium sensum meum ac voluntatem mortifico ? Ubi est spiritus orationis & recollectionis, quo pollere deberem ? Ubi fervor, quo tibi me servire oporteret ? Ubi alacritas & in actibus meis fidelitas ? Ubi constantia in arduis ? Spiritus charitatis & unionis erga fratres meos ? Ubi zelus Regulæ, constitutionum, ceremoniarum, aliorumque sanctorum exercitiorum ? Ubi denique tuarum imitatio virtutum, quas in memetipso, in actionibus ac in tota conversatione mea exhibere deberem ac repræsentare ?

Ad singula puncta ista rubore suffundor ac pudore, mi Domine : quidque tibi respondere debeam, aut quid facere aliud, prorsus ignoro, nisi ut tuam inclamem misericordiam. Miserere ergo mei, miserere mei, pientissime atque amantissime Redemptor. Gratiam, quæso, tuam mihi multiplica, & per infinitam misericordiam tuam concede, ut indefessè perfectionis viam queam decurrere. Da mihi Deus meus, ut tales vel tales possim emendare defectus, quibus continuò succumbo. Benedic obsecro & confirma desideria ista sancta, quæ modò mihi inspirasti, ut imposterum ad meipsum attentior, mortificationis studiosior, humiliationis patientior, in conversatione mea modestior, atque in omnibus actionibus meis esse contendam ac possim religiosior. Illa omnia concede ut tui gratia & amore semper aggrediar, fortiter prosequar, indefessè promoveam, atq; ad gloriam tuam omnemque, quam à misera creatura tua expectare ac desiderare potes, satisfactionem, perficiam.

CA-

CAPUT XV.

Quos affectus quis possit elicere ex consideratione quatuor hominis novissimorum.

1. *De Morte.*

UBi quis consideraverit mortem, illius videlicet necessitatem atque infallibilitatem, horæ verò incertitudinem, aliasque circumstantias, ut dolorem, quem percipiemus ex eo, quod melius non vixerimus, ingens momentum hujus ultimi transitus, à quo dependet æternitas beata aut damnata, aliaque similia superius proposita meditationis puncta, mox in animo illius nascetur:

1. Timor malè concludendi hanc ultimam vitæ periodum, quæ vel maximos Sanctos perterruit.

2. Contemptus omnium visibilium, quod ea tam modico tempore possidere valeamus.

3. Sanctum quoddam odium, aut saltem minor amor atque existimatio corporis nostri in escam aliquando vermium evaluri.

4. Desiderium patiendi atque agendi in vita ista pœnitentiam, ut minorem habeamus causam timendi horam mortis.

5. Constans propositum ita semper vivendi, ac si quovis nobis moriendum foret momento,

Aliique sancti affectus, quos anima hac potest ratione exprimere :

O quàm terribilis hic transitus est, etiam fidelissimis servis tuis, Domine Deus ? quàm ergo mihi formidabilis esse debet ob innumera peccata mea ? Quid obsecro fieret de me, si vel hodie ad tribunal tuum citarer? cum nondum de meis pœnitentiam egerim peccatis, magnam certè haberem ansam de mea desperandi salute.

O mors ! quàm certa pro me es & infallibilis, & quàm incertum, quando, ubi, aut quomodo me invades ? Et tamen de te dependet æterna salus aut infelicitas mea. O quàm felix est ille, qui moritur in gratia Dei, è contra verò, quàm infelix, qui in statu peccati, & antequam ipsum expiare potuerit ac satisfacere, præoccupatur !

Quàm terribilis erit tibi, anima mea, transitus iste ex hac in alteram vitam, nisi vitam aliam institueris ? Qui dolores, quæ amaritudines, qui pavores ac terrores te invadent, ubi Deus ad suum te citabit tribunal, ut omnium operum tuorum exactam reddas rationem? Ubi unico intuitu coram te conspicies omnia totius vitæ tuæ peccata, simul ac diabolum de te, veluti futurâ prædâ suâ, jam tum triumphantem.

Actum est, mi Deus ; hæc adeo profundè mentem penetrat ac pervadit meam cogitatio, ut jam tum firmiter proponam talem vitam ducere, ut mori non metuam. Ex nunc jam cupio perficere omnia opera illa bona, pœnitentias ac mortificationes, quas tunc me feciſſe opta-

optavero. Extremum hocce momentum semper mihimetipsi ob oculos proponam, ut illuc omnes meas referam cogitationes, sermones & actiones.

Eheu! quid est vita hominis, quæ non perdurat nisi ad breve momentum, quamque statim ab hoc momento, imò vel hoc ipso momento mors forsitan abrumpet? Ut quid amamus aut magnificimus res terrenas adeo inconstantes, ut pulveri, quem ventus asportat, persimiles sint? Illorum nobis possessio certa non est, nisi pro unico temporis momento, at earum infelix amor infelicitatem nobis causare potest ac molestiam sempiternam.

Cur quæso in deliciis habebo corpus illud, quod aliquando terræ inhumatum esca erit vermium? Verùm cur non potius illud affligam pœnitentiis atque in omnigenis exercebo bonis operibus, quia hoc unum est, quod ei beatam asserere potest immortalitatem. En desideria ac proposita mea, mi Deus, quæ, obsecro, ut gratiâ tuâ confirmes, atque illa ad majorem tuam gloriam proque tui amore perficiendi animum addas ac media subministres.

2. *De Extremo Judicio.*

ANima, quæ consideraverit rationem, quam in die illa terribili reddere debebit exactissimam, futuram illic peccatorum, quantumvis secretissimorum, evulgationem, pudorem, quem in illo generali conventu subire debebit, Judicis severitatem, sententiam æternæ sive felicitatis sive infelicitatis decretoriam,

anima, inquam, illa ordinariè hos perſentiſcet affectus.

1. Pudoris certi commiſſorum peccatorum, quæ ex apertione libri conſcientiæ, in quo illa omnia ſunt deſcripta, omnibus creaturis manifeſtabuntur.

2. Vivæ apprehenſionis eorum, quæ rationem iſtam exactiſſimam conſequentur.

3. Firmioris propoſiti nihil unquam faciendi in occulto, ex cujus manifeſtatione erubeſcere debeat.

4. Propoſiti quoque certiſſimi ſuarummet rationum conficiendarum, antequam illæ a Deo expoſcantur, ſeque peccatorum debito exonerandi per ſeriam pœnitentiam, ut ita judicii iſtius rigorem evadat. Quos quidem affectus hac ratione poterit exprimere.

Si nosmetipſos dijudicaremus non utiq; judicaremur. 2. *Cor.* 11. *v.* 31.

Eheu! quid faciam? quid dicam? & quid reſpondebo, ubi publicabuntur omnia peccata mea, præſertim hæc & hæc, quorum ſine rubore nequidem poſſum recordari? quid faciam, ubi conſiſtere debebo in medio iſtius magni conventus infinitæ multitudinis, oculis undique in me conjectis, absque eo quod me abſcondere poſſim aut in minimo excuſare?

Tunc (heu miſerum me & inſenſatum!) tunc, inquam, prodentur omnes artes illæ, quibus ad offendendum Deum, ac proximum circumveniendum, prodendumque uſus fui, totidem ignaviæ, quas equidem eſſe putabam quàm occultiſſimas, quæque jam coram toto mundo pudore me afficerent intolerabili, ſi innoteſcerent.

Omni-

Omninò constituo, firmiterque propono, mi Deus, vitam agere tam in occulto quàm in propatulo adeo veracem & candidam, ut nullam habeam causam metuendi, ne quando illa coram cunctis nationibus in conspectu throni tui congregatis publicetur.

Verùm omninò formido faciem tuam justè irâ accensam, supreme Judex; Heu me! quid fiet, ubi comparere debebo coram Judice tam accurato, tam severo, tamque inflexibili, qui nihil dissimulat, quem nihil latet, quique bona æque ac mala opera examinaturus etiam in iis, quæ justissima nos putamus ac perfectissima, inveniet quod coarguat: Verùm quid fiet de me post istud examen adeo rigorosum? Nunquid audire debebo sententiam illam horribilem adversum me pronunciari: *Recede à me, maledicte, in ignem æternum?*

Absit, absit, si tibi placet, mi Deus. Recordare, obsecro, misericordiarum tuarum in die illa terroris ac formidinis. Ne, quæso, perdas animam illam, quam pretioso tuo sanguine redemisti. Quod si, ut tuæ satisfiat justitiæ pro peccatis meis necesse est, ecce paratus sum ad modò præstandam satisfactionem, ideoque jam tum incipio meam ipse rationem inire, atque in meipso ac per meipsum punire totius anteactæ vitæ meæ delicta.

Age, age, anima mea, ex hoc ipso momento pœnitentiam agere incipiamus. Multo enim satius est pro modico tempore pati in hac vita præsenti, quàm in futura

perſentiſcere debere graviſſimam manum Dei non injuſtè nobis infenſi. Ex nunc ergo, mi Deus, conſtituo me exercitare in auſteritate, pœnitentia, & peccatorum meorum accuſatione, ut propitius tu mihi fias in illa die judicii univerſalis ac decretorii.

3. *De Pœnis Inferni.*

EOdem modo ubi quis conſideraverit pœnas inferni, incredibilem videlicet illum ardorem flammarum devorantium, conſcientiæ vermem, horribilem, ob regnum cœlorum amiſſum, triſtitiam, terribilem cacodæmonum viſionem, morſum ſerpentium, aliaque ſimilia tormenta, eaque æterna, anima utplurimùm, veluti etiam in præcedentibus conſiderationibus, iſtos in ſe perſentiſcet affectus:

1. Juſtæ formidinis, ne in abyſſum illam æternam detrudatur.

2. Ingentis horroris adverſus peccata, quæ damnationis iſtius cauſa exiſtunt.

3. Gratiarum actionis, quod fuerit retracta à via perditionis, quæ illuc ducebat.

4. Conſolationis medias inter pœnas noſtras, quandoquidem cùm pœnas meruiſſemus inferni, Deus illas in temporales ac leviſſimas hujus mundi commutans, illis eſt contentus.

5. Propoſiti ſæpius in hac vita cogitationibus deſcendendi ad infernum, quò ita reipſa poſt mortem illuc deſcendere neceſſe non habeat. *Deſcendant in infernum viventes*, ait Pſal-

Pſ. 14. v. 16.

Psalmographus, *ne descendant morientes*, adjungit S. Bernardus.

6. Boni propositi hac terribilium tormentorum illorum consideratione sæpius ad vitiorum tentationes reprimendas ac superandas utendi.

Fieri id totum poterit hoc modo: *Formula.*

Quis habitabit ex nobis cum igne devorante? aut quis habitare poterit ex nobis cum ardoribus sempiternis? idque ne tu poteris anima mea? Prö! quânam ergo ratione consentire audemus in peccatum, quod illuc nos agit præcipites? O locum omnium, quæ quidem ullibi sunt, horribilium horribilissimum! O flammas, ardores, furores, tormenta, dolores terribilium omnium terribilissimos! Prô! quantum tibi, mi Deus, displicet peccatum, quod adeo rigidè pœnis tam horribilibus atque æternis castigas? At at nunquid fortassis ego de numero ero illarum prorsus infelicium creaturarum, quarum sors est in loco illo fletus ac stridoris dentium? *Isa. 33. 14.*

Illa quidem gratiarum, quas hactenus mihi, mi Deus, largitus es, abundantia sperare me jubet, quod non; etenim si perdere me voluisses, usque modò non expectasses. Nimias enim hactenus id faciendi occasiones meis ego peccatis tibi dedi. Verùm quis scit, utrum illa, quam hactenus, me tolerando, ac mihi condonando, mihi præstitisti, misericordia non sit aliq uando me dupliciter coram tua Majestate divina reum constituturа? Indubiè ita fiet, si adeo futurus sim ingratus, ut ad priorem meum vivendi modum revertar. Noli, ô mi

Deus, noli id permittere; omninò enim à te in hoc mundo, quantumcumque tibi placuerit, affligi malo, ut mea sic peccata vindicentur, quàm præstolari, ut in vita puniantur futura, ubi pœnarum finis alius nullus est, quàm æternitas.

Gratias ago tibi, mi Deus, quod ab istis me hactenus præservasti tormentis, ubi à meis me peccatis fecisti resurgere. Eâ enim ratione tantopere me tibi obligasti, ac si ex ipso inferno, ad quem reipsa condemnatus fuissem, me exemisses.

Tu verò, anima mea, quidquid molestum tibi occurrerit ac difficile, haud illibenter perfer & obdura, nihil enim est eorum, quod cum inferni pœnis, quas quidem non semel promeruisti, queat æquiparari. Infracto, age, animo patiamur caloris frigorisve intensioris rigorem, sustineamus generosè austeritates, cilicia & jejunia, contrarietates & injurias, undecumque illæ proveniant, tum ut per istas leviores inferni graviores pœnas evadamus, tum ut hac ratione infinitæ bonitati divinæ, quæ ab illis nos præservavit, gratos nos quodammodo exhibeamus.

4. *De Gloria cœlesti.*

EX gloriæ cœlestis contemplatione, ubi nimirum quis consideraverit loci pulchritudinem, gratæ gloriam societatis, divinas atque inenarrabiles, quibus illic perfundemur, delicias ac voluptates, æternamque in omnibus beatorum felicitatem, sequentes ordinariè nasci solent affectus,

1. In-

1. Ingentis gaudii ad intuitum tantæ felicitatis, pro qua creati sumus.

2. Vivacis illius possidendæ desiderii, ex quo perennis illius nascetur memoria, quæ causa erit, cur indesinenter conversatio nostra sit in cœlis.

3. Spei illuc perveniendi.

4. Contemptus rerum terrenarum, in quibus amabilitatis omnino nihil est, si cum cœlestibus illis comparentur.

5. Consolationis ac lætitiæ in adversitatibus, quæ illuc nobis viam adornant. Exprimi affectus isti hoc modo poterunt.

Nota. Affectus gaudii magis muti sunt, quam discursibus obnoxii.

Lætitiâ efferor, gaudioque prorsus extra me rapior, Domine, ubi cœlestis illius paradisi tui pulchritudinem attendo. Exprimere amplius nequeo, id quod persentisco; neque etenim oculus vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis ascendit, quæ præparasti electis tuis.

Nunquid ea, mi Deus, me manet felicitas, ut absoluto hoc meæ peregrinationis curriculo illuc perveniam, ubi vera est patria mea? O vita unicè desiderabilis, vita delicioſa, vita pura, vita sancta, vita cœlestis, vita divina! *Adhæreat lingua mea faucibus meis*, si tui unquam oblitus fuero.

Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui Ierusalem.

Illuc, ô Deus, incessanter desideria omnia mea dirigam, quamdiu in hoc detineri exilio me contigerit: *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit & deficit anima mea in atria Domini:* Quanta, inquam, sunt gaudia, quantæ dulcedines, jubilationes, oblectationes, voluptates, abundantia ac super-

Ps. 136. v. 6.

Ps. 83. 2.

abundantia consolationum cœlestium, qui ex torrente divinarum tuarum deliciarum in justos omnes redundant.

Ut hac vitâ æternum vivam, creasti me, Domine, hanc ergo in bonitate tua infinita spem repono, fore, ut mediante gratiâ tuâ illuc aliquando perveniam. *Non moriar sed vivam*, ubi anima mea à meo corpore separabitur. Tunc unà cum omnibus beatis illis civibus narrabo & cantabo misericordias tuas.

Non moriar, sed vivam, & narrabo opera Domini. Ps. 117. v. 17.

Agedum, anima mea, sublimioribus imposterum ac generosioribus cogitationibus occupemur, quandoquidem pro gloria cœlesti creati sumus, vanos illos affectus erga res terrenas exuamus, ut rerum cœlestium ac æternarum contemplationi reipsa intendamus. Illis oblectemur cogitationibus; de illis amemus loqui, & quidquid aliorum eveniat, nunquam à cœlestium consideratione abduci nos patiamur. Ut quid in loco exilii nostri velimus conquiescere, ubi continuæ vicissitudines nil nobis nisi inquietudinis argumenta conciliant? *Ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia.*

Quod si patienter nobis aliquid in hoc mundo tolerandum est, ut in altero simus beati, venite, venite super me omnes afflictiones, tormenta & persecutiones Diaboli, & omnes in me irruant creaturæ, meque dilacerent ac dilanient, ut aliquando æternâ illâ felicitate potiri queam. Etenim corona est, quæ non datur nisi legitimè certantibus.

Nam & qui certat in agone, non coronatur, nisi legitimè certaverit 2. Timoth. 2. 5.

Deus

Deus bone! quanta infelicitas, quantus dolor, quanta foret tristitia, si meâ accidisse negligentiâ atque ignaviâ deprehenderem, quod tuæ divinæ præsentiæ, quæ totam cœlestem curiam tantopere oblectat, fruitione privarer? Idcirco ex intimo cordis mei affectu, totoque conatu te rogo & obtestor, ut illam concedere mihi gratiam digneris, ut majori imposterum alacritate ac fervore, quàm hactenus factum fuerit, allaborem, ut mea conversatio tota sit in cœlis, ut ne amplius per istas res terrenas serpam, neque vanæ hujus mundi deliciæ me amplius, quàm lutum aut fimus, afficiant.

CAPUT XVI.

De aliis affectibus specialibus, qui elici possunt ex consideratione materiarum Provectioribus propriarum.

MAteriæ hujusmodi ordinariæ sunt:

1. Virtutes in genere, aut in specie.

2. Mysteria vitæ, mortis, ac passionis Domini nostri Jesu Christi.

3. Sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum.

4. Vita & virtutes B. Virginis aut Sanctorum.

5. Vota, exercitia & sanctiores observantiæ Religionis.

6. Loca sacræ Scripturæ, sententiæ sanctorum

rum Ecclesiæ Patrum, versiculi Psalmorum &c.

7. Beneficia divina tam in genere, quam in specie.

8. Attributa Dei.

9. Creaturæ, in quantum illæ in Dei nos cognitionem inducunt.

Ex quibus materiis, præter quatuor istos affectus generales, de quibus supra egimus, nasci possunt alii speciales, ut putà compassionis, amoris, imitationis aliique similes, ut in formulis sequentibus videre erit.

1. *De Virtutibus.*

EX consideratione ergo alicujus virtutis v. g. mansuetudinis, ubi quis consideraverit illam consistere in certa quadam animi æqualitate, in medio etiam injuriarum & opprobriorum tranquillitatem non amittentis, neque ullam contrahentis amaritudinem; oriri eam, tanquam ex proprio fonte, ex vili nostrimetipsorum existimatione; proprium illi esse, nos Deo æquè ac hominibus reddere acceptos; effectus illius esse reddere bonum pro malo; finemque obtinere nobis conditionem filiorum Dei, & consequenter cœlestis regni hæreditatem: denique admirabilia, quæ nobis dereliquit, Salvator noster, illius exempla. Ex hac inquam meditatione infallibiliter nascitur.

1. Magna existimatio, complacentia, atque inclinatio quædam erga hanc virtutem, quæ nobis adeo amabilis apparet ac jucunda.

2. In-

2. Ingens illius quacumque demum viâ acquirendæ desiderium.

3. Voluntas imitandi Salvatorem nostrum in exemplis hujus virtutis, quæ nobis ipse dedit.

4. Firmum propositum illius obtinendæ media inquirendi, nullamque omnino illius acquirendæ occasionem negligendi.

Aliique hujusmodi affectus, quos ista quis ratione poterit exprimere.

Adeo mihi placet istius pulchritudo virtutis, mi Deus, ut omnino in illam acquirendam, quovis studio ac labore incumbere constituerim. Absque illa enim ratio mea passionum mearum tumultui tyrannico modo subjicitur; Voluntas inquietudine ac turbatione, cor meum semper plenum est amaritudine, atque in eo sum statu constitutus, qui tuæ omnino displicet divinæ Majestati. O! quàm felix est anima, quæ pacem cordis possidet ac tranquillitatem, quæ viscera habens penitus charitate colliquata, nescit quid sit offendi, turbari aut irasci, quæ sexcentas perferre mavult injurias, quam inferre vel unicam, quæque, uno verbo, adeo in semetipsa humilis, adeo in Dei voluntatem resignata, adeo proximi amore plena est, ut in medio persecutionum adversus eam concitatarum, opprobriorumque ipsi illatorum absque ulla penitus offensione perduret? *Formula.*

Hocipsum est, quod tuo nos docuisti exemplo, divine Salvator, ubi injuriis affectus, contumeliis agitatus, graviter cæsus, ac tandem morti

morti adjudicatus, ne verbulum reposuisti, quin potius tortoribus, quasi Dominis tuis, te submittens, trahi, cædi & occidi te sine ulla oppositione permisisti.

Intuere, anima mea, & attende, quale tibi Redemptor tuus exemplum reliquerit: Ecce quem debeas imitari. Ad illius igitur imitationem imposterum patienter feres non solùm mortificationes, quas tibi injungi continget à superioribus, verùm etiam duriora verba, quin & irrisiones, quas, Deo permittente, à fratribus tuis patieris. O Domine Jesu Christe, pulchritudo excellentissima, omniumque virtutum speculum, quantâ admiratione, quantoque gaudio afficiebantur Angelici illi spiritus, ubi cordis tui humilitatem, tuæ conversationis dulcedinem, atque in tam injuriosis, tuaque adoranda Majestate prorsus indignis verbis patientiam invictam contemplabantur! Verùm quò cunctæ istæ virtutes spectabant, nisi ut mihi exemplum præberent, quod imitarer? Etiam id ex toto corde desidero, tuaque vestigia sequi omnino decerno. Ad exemplum videlicet tuum mitis, humanus, pacificus, comis ac patiens ero, eoque fine contendam, ut mihi nulla penitus virtutis hujus exercitandæ elabatur occasio.

2. *De Mysteriis vitæ & passionis Domini nostri.*

IN cujuslibet istorum mysteriorum meditatione, postquam quis consideraverit non esse creaturam, sed Deum, qui talia dicit, aut facit, idque propter homines peccatores & ingra-

gratos, & quidem pro quolibet in particulari, sine ullo suo emolumento, sed solùm pro nostra salute & ad nostrum exemplum. Ea vero ipsum facere ac pati magno animo, amoreque forti, tenero ac liberali, cum magna exteriore voluntatis propensissimæ, suavitatisque eximiæ demonstratione: ubi denique sigillatim expenderit omnes circumstantias temporis, loci & personarum, quantum quidem materia permiserit; infallibiliter persentiscet complures affectus præcipuè vero istos.

1. Compassionis, videndo personam divinam adeo sanctam, adeo innocentem, adeoque teneram, tot pœnis ac tormentis, vitæ adeo pauperi ac pœnosæ, mortique doloribus atque ignominiis adeo plenæ subjectam.

2. Tenerrimi atque affectuosissimi amoris, ut amori immenso ex parte Dei patientis conspicuo correspondeat.

3. Ardentis desiderii illum imitandi, illiusque insistendi vestigiis, eo fine quærendo media, proponendoque nullam hujusmodi imitationis elabi sinere occasionem, quin potius res quasvis arduas illius amore libenter ac generosè suscipere.

Anima, quæ quidem interiori hac fuerit ratione affecta, hosce vel similes actus formare poterit:

Ubi te considero, mi Jesu, in stabulo ventis undique pervio, asperrima hyeme, nascentem: ubi vitam tuam contemplor plenam laboribus, molestiis & contumeliis, ubi te intueor columnæ alligatum, adeò crudeliter omninoque inhumanè flagellatum, spinis co- *Formula.*

rona-

ronatum, felle potatum & cruci affixum, cor meum præ compassione disrumpitur, & oculos lacrymæ invadunt, cùm tanta pati te videam.

Verùm ubi perpendo, hæc omnia te facere ac tolerare pro hominibus miseris, tantoque prorsus favore indignis, pro peccatoribus infelicibus & ingratis, qui ne quidem beneficium agnoscunt, & pro me speciatim, qui omnium ingratissimus sum, hic amoris tui excessus attonitum me reddit adeò, ut quid dicam aut quid sentiam, ignorem. O cor inhumanum! tot ac tanta tam perfectæ amicitiæ testimonia ac signa emollire te nequeant?

Quid? Num videbo Deum meum pro mea salute, formâ infantis assumptâ, incarnatum, eoque usque semetipsum humiliantem atque exinanientem, ut in stabulo inter bestias nasci, ac in præsepio voluerit super fœno collocari? Illum videbo in ætate jam provectiore, fame, siti, jejuniis, vigiliis, atque aliis incommoditatibus confectum, non habentem quo se conferat, imò ubi caput suum pretiosum reclinet, coram suis se creaturis usque adeo demittentem, ut pedes earum abluat, impiis se submittentem, atque ipsis suis se crucifixoribus subjicientem, voluntariè ac liberè ad mortem crucis semetipsum offerentem, atque ad hæc omnia non nisi amore illo, quo me ineffabili prosequitur impulsum? Hæc, inquam, omnia videbo, quin amorem hunc profusum agnoscam, & quantum in me est rependam? Hanc adeo abundantem, adeoque pretiosam redemptionem non magni ducam?

cam? Vah! mori potius, quàm in talem incidere ingratitudinem.

Verùm, quam mercedem pro tot tantisque excessibus, in tua divina persona mei gratiâ completis, requiris, mi Deus? Scio, amantissime Redemptor, imitationem potissimum te exigere. Etiam, Domine, volo te imitari, atque hoc est, quod firmiter decerno.

Quid? Ego deinceps humiliari renuerem? Vestium luxum, ac nutrimenti delicias consectarer? tanti honorem atque existimationem meam facerem, ut ne verbulum, quod mihi displiceat, aut honori meo vel tantillum deroget, pati vellem? Nullam corporis animique afflictionem cum resignatione acceptarem? absit. Etenim quid mihi toleratu evenire difficile potest, ubi ipsum cum iis, quæ talis ac tantus Dominus mei causâ voluntariè pertulit, comparavero? operi manus admovenda est. Etiam, ö mi Deus, nullum tuus miles ictum persentiscet, ubi in plagas ac vulnera Regis sui amantissimi, glorioſissimique oculos suos conjecerit.

Devotus miles non sentit sua, cum benigni Ducis intuetur vulnera. Bernard.

Meum est, ô Domine, subire tormenta, quia ego commisi delicta, me castiga, me confunde, corpus & animam meam omnigenis pœnis afflige. Etenim si ego sum, qui deliqui, nunquid etiam meum est, puniri? O ineffabilem tuam, Salvator pientissime, charitatem, qua tu te ad cædem offers & crucem pro reis! Quem non afficiat, verùm afficiat quàm vehementissimè,

desiderium sua corrigendi delicta, horrendique atque æternum fugiendi peccata, quæ tantorum extitere tibi causa tormentorum?

Mi Deus, quam ardentia cor meum inflammant pro te patiendi, atque ad tuam imitationem res quasque difficillimas maximeque arduas aggrediendi desideria? Quam pudet, pigetque hactenus vitam duxisse à tua tantopere alienam, toties mortificationis occasiones respuisse, ut meæ sensualitatis inclinationes vehementius sectarer? Quantis me bonis privavi? Prô! Ex fundo cordis mei optarem id nunquam factum fuisse. Quam pudet adhuc tam parum super sanctas actiones tuas heroicasque admirandæ vitæ tuæ virtutes reflexisse? At firmius hoc mihi constitutum est; illam vitam tuam imposterum habere pro exemplari & archetypo, illamque semper oculis mentis meæ præsentem inspicere, ut meam ipsi, quantum quidem possibile fuerit, assimilem & conformem.

3. *De Augustissimo sacro-sancta Eucharistiæ Sacramento.*

ANima, postquam contemplata fuerit instituendi hujus ter adorandi Sacramenti rationes, amoris erga genus humanum tenerrimi plenas, miracula, quæ Salvator noster facit, ac pericula, quibus ipse se exponit, ad nos ut veniat, mirabiles, quos producit, effectus; ac præcipuè illustrationes & consolationes, quas iis infundit animabus, quæ convenienti ipsum cum devotione receperint; anima, inquam, postquam ista ac similia meditata

ditata fuerit, uti decet, infallibiliter hosce persentiscet affectus.

1. Tenerrimi, intimi, ac reverentissimi amoris erga Deum ac Dominum Salvatorem nostrum.

2. Sinceræ intimæque recognitionis illius doni inæstimabilis.

3. Profundissimæ humiliationis atque abjectionis suiipsius, cum tantus Deus tanta pro vili creatura sua operetur mirabilia.

4. Affectuosissimæ adorationis filii Dei in sanctissimo Sacramento.

5, Laudis, admirationis, suspensionis, aliosque innumeros sanctos affectus ex hoc sanctissimo atque ineffabili Sacramento, veluti è perenni scaturigine, promanantes.

Deinde producet quatuor istos affectus generales:

1. Actionis gratiarum pro tanto beneficio.

2. Propositi sese dignè semper præparandi ad sacram communionem.

3. Oblationis suiipsius in vicem amoris.

4. Petitionis gratiæ ad habendos semperque fovendos conceptus & affectus, quos tantum promeretur mysterium.

Formulam hujusmodi actuum hic non damus, tum ut ingratam vitemus prolixitatem, tum etiam quia facile erit imitari formulas præcedentes.

4. *De Vita ac Virtutibus B. V. & Sanctorum.*

POstquam illorum virtutes, merita, gloriæ gradus, media, quibus illam sunt assecuti,

quomodo gratiis cooperati fuerint divinis, similiaque consideraverimus, excitabimur.

1. Ad congaudendum de magna eorum felicitate.

2. Ad collaudandum Deum ob singulares, quas ipsis contulit, gratias, specialemque eorum electionem, ut in Ecclesia sua illos præ cæteris eximios efficeret.

3. Ad imploranda intercessionis eorum subsidia.

4. Ad imitandam virtutem, quæ amplius in ipsis reluxit, cujusque studium statui ac professioni nostræ amplius congruit.

Atque ad alios similes eliciendos affectus, quorum producendorum formulam omittimus, quia facile erit imitari præcedentes.

5. *De Regulis & Exercitiis Religionis.*

COnsiderando, illas esse ordinatas à Deo, contineri in illis media, quibus nos Deus vult salvare, maximi semper fuisse æstimatas, exactissimeque observatas à plurimis eximiis nostri Ordinis Sanctis, qui earum observatione insignem sanctitatis apicem sunt consecuti, aliaque similia anima interius commovebitur

1. Affectu existimationis ac magni respectus earum omnium in generali.

2. Gaudio, quod illas professa sit, quodque in iis medium inveniat infallibile pertingendi ad omnimodam perfectionem & salutem.

3. Invicto proposito sollicitè ac fideliter observandi semper quamcumque earum, etiam mini-

minimam, quia omnes æqualiter â Deo sunt ordinatæ, & illas qui negligit, in evidenti suæ salutis periculo constituitur, quia declinat à via, quâ ipsum Deus ad finem conducere beatum constituerat. Aliisque similibus affectibus, quorum actus conformiter ad supradictas formulas produci poterunt.

Monitum pro sententiis sacræ Scriptura.

Quoad loca sacræ Scripturæ ac sententias SS. Patrum, sicut in illis contentæ veritates similes non sunt, etiam differentes ex iis nasci solent affectus, quæ causa est, cur de illis in particulari determinatè nil dicere valeamus.

6. *De Beneficiis Divinis.*

ANima, ubi consideraverit, quantum sit quodvis ex hujusmodi beneficiis, qua ratione ipsum nobis contulerit Deus ex mera sua infinita bonitate, idque eo fine, ut nos per hoc amplius ac strictius ad ei serviendum obligaret, & denique quâ in miseria versaremur, nisi isto fuissemus beneficio affecti, anima, inquam, illa infallibiliter excitabitur

1. Ad huic benefactori suo humillimas toto cordis affectu agendas gratias.

2. Ad bonitatem hanc divinam adeo magnificam, adeoque erga nos, absque ullo suo emolumento, profusam totis viribus redamandam.

3. Consequenter proponet à se hoc beneficium, donum aut gratiam illius servitio penitus impendendam,

4. Veniam rogabit præteritarum ingratitudinum, quodque donis toties, naturalibus æquè ac supernaturalibus, sibi abundantissimè concessis abusa fuerit.

5. Amorem omnem exuet creaturarum, fortiori impulsa amore Dei, ut illi soli adhæreat, atque in omnibus ac per omnia sanctissimæ illius pareat voluntati.

7. *De Perfectionibus Divinis.*

EX consideratione divinorum attributorum communiter nascuntur

1. Alta existimatio magnitudinis Dei.

2. Magna admiratio animique suspensio ad intuitum tantarum excellentiarum.

3. Actus profundæ humiliationis, adorationis, ac summi respectus.

4. Affectus amoris, laudis atque integræ submissionis illius sapientissimæ directioni factæ, perfectæque in illius protectione fiduciæ.

5. Totalis oblatio corporis animæque nostræ ad illi omnibus, quibus ipse voluerit, modis inserviendum.

6. Motus ac desideria integræ transformationis in vasto hocce pulchritudinis bonitatis, amoris, atque æternæ felicitatis oceano.

7. Ardens honoris ipsius zelus, aliaque similia.

8. *De Creaturis.*

NOn desunt, quibus creaturæ amplissimam suppeditant meditationis materiam. Illi ductum ac motum interiorem, eamque,

quam

CAPUT XVII.

Formulæ Orationis.

TRes esse methodos, quas observare quis potest in eliciendis affectibus in oratione, superius annotavimus Prima est, ut singulas considerationes immediatè sequantur affectus. Secunda, ut omnes considerationes præmittantur, antequam ullus affectus eliciatur, Tertia, ut affectus considerationibus permisceantur. Ea de causa videri cui posset necessarium, ut hic triplicis generis meditandi formulas adjiceremus secundùm istam triplicem methodum: at duo nobis genera sufficient, quia unum servire potest pro primo ac secundo modo, ut suo loco ostensuri sumus.

Peccatum vero materiam nobis & argumentum suppeditabit, de quo quatuor instituamus considerationes, quæ constituent quatuor puncta meditationis.

FORMULA PRIMA.

In qua singulas considerationes convenientes consequuntur affectus.

Directio.

Actus humilitatis. ANte divinam Majestatem tuam Domine hic me sisto, de peccatis meis tecum collocuturus. Novi equidem atque omnino con-

confiteor me prorsus indignum esse, qui in conspectum tuum veniam, qui hominum sum omnium quam maximè detestandus, ac mille jam pridem infernos promeritus. At infinita bonitas ac paterna benignitas illa, qua recipere consueviſti peccatores peccata sua agnoscentes, faciliorem mihi aditum reddet, accessumque ad divinam Majestatem tuam, si placet, donabit.

Ideaquam quis in hac meditatione de Deo habere debet.

Quinimò, scio, Domine, tuum erga peccatores amorem tantum esse, ut illos ipse provocare omnibusque modis allicere & attrahere non cesses, ut ad seipsos, atque ad te revertantur, peccata sua agnoscentes, ingratitudinem ac demeritum intelligentes, ea deplorent, veniam à te humillimè petant, sicque in gratiam tecum redeant.

Expositio intentionis prafixæ orationi.

Hoc ipsum est, quod ego modo facere cogito ad pedes misericordiæ tuæ, ea, qua mihi possibile est, cum humilitate ac verecundia prostratus, ut humillimè te obtester, ut meorum mihi veniam peccatorum, infidelitatum atque ingratitudinum, quibus tuam in me iracundi m concitavi, concedas, clementerque indulgeas.

Petitio auxilii divini.

Omnia, humillimè rogo te, in hac actione mea tuæ gratiæ impedimenta removeas, memoriam meam bonis cogitationibus, intellectum luminibus, ac sanctis voluntatem affectibus repleas, cor & sensus meos dirigas, ut orationem hanc perficere possim, uti facere cupio, ad majorem tuam gloriam, animæque meæ salutem. Animum meum ad te atque ad propositam materiam attentum

efficias, ut inde veros affectus, firmaque proposita eliciam peccata super omnia execrandi ac fugiendi.

Abdicatio distractionum.

Renuncio omnibus distractionibus, tumultibus, aliisque impedimentis, quæ supervenire mihi poterunt, coram te protestans illis nullum unquam præbere me velle consensum, idcircò ex nunc illa abdico. Virgo ter sancta terque glorioſa, tuo mihi interventu assistas, tuque mihi, Angele mi tutelaris, tuis sanctis illuminationibus adsis, atque inimicos perfectionis meæ, ne me in divino hocce exercitio interturbent, cohibeas.

Invocatio B.V. Angeli nostri præsidentis orationibus: Diaboli verò nil aque satagunt, quàm ut nos ab illis impediant aut in illis distrahãt.

CONSIDERATIO PRIMA.

Quàm peccatum in seipso sit abominabile.

AGe igitur, anima mea, rem aggrediamur, videamusque atque attentè coram illo, quem toties offendimus, consideremus quid sit peccatum. Dic, ô infame peccatum, quid es in homine, nisi terribile monstrum, horror omnium horrorum, atque abominatio omnium abominationum? Tu es calamitatum omnium caput omninò pejus nihilo, quia satius multò foret nunquam fuisse in numero creaturarum, quam te admisisse. Prô! Quam horribilem in animam tu inducis deformitatem? Etenim ea, quæ est imago Dei ac sanctuarium, in quo habitare divinæ suæ complacet Majestati, illa inquam imaginem Diaboli gestare incipit, atque in cubile draconum aspi-

Salvator noster dicebat de Juda: bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. Matt. 26. 24.

aspidumque convertitur, ubi te semel admittit.

Ob oculos mihi propono quidquid abominationis est in mundo, & peccati horrorem semper esse majorem deprehendo. Etenim ipsum coram Deo horribilius est quovis bufone, serpente, ac quidquid est corruptelæ super terram. Tuque ô anima mea, mox, ubi infame hocce monstrum intra tuam conscientiam admisisti, in oculis Dei magis horrida evasisti, quam in oculis tuis horridissimus esse queat bufo aut draco: Imò æque ac ipse Diabolus effecta fuisti horribilis, quia hunc non ignis inferni, sed peccatum, quod commisit, horribilem adeo efficit. Cumque idcircò æque atque ipse horrendum hocce monstrum admisisti, eundem quoque cum ipso horrorem contraxisti. Dic, quæso, an non horrore ac timore confecta interires, si in sua horribili deformitate Diabolum videres? Cur ergo tuiipsius horrore non interimeris? Causa est, quia tuammet infelicitatem non agnoscis. O quam horrendum tibi foret, si inter medios serpentes, aut in fossa bufonibus plena dormire te oporteret? At horribilius longe est, te videre peccatis circumdatam, omninoque onustam. Tanta demum abominatio est vel unico infici peccato mortali, ut si ipsum videre posses, metu interires potius omnibus illis, qui ad intuitum horrendi cujuslibet spectri terrore concussi interierunt, quia etiam in ipso inferno, ne dum in hoc mundo, peccato terribilius nihil est.

Affe-

Affectus ex hac prima consideratione eliciendi.

APeri mentis meæ oculos, Domine, ut videam atque intelligam statum illum miserrimum, ad quem peccatum, hostis ille tuus juratissimus & capitalis, me reduxit. Vah! mi Deus in oculis tuis abominabilis eram nimis, neque tamen advertebam. Conscientia mea cloaca erat corruptelâ quavis plenissima, multoque iis omnibus, quæ in mundo erant, fœtidior, horribiliorque, & non curabam. O me infelicem, quod in memetipso prophanaverim imaginem Creatoris mei, ut imaginem gestarem Cacodæmonis! Infelicem, quod horrorem causaverim illi, cui titulis infinitis obligabar meme reddere, quam possem, amabilissimum. Quid? ego te, Domine, divinam tuam faciem à me avertere compuli? Ego, quem eo fine creaveras, in me ut æternum requiesceres? Ego, ego, inquam, quem infinitis tuæ gratiæ donis ditaveras atque exornaveras? O quantum, quantoque cum affectu detestor infelicem horam illam! quàm pœnitet me actionem illam admisisse detestandam! Rescinde, Domine, rescinde horam illam funestam ex numero earum, quæ cursum vitæ meæ constituunt, fac ut inter alias non recenseatur; sit quasi non fuerit, quia ego approbare non possum, quod in illa feci. Revoco atque ejuro consensum illum iniquum, quem præbui malo. Nunquam id factum fuisse vellem, toto ex corde meo doleo, quod factum fuerit. atque à te, Domine,

Actus contritionis ac doloris.

mine, quàm humillimè veniam peto & obtestor, atque utinam hoc momento concipere possem omnes illos affectus doloris, quos unquam animæ conceperunt verè pœnitentes, quò ita offerre tibi possem sacrificium cordis profundè humiliati ac verè contriti.

Utinam tibi nunquam displicuissem! utinam cum peccato nunquam pepigissem fœdus, neque animam meam vitiorum fuligine denigrassem, eamque in immundissimarum, horrendissimarumque bestiarum naturam degenerare compulissem! Eheu! Ubi mens erat & ingenium? Ignosce, nunquam amplius peccabo, nunquam deinceps committam, ut tibi displiceam.

Fortiter propono sollicitè conservare interiorem animæ meæ pulchritudinem, quam semel amissam per gratiam tu mihi tuam restituisti. Atque in recognitionem ingentis bonitatis illius, qua me in meis abominationibus patienter supportasti, promitto tibi futurum, ut reliquum vitæ meæ tuo impendam servitio, agamque, ut oculis divinæ Majestatis tuæ non minus placeam, quàm hactenus ob peccata mea displicui. Atque insuper ut hæc mea resolutio sit fortior atque efficacior, promitto fore, ut à peccato ad primum illius intuitum non minus celeriter, quàm à facie colubri, fugiam, fidelissimè primis tentationum insultibus resistam, omnesque occasiones, quæ aditum peccato præbere possent, quàm sollicitissimè evitem: quæ omnia adimplebo me-

Propositio.

Petitio. mediante ſereniſſimâ gratiâ tuâ, quam eo fine humillimè imploro per merita unigeniti filii tui Salvatoris mei Jeſu Chriſti.

CONSIDERATIO SECUNDA.

Quàm peccatum ſit injurioſum Deo.

COepto pergamus pede, anima mea, atque inſuper conſideremus, quanta ſit indignitas contra Deum ſe erigere, honoremque ei ac reverentiam, quam tot tantisque titulis omnes ei debent creaturæ, denegare. Quid? relinquere Deum, eum deſerere, minorisque quàm paſſiones noſtras æſtimare? Objectum indignum ei in corde noſtro anteponere, viliſſimam creaturam amplius, quàm ipſum, diligere?

Me autem projeciſti poſt corpus tuum. 3. Reg. 14. 9.

Expendamus nonnihil, &, quantum fieri poterit, comprehendamus incomprehenſibilem Majeſtatis ipſius magnitudinem, ſicque apparebit, quàm atrox injuria ſit, quam ei inferimus, ipſum contemnendo. Id quod coram Rege terreno committere nemo auderet, coram Deo tuo facere non vereris: Legem Regis, ipſo præſente, aut regulas tuæ Religionis, inſpectante ſuperiore tuo, violare non auderes, & Regis ſupremi mandata, ipſo præſente atque inſpectante, prævaricari non dubitaſti.

Liberum tibi erat ipſum aut honorare obediendo, aut inhonorare, illius mandata ſacroſancta transgrediendo, tuque inhonorare ipſum non timuiſti, ut pravæ cupiditati tuæ ſatisfaceres.

Attende,

Attende, atque æquâ lance perpende, quàm sit atrox injuria, Deo tergum obvertere, ab illo desciscere, suavissimum obedientiæ illius jugum excutere; arma adversus ipsum capessere, cum Diabolo societatem inire, honorem ei atque obedientiam exhibendo, quam supremę Majestati denegamus. Quàm horrendus contemptus! Quàm probrosa injuria! Quanta contumelia! Quàm execrabilis indignitas! næ illam infinitam esse oportet, cum Deus offensus sit infinitus.

Cùm etenim injuria crescat eâ proportione, qua crescit dignitas illius, qui offenditur; sicut manifestum est, majorem esse injuriam, cùm offenditur Nobilis, quàm Rusticus; Rex, quàm quivis alius; profectò offendere Deum infinitum injuria esse debet atque indignitas infinitè abominanda.

Quod si præterea expendere velimus, quantum offensæ istius enormitas creverit ex multiplici obligatione, quam post tot tantaque beneficia habemus serviendi atque obediendi Deo, apertè videbimus, quàm horrendum in modum culpabiles simus. At considera dumtaxat, anima mea, viliſſimæ conditionis tuæ circumstantiam. Quomodo fieri potest, ut homo fragilis, infelix, ac nihili contra Deum insurgat? Ut pulvis agnitionem, quam Creatori suo debet, recuset? Ut vilis vermiculus adeo impudens sit, ut cœli Monarcham aggredi præsumat? Quid diceres, si formicam videres bellum moventem Leoni, aut misellum Rusticum obniti suo Regi? Nunquid igitur arrogantia est insupportabilis, quod homo, qui

purum

purum putum nihil est, offendat tantum tamque potentem Deum, eique obedientiam denegare ausit?

Verùm quàm horrendum facinus, ipsum in seipso adoriri, ipsumque velle, si fieri posset, in nihilum redigere? Eousque iniquitas atque impietas peccati procedit ac peccatoris, qui vellet Deum non esse, ut peccatorum suorum vindicem non haberet. Vah! Non est infernus, in quo tantum crimen pro meritis castigari queat. Nunquam enormitates istas comprehendere poterit homo, quia ineffabilem magnitudinem Dei, extremamque creaturæ vilitatem comprehendere nunquam poterit. Angeli, Beati ac Sancti, qui Deum clarè intuentur, veluti infinitas ipsius perfectiones nobis melius pervident, sic peccati gravitatem melius concipere possunt. Eapropter annihilari ipsi omnino mallent, aut etiam in flammis inferni æternùm cruciari, quàm permittere, siquidem penes ipsos staret, ut vel unicum committeretur peccatum. Nihilominus neque ipsi omninò integrè cognoscunt peccati indignitatem, quia ad illam plenè comprehendendam incomprehensam oporteret ut comprehenderent magnitudinem Dei. Solus autem Deus est, qui seipsum comprehendat, atque idcircò solus etiam ipse horrendam malitiam, infandamque peccati comprehendit deformitatem.

Affectus hujus secundæ considerationis.

Heu! mi Deus, satis, imò nimium infelix fui committendo peccatum divinæ Majestati

ſtati tuæ adeò injurioſum, atque inſuper, pro infelicitatis meæ complemento, ſufficiens non ſum, ut peccati horrorem atque indignitatem perfectè queam cognoſcere. Prô! quàm infelix eſt iſta conditio mea, quod infinitè te poſſim offendere, neque tamen exceſſum malitiæ meæ queam comprehendere? Summè tamen de peccatis meis doleo, illaque deteſtor non ſolùm, quantum ego ea cognoſco, parum enim id foret, verùm odio ea habeo, quantum tuipſe ea odiſti, Improbo ea, quantum tuipſe ea reprobas. Plango ipſa plus quam ea ego cognoſco, & perinde atque ea tu abhorres.

Quandoquidem adeo infeliciter occœcatus fui, ut te peccatis offenderim & numero infinitis & qualitate ſupra modum injurioſis, Vah! nolo doloribus meis, lacrymis ac ſatisfactioni, quam tibi facere cupio, terminos ullos præſcribere.

O mi Deus! quid feci ego viliſſima creatura, qui infinitis titulis tibi obligatus eram & obſtrictus propter innumera, quæ ab infinita bonitate tua receperam beneficia? Ego te contempſi, inobediens tibi extiti, contra te me erexi, contra te, inquam, Regem meum, Dominum meum ac Deum meum, O voluntatem perverſam! O execrabilem malitiam! Eheu, Eheu! Ubi tunc eram? quid cogitabam? Ubi erat intellectus, ubi ratio mea? O Deus, quantum doleo de hac cœcitate & ingratitudine mea.

Ignoſce mihi, adhuc ſemel rogo, rogareque, ut exiſtimo, vellem uſque ad conſummationem ſæculi, dicereque, atque identidem inge-

minare, ignoſce mihi per magnam miſericordiam tuam. Hoc te obteſtor per viſcera ineffabilis charitatis tuæ, & per vulnera Salvatoris mei, unigeniti filii tui. Ignoſce mihi, qui (eheu!) neſciebam quid facerem. Ignoſce mihi ea conditione, ut nunquam relabar. Ex nunc renuncio cuivis alteri Domino, quàm tibi, cujusvis alterius ſequelæ, quam tuæ, cuivis alteri honori, amori ac ſervitio, quam tuæ divinæ Majeſtatis. Ego te recognoſco Deum meum, Creatorem meum, Patrem meum, Dominum meum, Regem meum & omnia. Rejicio & retracto quidquid unquam dixi, feci aut cogitavi contrarium huic reſolutioni, proteſtationi ac voluntati.

Huic affectui diutius inſiſtere, eumque quis poterit ſecundùm interiorem Spiritus ſancti impulſum amplificare, ſive ſuprà peccatum in genere, ſive ſuprà aliquod in particulari, de quo ampliorem perſenſerit contritionem.

CONSIDERATIO TERTIA.

De animæ vaſtatione fieri ſolita per peccatum.

RAtioni omninò conſentaneum erat, anima mea, ut primò conſideràremus jura Dei peccatis noſtris offenſi, ; at æquum nunc eſt, ut noſtra quoque damna & jacturas expendamus ; videamus ergo ac penitius inſpiciamus luctuoſos effectus ab iſto horribili monſtro produci ſolitos in anima, quam occupârit.

Prô!

Prô Deum quantam cauſat vaſtationem ! Non ſecus etenim atque ſi expilatio foret urbis violenta manu occupatæ, necat, incendit, diripit, in captivitatem redigit, ac quidquid expetendum eſt evertit, animamque iſtam eò calamitatis redigit, ut ipſi Angeli ſi poſſibile foret, ipſam plorare cogerentur.

Heu me miſerum ! tu, tu, crudele monſtrum, animæ meæ plagam mortiferam inflixiſti, ubi à me (eheu!) intra conſcientiam meam admiſſum inde exturbaſti Deum, qui illic tanquam in Regno ſuo reſidebat, quique erat vita animæ meæ ampliùs multò, quam anima mea vita ſit mei corporis. Tu gratiâ me privaſti, illâ inquam gratiâ, quæ cunctis pretioſior eſt longè theſauris hujus mundi. Tu me ſpoliaſti omnibus præteritæ vitæ meæ meritis, univerſoque omnium confeſſionum, communionum, orationumque ac bonorum operum meorum fructu. Tu tandem à me abſtuliſti conditionem filii Dei, ſimul ac jus omne, quod habere poteram ad paradiſi gloriam cœleſtis, adeo ut ſi in ſtatu iſto vitam hanc finiviſſem, Diabolorum præda, incendii infernalis nutrimentum, materiaque ad æternùm in flammis illis devorantibus ardendum quam maximè propria fuiſſem.

O anima mea ! quanta bona amiſiſti ? quam terribilia mala incurriſti ? Quod ſi homines jacturam aliquam temporalem aut miſeriam naturalis vitæ tantopere deplorant, quanto tu potius plorare debes calamitates,

quas tibi parit peccatum? Intuere, perpende, meditare, considera maturè, quid sit amittere Deum, amittere gratiam ipsius, amittere cœlum, & hoc in æternùm. Comprehende, quanta sit infelicitas, possideri à Diabolo, reprobari ac deseri à Deo, ad flammas deputari æternas, atque etiam de facto, si in statu isto moriar, in illas æternùm præcipitari. Tu, ô infame peccatum, tu, inquam, harum omnium es infelicitatum scaturigo. Tu, tu es, quod, divortio Deum inter & animas causato, illas in profundam præcipites agis occœcationem, ut suam infelicitatem non videant; tu pacem illis & conscientiæ jucundissimam tranquillitatem & gaudium eripis. Etenim quis unquam resistere valuit Deo, ac tandem potitus fuit pace? Tu ab illis prescindis societatem, quam habent cum B. Virgine, aliisque Sanctis, qui animas jam hujusmod intueri non sustinent, nisi oculo indignabundo. Tu illas in extremos conjicis justorum Dei judiciorum timores: Uno verbo dicere non ausis, vel unicum quietis momentum à te illis indulgeri; Næ ille tui parvam habeat notitiam oportet, qui te odio mortali non prosequitur.

Quis restitit ei & pacem habuit. Iob. 9, v. 4.

Affectus circa hanc tertiam Consitionem.

DOmine, post extremas calamitates, ad quas redactum me video per peccata mea, spes illa, quam in tua habeo bonitate, me animat, ut tuo me ausim præsentare conspectui, etsi verecundiâ & confusione, ob magnam nimis

mis malitiam atque ingratitudinem meam, plenus sum. Ego, eheu! ego sum, qui malum omne feci; Ego sum, qui liberè in peccatum consensi. Nullo ipsum absque perversa voluntate mea potuisset me malo afficere; at ego ipsum vocavi, ego recepi, ego admisi, atque ipsum in meam introducens conscientiam heu! mi Deus, quid feci? Ego, te probrosè ex corde meo ejecto, summe prædestinatorum omnium Rex, Dæmonibus inimicis tuis ipsum prodidi, atq; in manus tradidi, infernalisq; tyrañidis illius rigorem perferre malui, quam vivere in tranquilla jucundaque amicitiæ tuæ possessione. Ego, ego sum reus amissionis gratiæ tuæ, omniumque meritorum meorum. Ego sum, qui renunciavi conditioni filii tui, ut Satanæ mancipium fierem. Ego sum, qui meipsum privavi jure, quod habebam ad gloriam cœlestem, ut funestum fœdus percuterem cum inferno. Ego (eheu!) Ego enim, qui meipsum prodidi, qui unionem dissolvi, quam habebam cum B. Virgine, aliisque Sanctis, qui me diligebant, quamdiu in tua eram gratia; at inimicitiam denunciârunt mihi, postquam ego illam tibi indixi. Ego sum, qui meipsum occœcavi, mihique metipsi interioris conscientiæ meæ cruciatus instrumenta fabricavi. Hæc omnia quàm humillimè coram Majestate tua divina, mi Deus, confiteor, & quanquam malitia mea quam maxima sit, gravissimaque omnino promeritus sim tormenta, quod gratiæ tuæ thesauros ita prædæ expoluerim, animamque meam ipse ad tantam miseriam redegerim: attamen quid

facere debeam aliud ignoro, nisi ad infinitam misericordiam tuam ut recurram, illius instar prodigi, qui postquam bona sua omnia dissipasset, ad benignum Patrem suum est reversus.

O mi Deus, fateor equidem, quia verè non jsum amplius dignus vocari filius tuus, quia totam cœlestem curiam graviter offendi te offendendo, atque ex corde meo, ut Diabolum introducerem, expellendo. Verùm si glorioſum hunc titulum, adeoque jus omne perdidi, ac propterea me juſtè punire tu potes, attamen patris misericordiæ dignitatem tu nondum amisisti, ut proinde misericorditer salvare me queas. Peccata mea confiteor, excusare illa non possum. Nimis quàm malitiosè pro nihilo prodegi tuam gratiam, tuum amorem, omnesque virtutes & dona Spiritus sancti, quibus me copiosè ditaveras. Anima mea filia erat adoptiva summæ Majestatis tuæ, sponsa Jesu Christi filii tui, Angelorum soror, cœli hæres, atque in oculis totius curiæ cœlestis pulchra ut Sol, imò sicut Angelus Dei. Deus meus & Creator meus, quam horrenda mutatio! te amittendo, cuncta amisi, horrendo quovis Dæmone effectus sum horribilior, atque ad omnium infeliciſſimam servitutem redactus, ubi me peccato mancipavi.

Si admisi unde me damnare potes, tu non amisisti, unde me salvare potes D. Aug.

Si ergo ego reus sum, ego quoque misericordiâ & gratiâ indigeo. Agnosco malum meum, in quod violentia & furor malorum desideriorum meorum me præcipitavit. Quis potest mederi nisi tu, Domine, cujus bonitatis thesauri

ſauri nunquam poſſunt exhauriri ? Redde perditam gratiam peccatori, ornamenta ei virtutum, quibus ſeipſum malitiosè ſpoliavit, reſtitue. Redde illi merita, quibus renunciârat, atque adhuc ſemel illum juri ſuo priſtino reſtitue. Tu id potes ac debes, Domine, non amore mei, qui omni prorſus veniâ indignus ſum, ſed ut infinitas miſericordias tuas patefacias. Etſi in priſtinum me ſtatum reſtitueris, theſauris tamen tuis omninò nihil decedet, verùm ego quoque pro mea parte promitto, ſanctèque recipio fore, ut conſcientiæ meæ donorumque tuorum adeo fidelem curam habeam, ut nunquam amplius ad peccandum me abripi permittam. Conteſtor me omnia deinceps peccata ſummo odio proſecuturum, ſine intermiſſione impugnaturum, potiusq; mortem ipſam ſubiturum, quàm peccato conſenſurum.

CONSIDERATIO QUARTA.

De terribilibus peccatorum ſuppliciis.

FIeri nequit, anima mea, per peccatum adeo graviter offendi Deum, quin ipſum tandem, citiùs aut ſeriùs, rigorosè caſtiget. Non poteſt pati Deus, ut impius ſemper vivat, atque ſi ipſum in primo peccato ſtatim non puniat, ideo facit, quia propter magnam bonitatem ſuam, quæ brachium ipſius à vindictâ, etſi juſtiſſimâ, cohibet, ad pœnitentiam ipſum expectat. Tandem tamen certiſſimum eſt, quia & peccatum & peccator Deo ſunt abominationi,

Similiter odio sunt Deo impius, & impietas ejus. Sap. 14.

horrori, atque etiam odio prorsus infinito. Cumque illos tanto prosequatur odio, etiam in ipsos animadvertit pœnis, quæ odio huic atque iracundiæ ipsius justæ correspondeant. Parum etenim est, quod peccatores quandoque in hoc mundo privet bonis, honore, corporis sanitate, atque etiam in illos quandoque, in vindictam peccatorum ipsorum, subitaneâ morte animadvertat: supplicia ista leviora sunt, si cum illis horrendis suppliciis, quæ in alteram ipsis vitam ipse reservat, conferantur. Parum est terram universam in peccatorum vindictam ab ipso fuisse generali diluvio inundatam. Parum est ipso jubente pluisse igne & sulphure, quo incendio absumptæ fuerunt quinque civitates, quarum incolæ de vitiis quam maximè detestandis gloriabantur. Parum est diversis ab ipso temporibus familias, civitates, provincias ac Regna integra peste, bello ac fame fuisse exhausta.

At ubi considero ignes istos æternos, quos accendit in medio terræ, ut illis æternùm absque ulla misericordia peccata castiget, ingenio deficio, dicereque cogor ac fateri, peccatum esse Deo extremo horrori, quia ultio illius in puniendo nunquam dicet: *Sufficit*: Certè, quantumvis immodico adversus alium odio aut iracundia ardeat homo, satis tamen esse factum passioni suæ existimat, ubi ipsum ad certam mensuram punierit, satisque jam vindicatam injuriam existimans ab ulteriore vindicta desistit. At justitiæ divinæ nunquam, neque post centum, neque post mille, neque post centies mille annos satisfieri poterit. O

pec-

peccati malitia, quàm immodica es, cum Deus, cujus judicia justa sunt, suppliciis, quæ mereris, alios non præfigat terminos nisi *Æternitatem*!

Considero Angelos, illos aulæ cœlestis Principes, excellentissimas illas creaturas in cœlo â sua mox creatione peccantes. Peccatum hoc non erat nisi unius cogitatus superbiæ ac rebellionis, & tamen video illos eodem momento absque ulla misericordia præcipitatos in abyssum inferni, ubi ab initio mundi acerbissimè cruciantur, atque in sæcula sæculorum cruciabuntur. Quanta severitas! Verùm quænam est ista justitia, cum peccatum eorum, etsi unius ipsum dumtaxat esset cogitationis, ob suam enormitatem talem promeretur punitionem?

Considero primos nostros parentes unicum inobedientiæ committentes peccatum. Prô! quot quantisque peccatum istud infelicitatibus punitum fuit, atque etiam punietur ad finem usque mundi, etsi hic tot sæculis perduraret, quot sunt arenæ in littore maris? Nunquid calamitates omnes, quibus hæc vita adeo plena est, illius peccati totidem funesti sunt effectus? Atque omni procul dubio miser Adamus eodem fuisset instanti flammis infernalibus addictus, nisi Deus per infinitam clementiam suam decrevisset, ut filius suus unigenitus aliquando naturam nostram assumeret, atque in illa justitiæ divinæ secundùm rigorem & ultra satisfaceret pro debito istius peccati.

Verùm in quantam miseriam hoc peccatum illam ipsam sacratissimam Domini nostri personam redegit? Quantumvis Deus esset, attamen æternus Pater illius voluit, ut rigorosissimam sustineret passionem, omniumque quasi hominum miserrimus afflictissimusque evaderet, si pro peccato hoc satisfacere vellet. Si ille, qui non nisi peccati similitudinem induerat, alienumque dumtaxat peccatum portabat, tanta tamen fuit habitus cum severitate, quid erit de misero homine, qualis ego sum, qui ipsemet tot commisi delicta? Si supplicia tam horribilia personam istam afficiunt divinam, quid ego habeo expectare? si ignis divinæ justitiæ sic ardet in viridi ligno sacro-sanctæ, infiniteque innocentis humanitatis, quanto ardore invadet lignum aridum animæ meæ tot peccatis onustæ? Nunquid hoc est, quod ipsemet ille divinus Salvator ajebat: *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Luc. 23. 31.

Affectus circa quartam istam Consitionem.

AGnosco, mi Deus, mereri me eandem pœnam, eundemque infernum, quem promeriti fuêre Diaboli, imò infernum ego mereor particularem, quia multò illis amplius ego te offendi. Illi è cœlo projecti fuerunt ob admissum unicum peccatum, & mea (eheu!) numerari non possunt. Insuper ego illa commisi permagnâ cum malitiâ, suffocatis non rarò remorsibus interioribus, sanctis tuis contemptis

temptis inspirationibus, propriâque malitiosissimè proculcatâ conscientiâ.

Domine, non intres in judicium cum misero & calamitoso servo tuo. Noli me secundùm mea punire demerita. Cohibe ponderosam iracundiæ tuæ manum. Noli hunc miserum & abjectum in tenebricosa illa præcipitare ergastula, ubi nil nisi horror & confusio, etsi id justissimè meruerim. Ignosce mihi omnia peccata mea per infinitam bonitatem tuam, quæ semper indefessa fuit in creaturis tuis miserrimis benefaciendo. Hoc te oro & obtestor per pretiosum sanguinem Salvatoris mei in cruce pro me effusum, per ardentem cordis tui amore pleniſſimi fornacem, qui quidem amor te, ut filium tuum morti pro peccatoribus traderes, impulit. Noli me perdere, qui tanti tibi constiti. Noli attendere ad multitudinem peccatorum meorum, quia merita Salvatoris mei Jesu Christi illa longè excedunt.

Et tu, amantissime Redemptor, noli permittere, ut totus cruor tuus pro me effusus sit inutilis, recordare tot operum laboriosorum, quæ pro me peregisti, totque dolorum, quos pro me pertulisti. Crudelem omninò tu mortem pertulisti, ut me ab inferno redimeres, noli ergo illuc me condemnare. Tu calicem amarissimum immodicæ passionis eporasti, ut me in gloriam restitueres, illam ergo mihi retribue. Tua quoque res agitur, Domine, ne permittas perire animam meam, quam tanto pretio redemisti. Redde mihi gratiam tuam, fac ut deinceps tibi ac pro te vivam, teque nunquam ampliùs offendam.

Potius

Potius mori, Domine, potius omnia mundi subire tormenta, quam ullum amplius committere peccatum mortale: imò neque veniale deliberatum. Vah! nimium tuâ in me supportando patientiâ abusus fui, tempus est, ut ita efficaciter me ad te convertam, ut nunquam amplius à te deficiam. Verùm ut ista resolutio, quam modò concipio, firma, constans, atque inviolabilis sit, sincerè promitto, fideliter me laboraturum, ut tale vel tale vitium radicitùs extirpem, quod hactenus origo fuit meorum lapsuum, curare, ut talis vel talis inordinatio aboleatur, sedulò incumbere in destructionem talis aut talis pravi habitus, qui me sæpius quasi invitum pertrahit in peccatum.

Resolutiones.

Faciendæ est resolutio circa aliquid in particulari.

Confirma hæc bona proposita, quæ non nisi à sancta tua proceduntinspiratione. Gratias ago tibi ex omnibus viribus meis, quod hactenus me expectaris ad pœnitentiam, quod mihi tot concesseris grátias, non attento quod inimicus tuus essem, quodque misericorditer cohibueris vindictam tuam, quæ in caput meum criminibus plenum incidere debebat. Ego me omnino tibi offero pro tota reliqua vita mea, corpus, inquam, animam, actiones meas, & quidquid sum ac possum. Fac, mi Deus, ut, cum reus gravissimorum scelerum coram divina tua Majestate comparuerim, justificatus & à criminibus meis absolutus recedam, Amen.

Gratiarũ actio.

Oblatio.

Petitio.

Moni-

Monitiuncula pro secunda formula.

QUi tenent secundam orandi methodum, & omnia puncta proposita considerant prius, quàm affectus eliciant, poterunt uti formulâ præcedente, ita ut postquam conjunxerint omnes considerationes, veluti nos consequenter deduximus, ut meditationem inde continuam efficiant, colligant, atque etiam continuò & consequenter producant affectus. Id quod perfacile cùm sit, alio hic exemplari, aut formulâ opus esse non existimo.

CAPUT XIIX.

FORMULA TERTIA.

In qua affectus miscentur considerationibus, quæ est meditatio affectiva.

DIrectio erit similis ei, quam posuimus in formula præcedente, postea accipiendo idem peccatum pro subjecto meditationis sic poterit quis procedere.

Punctum 1. *Horror peccati.*

DOmine Deus meus, coram te hic horrorem peccati, miserrimumque statum, in quem semetipsum peccator conjicit, considerare constitui: Verùm quis illum comprehendere queat, nisi tu Deus docueris illum? quis cognoscet, nisi tu interiorem animæ oculum ape-

aperuerit ? Scio, ipsum esse horrorem omnium horrorum, & abominationem omnium abominationum : scio, usque adeo ipsum displicere tibi, ut Diabolum illo minus abhorreas. Et tu, ô anima mea, ubi portam conscientiæ tuæ hosti tam maligno, teterrimoque monstro reseraſti, in oculis Dei & Angelorum ejus æq; ac Diabolus horribilis evasisti. Tu, quam creaverat, ut te delectaretur tanquam filiâ suâ perquam dilectâ, cupiens ut non amares nisi ipsum, nihilque timeres æquè, atque ipsi ne displiceres : Tu, tu, inquam, horrorem illi causaſti, atque æquissimas delicias denegâsti. Tu, quam divina sua exornârat imagine, adeo, ut te veluti fulgidum respiceret suæ divinitatis speculum, & quasi parvam aliquam divinitatem in terra, tu, inquam, hanc sacram imaginem profanasti, Diabolique imagine insigniri maluisti. Tu, quam gratiâ suâ condecorârat, nigrior quovis effecta es carbone. Tu denique, quæ, naturæ cum esses Angelicæ, Angelos puritate atque innocentiâ imitari debebas, at Diabolis deformitate peccati similis es effecta.

Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis. Thren. 4. v. 8.

Heu me miserum ! ob oculos mihi propono, Domine, quidquid magis est in mundo horribile, meque horribiliorem invenio. Imaginor mihi turpissimos serpentes, informissimaque animalia mortali veneno turgentia, atque intolerabili fœtore plena, meque magis infamem, sordidum, fœtidum, putidumque invenio, qui odorem cœlo longè ingratiorem exhalo. Prô ! Domine, si aspectus Draconis, aut spectri cujusvis intuitus tanto homines terrore afficit, ut interficiat, quomodo fieri

potest,

potest, ut supervivam ego, qui meipsum in hac horribili figura conspicio! Præ horrore morerer, si ad duas dumtaxat horas in caverna serpentibus ac bufonibus plena degere me oporteret, neque tamen horrui intra conscientiam meam admittere atque in ea fovere congeriem peccatorum multò serpentibus ac bufonibus deformiorum terribiliorumque. Heu! quam fui insensibilis, & quam etiamnum sum occœcatus, quia malum meum, uti oportet, non agnosco? Quod minus est, horrerem, atque id quod horribilius est non abhorrui. Etenim (heu mihi! Domine, coram te deterior non essem, si inter media hujusmodi virulenta animalia habitare, imò si & in ipso sinu meo illa gestare me oporteret: at multùm tibi displicui, quod peccatum in cor meum receperim,

Verum est, Domine, magnoque cordis mei cum mœrore confiteor, quia ansam tibi præbui, ut me non secus ac Diabolum odio haberes, ubi memetipsum illius instar peccando deturpavi: causam dedi, cur divinam tuam faciem à me averteres, ne me videres tu, qui etiam vilissimas creturas respicere non dedignaris. O! quantò mihi satius fuisset commutari in bufonem, quam in te deliquisse? quia sic odio me non haberes, quia adhuc creatura tua forem, etsi turpis ac virulenta: at turpitudo ista ac virus non procederet, nisi à natura, neque idcirco coram te abominandum me faceret, uti faciunt peccata;

Quod

Quod si sola recordatio harum rerum horrore nos concutit, anima mea, quia terrore plena sunt, quantum horrere debes peccatum lethale, quod omnes horrores exuperat? Etiam, Domine, morte ipsâ illud amplius detestor, Diabolo magis abhorreo, inferno amplius timeo, sollicitiùs ipsum, quàm quidquid in hoc mundo timere magis possem, cavebo. Adhuc semel tuam gratiam, te obtestor, mihi restitue, horribiles dracones istos ex corde meo expelle, conscientiam meam purifica, atque in illa tanquam sanctuario tuo rursus inhabita. Sim deinceps ego custos ostii divinæ habitationis tuæ: contestor, quia nihil illuc, tibi displicere quod possit, intromittam.: Tu illic solus in pace regnabis, & ego, mediante gratiâ tuâ, vigilantiâ singulari atque invincibili generositate animæ meæ pulchritudinem conservabo, ubi illam mihi semel restitueris, ac tandem tu eris mihi Deus meus, cui ego meâ in servitio tuo fidelitate tantùm placere studebo, quantum hactenus permagnis infidelitatibus meis in obediendo divinis mandatis tuis displicui.

Punctum 2. Injuria Deo per peccatum illata.

DOmine, cœlesti tuo lumine illustrare me porrò perge, ut jam intelligere queam, quanta sit injuria tibi per peccatum illata.

Peccator peccando te deserit infinitum bonum, te spernit summum Regem, te derelinquit hominum suavissimum Amatorem.

Quid

Quid est peccatum, nisi aversio à te Domine, & conversio ad possessionem creaturæ? O magna perversitas? Quid? anima tibi dorsum obvertat? affectum suum à te abducat? honorem ac reverentiam, quam tibi ut suo Creatori, ut unicæ felicitati suæ, Deo suo ac bono suo universali debet, obliviscatur, ut se dedat creaturæ, quæ non est nisi vanitas, fallacia, nihilum atque ipsa corruptio & infectio? Quanta insania, nihilum præferre illi, qui est omnia, malum summo bono, vitium virtuti, corruptionem sanctitati? forte patienter sustineres, Domine, si peccator te desereret, ut alteri, qui æquè ac tu Deus esset, se consecraret: at tu solus Deus es, in cœlo & in terra, estque contemptus injuriosissimus te deserere, ut quis se dedat Diabolo adversario tuo, idque pro nihilo, putà ut pravo alicui desiderio satisfiat.

Tibi, Domine, qui cœlum terramque gloriâ tuâ adimples, hæc irrogetur injuria, ut creatura tua te rejiciat? te, qui ab Angelis incessanter adoraris ineffabili cum reverentia, te, coram quo columnæ universi contremiscunt, te, cui adeo multis titulis debetur omnium hominum obedientia, atque omnium cordium amor? Exiguus terræ vermiculus tuum detrectet imperium, infirma creatura tibi debitam recuset subjectionem? Prô! indignitas est & contemptus supremæ Majestati tuæ intolerabilis.

Eheu! anima mea, ubi est ratio, ubi intellectus tuus? Ubi erant cogitationes nostræ, quando rem faciebamus tantopere

ab omni ratione alienam, ut, ſpreto ac neglecto Deo, appetitui noſtro idololatricè ſatisfaceremus, creaturæ unius poſſeſſione ? quam cauſam habebamus cœleſtem Patrem noſtrum ita deſerendi, atque à ſervitio tot ei nominibus debito nos ſubtrahendi ? Quid contra nos commiſerat, cur ipſum ita contemneremus? qua in re nos ille læſerat, ut injuriâ tam atroce tamque indignâ infinita Majeſtate ipſius illum afficeremus ? Nunquid potius econtrario infinita nobis bona præſtiterat ? an vel unico momento nobis gratiæ naturæque beneficia ſua impertiri deſtiterat ? Ipſe eſt, qui nos creavit, atque uſque modo conſervavit, etſi illius eſſemus inimici, atque aliud proinde nihil, niſi mortem, promeruiſſemus ? Ipſe eſt, qui noſtram nobis conſervavit ſanitatem, nosque à compluribus exemit periculis. Ipſe eſt, qui gratiam nobis illam dedit, ut per fidem ac baptiſmum Chriſtiani eſſemus. Ipſe eſt, qui proprio nos ſuo redemit cruore, quique ſemetipſum nobis in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento donat in pignus certiſſimum gloriæ, in qua ſe nobis donabit purè ac plenè æternùm poſſidendum.

Omnia, quæ pro nobis inſtituit, Sacramenta nunquid ſunt capita ac ſcaturigines omnis generis gratiarum ? Nunquid Angelos ſuos in noſtram deputavit cuſtodiam ? Nonne demum mille & amplius nos cumulavit beneficiis ? Ergone oportebat, ut in compenſationem tantæ erga nos bonitatis injuriâ ipſum afficeremus tam atroci, ut illum contemneremus ac deſereremus ? Et hoc pro nihilo.

O me

O me ingratum, acceptorumque beneficiorum immemorem! Infelicem, quique post adeo belluinam ingratitudinem amplius vivam prorsus indignum! Verùm, quid facere jam potero aliud, Domine, nisi meam cœcitatem deplorare, & quidquid hactenus contra Majestatem tuam feci improbare, atque aversari? Jam in potestate mea non est facere, ut peccata quæ commisi, facta non sint, at illa deplorare ac super omnia detestari possum, sicuti ea ex toto corde meo nunc ploro ac detestor. Quam doleo tibi me tam extitisse infidelem? quantum mihiipsi displiceo, quod adeo levis fuerim & inconsideratus! Quam vellem nunquam illa admisisse peccata! Utinam ob oculos semper habuissem, id quod video modò! Utinam semper habuissem in corde meo, quod modò persentisco! Utinam sciviſſem æstimare incomprehensibilem Majestatem tuam, non quidem quantum meretur, id enim impossibile mihi foret, sed solum quantum modò æstimandam percipio! Nunquam, Domine, nunquam talibus te injuriis affeciſſem. Ignosce, Domine, ignosce, consensus omnes, quos dedi in peccatum rescindo, omnes actiones perversas, quas feci, omnesque pravos sermones, quos protuli, retracto. Illos, Domine, de libris tuis dele, nunquam in illos amplius inquire, quidquid factum fuit obliviscere, & pro nunquam facto recense. Ex nunc vivere priùs incipiam. Habe me, amantissime Redemptor, quasi jam primùm natus essem, velut unius diei infantem me tene, mihique inspira cor rectum, simplex atque innocens in

malo, prudens verò ad illius evitandas occasiones. Fruſtrà etenim, Domine, bona concipio propoſita, niſi tu illa auxilio gratiarum tuarum efficacia reddas.

Punctum 3.

Depopulationes animæ per peccatum.

OCulos nunc meos conjicio, mi Deus, in vaſtitatem. quam horribile illud monſtrum, peccatum inquam, infert animæ, quam invadit. Deus bone! quam triſtes effectus, quas depopulationes, quantam cauſat deſolationem? Primò te, mi Deus, è ſolio tuo Regali, quod in omnibus animabus juſtis habes, inauditâ impudentiâ, maximoque hominis cum detrimento dejecto, in locum tuum introducit Diabolum, qui mox captâ poſſeſſione tyrannidem in ipſam exercet omninò ſæviſſimam, ſpoliando eam gratiâ, donis Spiritus ſancti, virtutibusque cunctis, quæ illam in oculis Dei gratiſſimam efficiebant.

Eheu! eâ de re loquar ad te Domine, quam nimis quã infeliciter in memetipſo expertus fui, Peccatum (eheu!) admiſi in animam meam, eodemque momento (heu me infelicem!) Te perdidi, quia tuipſe à me te ſubduxiſti, tu, inquam, qui vita eras animæ meæ multò ampliùs, multoque meliùs, quàm anima mea ſit vita mei corporis.

Ergo remanſi ſine vita, ac reverà mortuus in peccato mortali, imò in ſtatu longè deteriori, quàm ſi mortuus fuiſſem, quia vita naturalis, quæ mihi ſupereſt, non ſervit, niſi ad horribilem Inferni mortem expectandam. Et

verò

verò multo melius esset omninò non esse, sed annihilari, atque in numerum illarum creaturarum redigi, quæ nunquam extiterunt, quàm vivere ad expectandam adeo horribilem, & inauditam calamitatem, eamque æternam.

Deinceps omnes alias jacturas meas recensebo tibi Domine. Amisi gratiam tuam, quæ cùm filium tuum adoptivum me constitueret, jus ad regnum tuum cœleste mihi tribuebat, adeò, ut illâ jam spoliatus sperare nil aliud queam, quam ignes ac tormenta Inferni. Prô, quanta jactura! quantus casus! quanta mutatio! Jactura salutis meæ, ad amplectendam damnationem, casus à statu gratiæ ad statum peccati, mutatio conditionis filii tui ad gloriam prædestinati in conditionem mancipii Diaboli, ac Victimæ Inferni, ad hoc, ut æternis flammis illis serviat pro nutrimento, destinatæ.

Ad hæc, ö anima mea, ubi remanserunt omnia merita tua? Ubi est fructus tot bonorum operum, tot confessionum & communionum? Ubi denique sunt omnes virtutes illæ, quibus te Spiritus sanctus locupletaverat? Omnia ista capta, rapta, ac destructa sunt â furore, à violentia inimicorum tuorum, quibus peccando aditum feciſti. Heu anima mea, decore prius, ante hunc statum tuum funestum, instar Angeli paradisi, plena! Anima instar magnæ Principis ac filiæ Regis æterni opulenta! Anima cuius nobilitas ea omnia, quæ mundus suspicit & adorat, exuperat! Nunquid videre potes desolationem, paupertatē ac servilem conditionē tuam,

quin tibi ipsi compatiare ? Recordare natalium tuorum, scito originem è cœlo te ducere, natamque esse, non ut fores mancipium Diaboli, sed sponsa Spiritus sancti. In memoriam tibi redeant felicissimi illi dies tui, quos in Dei tui amicitia transegisti : quam interiorem in conscientia tua persentiscebas pacem, quas divinas ex præsentia ipsius percipiebas illustrationes ? qui sancti ardores cor tuum ad illi serviendum inflammabant ? At verò in in statu peccati prô ! qui remorsus ? quæ cogitatuum tuorum confusio ? quæ passionum tuarum commotio ? quæ cœcitas in intellectu, quis algor & languor pro Deo ac Domino tuo in tua voluntate ? qui terrores ac judiciorum illius severissimorum formidines ?

Ecce, quid eram, mi Deus, per gratiam tuam, ecce quò infelicitatis deveni per scelera mea ? Verumtamen ad inopiam adeò extremam redactus nondum sum, quin tu abundantiâ cœlestium tuarum divitiarum ditare me iterum queas. Nondum potestati Diabolicæ tantopere subjicior, quin majore potentiâ tu me ex illa possis eripere. Nondum denique infirmus adeò, miserque sum, quin tu me possis sanare & juvare. Ergo Domine, *sana animam meam, quia peccavi tibi.* Redde mihi dona tua, quibus me Dæmon spoliavit, tu enim illa ei rursus eripere, mihique potes restituere. Noli permittere, ut infelix ille de me insolenter triumphet in honoris tui præjudicium. Glorioſum sibi ducet, me â tuo servitio abductum suo subjugasse imperio, noli id pati, Domine, sed hic tuam ostende potentiam ;

Ps. 40, *v.* 5.

tiam; Libera me ex hac captivitate, atque in numerum filiorum amoris tui restitue. Protestor hanc meam servitutem jam esse contra meam voluntatem, stultitiam meam detestor summeque deploro. Tuum imploro auxilium, Regis mei legitimi, contra tyrannidem istius dolosi usurpatoris. *Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te.* In statum gratiæ tuæ postliminiò me restitue, ut misericordias tuas in æternum cantem, tibique pro secunda redemptione obliger & obstringar. *Ps.* 17. *v.* 7.

Punctum 4. *Supplicia peccati.*

HOrrendum est, Domine, in manus tuas incidere; at horror ille non concernit nisi peccatores, quia justis nil gratius est ac jucundius, quam in tuo apparerere conspectu. Verùm quæ causa est peccatori, cur ei adeo sit horrendum in manus tuas incidere, nisi peccatum? Neque enim naturam illius, sed vitium odio habes. Verùm (eheu!) mi Deus, quo illum rigore punis? O! si pœnarum magnitudo, vindictæque conditio mensura sunt odii, quo quis inimicum suum prosequitur, quam immodicum est odium, quo ferris in peccatum, quia pœnis ipsum tam horribilibus punis, & quidem in omnem æternitatem? *Quis novit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?* Quod si vires tuas omnes in peccati punitione exeris, vires autem tuæ sunt infinitæ, nunquid infinita quoque erit ista punitio? Utique (eheu!) & quidem justissimè, peccatum pœnis castigas æter-

Horrendū est incidere in manus Dei viventis. Heb. 10. 32.

Ps. 89. *v.* 11.

æternis, cùm odio ipsum prosequaris infinito, quia contemptus cùm sit supremæ Majestatis tuæ, ipsum committere injustitia est infinitè criminosa.

Deus meus & Dominus meus, non amplius miror, peccatum in Inferno pœnis castigari infinitis, quin potius memetipsum ac meam admiror cœcitatem, quod in ipsum toties ferri me siverim. O quam terribilem contraxi obligationem flammarum istarum ardorem æternum sentiendi, quæ semper ardent & nunquam deficiunt, quæque continuò necant, quin unquam interficiant? illud est, Domine, quod me terret.

Ego te metuo, tuque mihi patefacis iniquitatem à te odio haberi, ubi flagella tua immittis urbibus, provinciis, atque integris regnis in punitionem peccatorum ipsorum, atque etiam ubi quandoque in peccatores animadvertis subitaneâ morte, ubi adhuc eorũ crimina flagrant; at istæ pœnæ, temporaneæ cùm sint, non adeo mihi manifestè produnt incomprehensam aversionem, quâ peccatum tu abhorres, neque immoderatam illius malitiam, ut illam produnt terribilia abyssi illius infernalis supplicia.

Quid? peccatores, Domine, castigas absque termino? Illorum nunquam misereberis? Nunquam justitia tua dicet *satis est*? Prô! quam immoderatum tormentum? quam immoderata justitia atq; iracundia, quæ ipsum infligit? quam igitur immoderata etiam malitia pec-

peccati, quod omnia ista causat? Neque enim ultra demerita punis, Domine, cùm judicia tua semper æquissima sint? miseriq; atq, infelices reprobi & in inferno damnati, etsi adversus justitiam tuam vindicem furoris œostr perciti, fateri nihilominus debebunt, justissimè se ad pœnas istas condemnatos.

Verùm pro quonam peccatorum genere ignes istos præparasti, quæ *montuum fundamenta comburunt*? Eheu! si solummodò illos præparasses pro spiritibus illis obduratis in peccato, quorum tota vita non est, nisi quædam peccatorum catena, ubi alia aliis coacervantur, quique de peccatis gloriantur, *Lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis*, uno verbo, si pro illis dumtaxat eos præparasses, qui magnam committunt peccatorum multitudinem, non mirarer equidem: at ubi considero, unum solum, imo unum solum peccatum mortale sufficere, ut anima illuc præcipitetur, idque pro tota æternitate; prô! intereo, simulq; propositum concipio illud ipsâ amplius morte vitandi. Casum intueor Angelorum, illarum tam nobilium tamq; excellentium creaturarum, illosq; deprehendo ob unicum dumtaxat peccatum, neque illud quidem operis, sed solumodo cogitationis, ad supplicia deputatos æterna. Inobedientiam attendo primi nostri parentis, videoq; ob unicum illud crimen posteritatem illius millenis involvi calamitatibus, indubieque & ipse ad eadem cum Diabolo fuisset deputatus tormenta, nisi unigenitus filius tuus in se suscepisset onus hujus illius noxæ debiti tibi exolvendi, nosque

Deut. 32. v. 23.

Prov. 2. v. 24.

Majestati tuæ reconciliandi. Illum ipsum etiam contemplor, Deum, inquam, incarnatum habitu peccatorum coopertum, nihilque nisi peccati similitudinem gestantem ac peccato dumtaxat onustum alieno. Nihilominus ubi in illo ipsum statu vidisti, mi Deus, illi minimè pepercisti, quin potius, licet esset proprius filius tuus, ejusdem tecum sanctitatis ac Deitatis, illum calamitosissimum omnium hominum & afflictissimum constituisti. O si proprio filio tuo non pepercisti, nunquid parces mancipio? Creaturæ peccatum non punires, qui ipsum tanto cum rigore in persona ipsiusmet filii tui puniviſti? Hominem absque pœnitentia pro peccatis propriis dimitteres tu, qui dimittere noluisti filium tuum, quin in cruce moreretur?

Proprio filio suo non pepercit. Rom. 8. v. 32.

O me ignarum ac stupidum! Quomodo fieri potuit ut unquam te offenderem? Eheu! nesciebam quid facerem, Non considerabam, mihimetipsi me causam esse damnationis æternæ, meque cum morte atque inferno paciſci. Jam verò, mi Deus, retracto ac rescindo, quidquid hoc in genere feci, ipsum, inquam, improbo, atque infectum volo, non tam ob istas, quas incurri pœnas, quam quia te offendi, atque ad me contra inclinationem tuam odio habendum coëgi. At tandem capta est resolutio, nunquam amplius peccabo, Domine, nunquam amplius cogitationibus, motibus aut suggestionibus, quæ in malum inducere me queant, obediam, promitto tibi fore, ut sollicitè declinem omnes occasiones, quæ ad peccandum me possent vel tantillum pellicere,

Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Isa. 38. v. 15.

vigili

vigili custodiâ cor & sensus meos observabo. Millies millenæ tibi sint gratiarum actiones ob patientiam ac bonitatem tuam, qua me tamdiu ad pœnitentiam expectasti. Laus, honor & gratiarum actio tuæ clementiæ, qua etiam exaudire miseros non dedignaris: sis in æternum benedictus in cœlo & in terra propter misericordias, quas fecisti mihi miseræ creaturæ, omnigenis opprobriis ac pœnis longè dignissimæ. Omnes creaturæ tuæ te collaudent, quia tibi complacuit veniam indulgere miseris peccatoribus.

Quilibet amplius se dilatare poterit secundum suam devotionem atque impulsum Spiritus sancti, quem persentiscet. Deinde concipiet bona proposita, oblationes & petitiones juxta præcepta & formulas supra præscriptas.

CAPUT XIX.

De diversis dispositionibus, quæ magis ordinariè in exercitio orationis occurrunt.

POstquam tradidimus præcepta, & exposuimus praxin trium partium orationis, necesse erit observare diversos status, in quibus orationis studiosi versari possunt, atque explicare, quomodo in singulis se habere debeant.

Status illos multum esse differentes, certum est: quandoque enim experitur quis magnam in orando facilitatem, atque animi promptitudinem; aliàs adeò hebetem se ac stupidum advertit, ut ne quidem materiam adoriri, aut

aut ullum bonum conceptum efformare possit.

Uno die quis persentiscet fervorem, alia die nescio quem experietur teporem ac languorem. Quandoque erit magnâ donatus quiete, tranquillitate atque attentione, millenis aliàs turbabitur distractionibus. Erit, cùm magnâ potietur devotionis abundantiâ, ac spiritus consolatione; mox molestissimis ariditatibus ac desolationibus affligetur: imò quandoque etiam à gravissimis impugnabitur tentationibus. Hoc multum affligit Novitios ac Tyrones: aliqui enim hisce difficultatibus inquietati redduntur, parumque abest, quin exercitium orationis penitus abjiciant; alii nimium sibi complacent, nimiumque adhærescunt sensibilibus consolationibus, quibus utuntur dumtaxat ad amorem suum proprium nutriendum.

Prius verò, quàm tradamus monita, ac regulas, quas in diversis statibus illis observare oportet, non abs re erit exponere, undenam hujusmodi mutationes proveniant: dicimus ergo, illas provenire quandoque à Deo, quandoque à nobisipsis & quandoque à Diabolo. Nunquam enim orationi vacamus, quin Deus agat tanquam præcipuus Director, atque anima etiam ex sua parte cooperetur, quin & Dæmon adsit, omnemque conatum adhibeat, quo nos ab oratione divertat, vel saltem fructum illius impediat.

Vnde veniant diversæ dispositiones in oratione.

Deus in oratione animam dirigit.

Deus illic agit ut primarius Director, ille enim est, qui animam ad orationem appellat, qui illam quasi manu prehensam conducit, quique, ita loquendo, omnes itineris expensas facit,

facit, illi suggerendo bonas cogitationes, suppeditando ei verba, quibus illam vult uti, imprimendo ei bonos impulsus sanctosque affectus, ac denique inspirando illi cuncta proposita bona, quæ ipsa ibi concipit. Ad hæc illam quandoque extraordinariè lumine suo illustrat, suisque deliciis consolatur. Verùm ille ipse etiam quandoque animæ immittit difficultates atque ariditates, quasi ab ea ipse se elongaret, idque facit, ut probet fidelitatem illius, atque in amando constantiam ac veritatem.

Anima quoque nostra suâ ex parte agit divinæ directioni cooperando, proposito argumento attentè insistendo, cogitationes bonas à Deo illi immissas utiliter recipiendo, sanctisque affectibus, quos ipse ei inspirat, bene utendo. Verùm sicuti anima illa affixa est corpori multis subjecto vicissitudinibus, à quo etiam in operando dependet, ita illa quandoque facilitatem, quandoque fastidium experitur ac difficultatem; adeoque frustrà ille sibiipsi caput obtunderet, qui æquali semper passu procedere conniteretur; ac proinde verissimum est, quod ait Sapiens: *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.*

Vicissitudines in oratione sæpè oriuntur ex nobisipsis.

Diabolus, qui nil æquè atque hoc verè Angelicum exercitium abhorret, suis quoque partibus non deest, quia, quantum quidem potest, connititur, ut ab oratione divertat Religiosos, quandoq; illius ipsis indens fastidium, quandoque verò etiam contemptum. Quibusdam persuadet, ipsam non esse nisi inventum humanum, aliis, rem esse impossibilem, atque aliis demum

Errores, quos Diabolus suggerit animabus contra orationem.

esse

esse purum donum bonitatis divinæ, in cujus proinde acquisitione quis frustrà desudet.

Mirati non immeritò possumus, tantum esse numerum Religiosorum, qui hisce circumveniri erroribus se sinunt; hoc etiam mirabilius est, reperiri nonnullos, qui, cùm ingenii præclari sint ad assequendas scientias, hasce tamen Diabolicas suggestiones, quasi veritates indubitatas, evidentesque conclusiones, non solùm admittunt, verùm etiam in familiari cum aliis consuetudine producunt, non sine ingenti simplicium animarum præjudicio, magnaque admiratione eorum, qui oppositum experiuntur, velut ipsimet fortassis aliquando experti sunt primis Religiosæ vitæ suæ initiis, quando diem illum existimassent periisse, quo orationem (tanti illam faciebant) neglexissent. Nunc hora huic sancto destinata exercitio supplicium ipsis videtur, adeo ut functiones activæ vitæ subire malint laboriosissimas, quàm vel mediam horam impendere orationi: Cumque illi unà cum communitate assistere compelluntur, id faciunt sine præparatione, sine devotione, sine fructu & veluti per transennam. Quoad illos, qui primis istis insultibus resistunt, proque ingenti orationis existimatione, quam habent, ab ea retrahi, aut arte Diabolicâ avelli non queunt, inimicus ille salutis nostræ aliam init viam, aliasq; adhibet machinas, cùmque opus non possit, successum præpedire conatur, suggerendo complures distractiones, cogitationes pravas, vanas, & impertinentes, corporis commovendo humores, eosque adeò conturbando, ut magnas

Alia Diaboli fraus.

quis

quis sentiat gravedines, infirmitates, dolores, torpores, & ignavias, aut denique etiam excitando tentationes adeò furiosas, adeoque terribiles contra Deum, contra puritatem, contra fidem, aut etiam quandoque contra ipsum mysterium quod præbet meditationis argumentum, ut, nisi anima cautè sibi prospiciat, illam succumbere faciat, aut saltem negotium ei facessat. Quod si verò ei quis resistat, multò amplius perdit quàm lucretur, illiusque tentationes tantùm faciunt ad nostrum meritum. Cæterùm interiores animæ recessus penetrare nequit, sed totus illius conatus hæret in imaginatione & sensibus, ut proinde anima, invitis etiam omnibus hisce tempestatibus, semper remaneat libera, possitque interiorem suam conservare tranquillitatem ac pacem, sistendo in puro Deum per hasce adversitates glorificandi desiderio.

Tertia Diaboli oppugnatio per fallaces illustrationes.

Nihilominus Cacodæmon, etsi hi duo insultus ei non successerint, animum omninò non desponder: tertiam enim viam init, excitando in imaginatione fallaces illuminationes, ac sensibilia quædam gaudia in appetitu sensitivo, curandoque subtiliter, ut istæ illustrationes & gaudia desinant in fallacem sensuum libertatem, sicque anima à mortificatione abducatur. aut abstrahatur à reverentia, quâ coram Deo assistere illam debere jam diximus.

Verùm enim verò etsi tantopere ad nos perdendos allaboret Diabolus, certi sumus, Angelos nostros tutelares potenter omninò nobis assistere, idque multò amplius in hoc, quam in quovis

quovis alio exercitio. Omnes enim inimici hujus impressiones & conatus illi elidunt. Interius nos illuminant, neque parum ad cogitationes nostras sedandas conferunt. En diversas diversorum statuum ac dispositionum, quibus in oratione subjecti sumus, causas. Nunc age exponamus

Tres differentes vias, per quas animam Deus ad hoc exercitium conducit.

DEus ergò, quem primarium esse diximus in hoc sancto exercitio Directorem, tribus nos viis hoc in exercitio conducit. Prima est, quam ordinariam appellamus & communem; altera est sensibilis devotionis atque interioris consolationis, ac tertia privationis & ariditatis.

Prima est, ubi nihil nobis concedit, nisi *gratiam ordinariam*, quæ est imperceptibilis, sicque permittit, ut ipsi laboremus, applicando industriam, omnesque potentias nostras, juxta præcepta jam assignata. Quâ in re plurimum oblectatur Majestas divina, ubi videt nos studiosè ac sollicitè laborantes, ut illius penitiorem cognitionem, ferventioremque amorem percipiamus: atque hic labor extremè nobis utilis ac meritorius est.

Eapropter magnis animis illum debemus suscipere atque in eo absque omni fastidio, atque alterius status, hac vitâ durante, desiderio perseverare, imò statum istum magnifacere, aliisque omnibus præferre debemus, quia Deus est,

qui

qui illum decernit, ipse verò aliundè sufficientissimus est, ut ad unionem affectivam cordis nostri cum Deo, qui potissimus orationis fructus est, perveniamus. Via ista etiam valde est naturæ humanæ consentanea, quia ratio illic agit: neque verò admodum difficilis est, quia gratia Dei nos in illa conducit, etsi illam sensibiliter non percipiamus, id quod Fratres nostri debent bene perpendere, ut ne incidant in errorem eorum, qui nunquam oratione sua contenti sunt, nisi in illa suavitatem persenserint ac sensibilem devotionem, quæ ordinariè non servit nisi ad nescio quibus blanditiis deliniendam eorum naturam, amoremque proprium confovendum.

Dicimus ergo, in hac prima via magnis animis laborandum esse, excitando intellectum ad inquirenda convenientia argumenta, quibus inflammetur voluntas, hanc deinde flammam fovendo atque actuum materiæ conformium productione augescendo, deniq; omnia istius divinæ omninoque cœlestis artis præcepta in praxin redigendo.

Altera, quam Deus tenet, via vocatur gratiæ ac *devotionis sensibilis*; quando se Deus quasi palàm & apertè animæ exhibet, concedendo ei lumina, suavitates & consolationes sensibiles. Anima hoc in statu currit, imò volat, quin à quopiam impediatur, omnia incipit & omnia perficit absque difficultate, atque etiam aliquando tantæ suavitatis plena est, ut quasi specimen aliquod futuræ cœlestis gloriæ degustare videatur. *Secunda via.*

Tertia huic è diametro opposita via est *desolationis* atque *ariditatis*, in qua anima non solum omni gratia sensibili, verùm etiam propriis viribus adeo destituitur. ut ne unicum quidem efformare possit conceptum, aut elicere affectum bonum, sed tóta stupida, atque ad omnia insensibilis remaneat, ut dicere solummodò queat cum Psalmista; *Aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis*, quia nimirum ullum ad te proferre verbum non potest. Hæc attamen via, licet adeo molesta ac difficilis, excellentissima est, maximeque meritoria. Quomodo in illa se gerere quisque debeat, posteà exponemus, quare hic solum dabimus aliquot monita magnæ considerationis, quæ quidem necessariò sequi quisque debet, in quacumque sit ex tribus illis viis aut statibus.

Ps. 21. 16.

Monita generalia de tribus statibus prædictis.

Resignatio prima conditio.

PRimò ad orationem eundum est animo penitus simplici, humili, atque ad ea, quæ Deo placuerit nobis vel in nobis facere, sive velit nos conducere per lumen, sive per tenebras, sive per gratiam sensibilem, sive desolationem, indifferenti. Quæcumque enim facit Deus, non possunt nobis non esse quàm maximè proficua, totumque in eo situm est, ut omnia tanquam ab ipsius manu provenientia æquis animis suscipiamus. Et verò quid refert, quâ viâ ad ipsum pergamus, modò tandem perveniamus? Nostrum est, amoris plenum illius ductum sequi, atque ad omnia esse comparatos, liben-

libenter admittentes quemcumque ſtatum, in quo ipſe nos voluerit collocare, fideliterque conniti, ut ea, quæ muneris noſtri ſunt, exequamur, absque magna reflexione, viane dulcis ſit an amara, facilis an moleſta, non inquirentes etiam quò illa nos conductura, quemque nos inde fructum reportaturi ſimus.

Secundò non parùm conferet, uti notavit S. Thereſia, habere conſtans ac determinatum propoſitum in via orationis ſemel cœptæ nunquam ſiſtendi. Neceſſe omninò eſt, ut conſtantiam adhibeamus invictam ad omnia ſupportanda, quidquid demum evenerit, quocumque modo ſucceſſerit, quicumque labor, moleſtia aut adverſitas occurrerit, ſemper reſoluti ſimus & connitamur eſſe viri orationis; ſaltem moriamur in via, ſaltem hoc ſanctum exercitium nunquam relinquamus ob interiores contradictiones & moleſtias, quas perpetiemur, tametſi etiam mundus ſubmergi deberet, ait prædicta ſancta verè ſpiritu noſtri ſacri ordinis plena. Neque enim orationi ſtudere debemus pro noſtra oblectatione, ſed ut placeamus Deo. Et ſi Deo magis complacet in noſtra inopia quam abundantia, atque in noſtris ariditatibus, quam ſuavitatibus, qui ſumus nos, qui objectum delectationis ipſius mutare velimus?

In itin. perf. c. 4.

Conſtans reſolutio ſecundæ conditio.

3. Deinceps oportet propoſitum illud executioni mandare, curando habere magnam perſeverantiam, non modo quoad orationem præſentem, quam facimus, quam nunquam oportet intermittere, aut abrumpere ob quam-

Perſeverantia tertia conditio.

cumque molestiam, aut interiorem, quam sentimus, difficultatem, verùm etiam quoad ordinarium exercitium, cui nos vacare necesse est. Neque enim committere debemus ullo modo, quin omni die saltem tempus à sacris constitutionibus nostris ordinatum impendamus, quicumque sese ingerat prætextus, qualecumque fastidium, molestiam aut languorem sentiamus, imò ne quidem ob experientiam, quam quis habet exigui in oratione progressus.

Praxis in nostra observantia usitata.

Illi, qui ex obedientia pro tempore, quo communitas orationi vacat, impediti fuerint, illam alio tempore commodiori reparare non intermittent. Illi verò, qui sunt in itinere, saltem per horam manè & sub vesperum per mediam observare debent silentium circiter tempus illud, quo in conventu fit oratio, nisi aliud occurrat impedimentum. Quod si quem contingat aliquando totaliter occupari, sive intra monasterium id fiat, sive extra, ut non possit orationi impendere horam integram, saltem impendet mediam, aut minimùm quadrantem, reliquum verò orationibus jaculatoriis resarciet.

Semper studere interiori recollectioni quarta conditio.

Pro quarto repetemus id, quod diximus jam in principio hujus tractatus, nimirum oportere nos vigilanter curare, ut quovis in loco, tempore & occasione simus interius bene recollecti: Quia quales extra orationem fuerimus, tales erimus, ubi illi vacandum fuerit. Quocirca necesse est, ut sollicitè curemus habere semper cor quietum, tranquillum, atque ab omni passione, inquietudine, & à mœrore quam maximè

mê alienum, neque nimium nos per vanas recreationes ac superflua colloquia effundamus, quin & omne genus curiositatis, jacturam temporis atque actiones inutiles resecemus, ac denique, uno verbo, sensuum nostrorum custodiæ vigilanter intendamus.

Hujus rei defectu pauciſſimi sunt, qui in orationis via proficiant, etsi plurimi illam ingrediantur, quia cùm animum fermè habeant semper conturbatum, ac dissipatum, difficulter omnino se captivare ac recolligere queunt. Ubi deinde huic exercitio sancto vacandum est, nullum in eo inveniunt gustum, sed maximum fastidium, unde fit, ut animo languenti ac vagabundo quasvis occurrentes cogitationes permittant, neque amplius adversus mentis aberrationes, tentationes ac distractiones in ipsis, sive insidiis Diaboli, sive propriæ imaginationis inconstantiâ, suscitatas decertent; quam urbs sine mœnibus ac plena seditionibus hosti suo resistat.

Simplicitas ac docilitas, ut lumina & impulsus Dei sequamur.

Denique tantum studere propriæ non oportet industriæ, quin amplius impulsui Spiritus sancti nos permittamus, neque tantùm in proprio oportet confidere ingenio, quin multò amplius in auxilio gratiæ divinæ confidamus, quia de seipso quisquis præsumit, à Deo rejicitur; at ubi anima fuerit humilis, docilis, atque ad audienda interiora, quæ ipsi Deus tradit documenta, arrecta & intenta amplius perfectiusque instruetur unico momento, medianteque unico divinæ lucis, ut ita dicam, radiolo, quàm annis integris instrui possit proprio labore & industria. Adeò ut sit quidem

pro hocce exercitio induſtria adhibenda, ſic tamen, ut amplius quis auxilio divino innitatur, plurisque æſtimet unicam bonam cogitationem, quæ ab ipſo cum guſtu & ſapore promanat, quàm cunctos conceptus politiſſimos, quos habere poteſt ex ſeipſo.

CAPUT XX.

De Diſtractionibus, & modis eas repellendi.

UBi nunc ſigillatim quamlibet ex prædictis tribus viis exponere cogitamus, in prima ſtatim, quæ communis eſt, occurrit nobis neceſſitas exponendi, quomodo quis gerere ſe debeat, ubi patitur diſtractiones, de his enim magis ordinariè conqueruntur, qui per viam iſtam incedunt. Primò igitur dicemus, quæ ſint cauſæ, ex quibus naſcuntur diſtractiones. Secundò quomodo decipiant, ex improviſo occupent, atque aliò avocent animum. Tertiò quomodo illas debeamus abigere. Quartò exponemus remedia antecedentia, quæ oportet adhibere, ac denique defectus, quos quis hac in re poſſet committere, ut, illos ubi cognoverimus, evitare poſſimus.

Ordo huius capitis.

Neceſſe non videtur exponere, quid ſit eſſe diſtractum, nimium enim quantum experimur, atque animadvertimus eſſe, ubi quis manere difficulter poteſt recollectus, atque interius occupatus, ob multiplicem copiam extravagantium cogitationum, quas nobis ſuggerit imaginatio, pro eo, quod nos quietè ac tranquillè

Quid ſit diſtractio.

quillè in meditationem subjectæ materiæ incumbere sinat. Verùm exponendum nunc est

Undenam proveniant distractiones?

1. NAscuntur, uti insinuavimus, ex nimia libertate, quam indulgemus sensibus nostris videndi, legendi, indagandi, & curiosè loquendi de pluribus rebus supervacaneis ut imaginatio omnigenis speciebus & impressionibus instructa atque impedita animo quietem relinquere non possit. *Prima causa nimia sensuum effusio.*

Secundò nascuntur ex eo, quod in cordibus nostris fovemus nimiam multitudinem vanorum atque inutilium desideriorum, aut quod affectu vehementiori rem quampiam, etiam bonam, prosequimur, quia juxta Salvatoris nostri sententiam: *De corde exeunt cogitationes*: quod si desideria sint nimis multiplicata, fieri non poterit, quin etiam nimietate diversarum conturbemur cogitationum, ac tametsi vel ad unicam creaturam affectu ferremur inordinato, ille ad impediendam nostram in orando tranquillitatem sufficeret. *2. Multitudo vanorum desideriorum, aut affectus inordinati Matth. 15. 10.*

Tertiò proveniunt ex levitate & vivacitate humani animi & intellectus, qui considerationi alicujus materiæ intendere nequit, quin statim ab una in alteram quasi saltitet, atque ex hac tertiam effingat, adeoque cùm ex omnibus ratiocinari velit, sensim sine sensu à materia proposita avellitur, tandemque perit, ac sui ipsius immemor effectus ignorat quò devenerit. *3. Levitas animi.*

4. Defectus præparatæ materiæ.

Quartò nascuntur sæpius ex eo, quod quis non præparaverit ac præconceperit materiam meditationis, neque puncta, quæ considerare intendebat, bene digesserit, ut proinde mirum non sit, si animus, qui ex seipso vagus est & inconstans, hinc inde agitatur, quin immobiliter uni insistere queat argumento.

5. Insidiæ Diaboli.

Demum ordinariè causantur à malitia & arte atque insidiis Diaboli, qui, commotis in phantasia speciebus, multas illic excitat cogitationes stolidas & chimericas. Odio enim ardet implacabili adversus orationem, minorique cum oppositione sinit quempiam vestiri cilicio, cibo potuque abstinere, nullâ verò ratione perferre potest ab aliquo fieri orationem, eò quòd illius beneficio ascendamus in cœlum, unde miser ille deturbatus est.

In prato spirituali. c. 52.

Complura istius rei exempla suppetunt in vitis sanctorum Patrum Eremi, ubi legimus Abbatem Marcellum aliquando orationi vacantem audisse clangorem buccinæ seu tubæ, quasi classicum canentis, atque ad irruptionem inflammantis. Cumque secum ipse perpenderet, undenam hoc provenire posset, cùm in Eremo illa neque milites, neque bellicus apparatus adesset. Mox ponè assistens Cacodæmon ei ait: quin imò, vos enim nosque inter bellum est, sique tu à nobis oppugnari nolis, orationem relinque, & rursus cubitum concede.

Alius in visione intuitus est Cacodæmonem motitantem ligones, rastra aliaque instrumenta labori Religiosorum subservientia,

cum-

eumque illum interrogasset quid hoc sibi vellet, respondit Diabolus, distractiones esse, quas fratribus præpararet.

Alius ex malignis hisce spiritibus nostræ salutis inimicis quadam nocte pulsabat fores cellulæ S. Macharii, eique dixit, esse tempus vacandi orationi. Sanctus Eremita cœlesti luce illustratus agnovit esse Angelum tenebrarum, eumque scisciatus est, quid ejus referret tam sanctam actionem fieri? Respondit ei Dæmon, se in illa semper esse priorem unà cum pluribus sodalibus suis, atque ipsum, ut parumper, quid illic agerent, ubi adesset, adverteret, monuit. Vidit ergo sanctus homo cohortem Cacodæmonum in forma parvorum Æthiopum per Ecclesiam circumeuntium, atque ab uno ad alium Religiosum cursitantium, ubi uni formam alicujus castri, alii suorum parentum, alii suorum instrumentorum manualium aliarumque rerum diversarum effingebant ac repræsentabant. Digitos quorundam oculis superimponebant, ut illis conciliarent somnum, aliorum ori eos immittebant, ut oscitare ipsos facerent, aliorum denique negligentiorum minusque devotorum humeris insidentes mille ridiculas efformabant gesticulationes. Sanctus Abbas postero manè singulorum Religiosorum suorum cellulas obivit, eosque omnes deprehendit in oratione infestatos fuisse distractionibus ad eum modum quo ipse viderat. E quo clarè patet, distractiones, quibus inter orandum agitamur, maximâ ex parte provenire à Dæmonibus.

Quomodo distractiones nos occupent ac decipiant.

QUoad modum, quo nos infestant, experientia docet, ab iis ex improvisò nos occupari, & sensim à nostro proposito diverti. Quandoque advertenter illis cedimus, etsi quasi inviti ob nimiam illarum importunitatem. Quandoque verò magna ex parte nostra intercedit ignavia, quæ facit, ut illis locum demus, id quod non potest fieri sine peccato veniali plus aut minus notabili: Verùm necessariò advertendum est, una ex parte interiorem recollectionem esse rem adeo teneram, ut nisi nobis probè prospiciamus, minimâ re turbari possit; ex alia parte, si quando incautè alicui distractionum occasioni locum dedimus, fideliter valde eis resistendum esse, ubi animo nostro obversabuntur.

Duo puncta notatu digna.

Quomodo distractiones sint rejiciendæ.

UBi primum ergò quis distractum se esse animadverterit, subitò ad se redeat, humiliter à Deo veniam petat, cœptamq; orationem necesse est prosequatur meliori, quàm ante, resolutione absque eo quod multum consideret, undenam diversæ cogitationes istæ nasci potuerint: multò enim satius est citius eas relinquere, absque alio conflictu & cor fortiter atque affectuosè ad Deum convertere. Corde enim ad officium suum restituto, ac voluntate novo desiderio vacandi propositæ orationi instructâ, cæteræ potentiæ facillimè reducen-

reducentur ; cùm enim evidentissimum sit, cogitationes nostras ordinariè nasci ex affectibus, mox ubi hi ad Deum reversi fuerint, illicò illæ sequentur.

Quod si verò difficulter quis possit distractionem relinquere, eo quod cum aliqua voluptate illi immoretur, ille generosè semetipsum superare debet, cogitando : 1. se esse coram Deo & loqui divinæ Majestati. 2. magnum esse contemptum, relinquere ipsum ob nugas & quisquilias tractandas. 3. si ille tantæ est erga nos bonitatis, ut ne ad momentum quidem divinos oculos suos à nobis avertat : æquissimum sanè esse, ut nostros quoque ab ipso minimè avertamus, saltem pro illa hora, quâ ipsum oramus. Actus istâ ratione formari poterunt.

Praxis.

1. QUonam feror, mi Deus ? anima mea ubi sumus ? Attende nos esse coram Deo, coram quo Angeli præ reverentia contremiscunt, & tu illum contemnis ?

2. Coram quo & cum quo loquimur ? ubi est honor, reverentia ac sensus Majestatis Dei, quæ hic præsens est ?

3. Vellesne facere, non dico Regi, sed homini mediocris conditionis, quod feciſti Deo tuo ? Qualis foret irreverentia, illum relinquere &, interrupto sermone cæpto, ad servos ipsius fortè præsentes se convertere, cumque iis aliis de rebus longè diversis sermones miscere ?

4. Quid

4. Quid igitur anima mea? nunquid ignoras tractandum tibi hic esse de negotiis maximi momenti pro tua perfectione ac salute: hoccine tam parum tibi cordi est, ut etiam contemnas?

5. Age, ad nosmet redeamus. Vide, anima mea, qua ratione tota cœlestis curia præ reverentia coram tanta Majestate se demittat, atque omnes sancti oculos in illam continuò defigant? Quid enim? hoccine quod omnes beatos ita abripit, ut animum tuum contineat satis dignum non est? prô! quantus Dei tui contemptus? quanta tua inconstantia & ignavia? In loco tam sancto, in tam sancta societate, coram tanta Majestate, in negotio tanti momenti a leò facile ac leviter à proposita te abripi finis materia, ut cum tuis cogitationibus ita impertinentibus, vanis atque inutilibus nugeris? Quod si Angelus nobiscum locuturus accederet, vel illum intueri minimè deberemus, quia cum longè majore Angelis agimus, ut quid igitur rebus adeo vilibus atque extravagantibus occupamur?

6. Mi Deus, quantæ mihi confusioni est, non posse me ad modicum tempus captivari, ut loquar divinæ Majestati tuæ absque distractione? quàm misera est conditio mea? verùm noli me etiam modò à divino conspectu tuo, mi Deus, repellere.

7. Heu Domine! tu tanto zelo bonum meum prosequeris, ut mihi orationem ad me illius ope ditandum concesseris, & ego illam negligo?

8. Sine intermissione me respicis, Domine, meis omnibus necessitatibus ut prospicias. Quod si vel ad momentum tuos à me oculos deflecteres, protinus in nihilum meum relaberer. Quâ ergo ratione fieri potest, ut mei tantoperè immemor evadam, ut à te cogitationes avertam, neque toto corde meo cum divina Majestate tua loqui contendam?

9. Ad te revertor, Domine, detestor atque improbo cunctas cogitationes istas, quæ me à te abducunt, protestans illas contra meam exurgere voluntatem. Dic, Domine, ut fiat pax in corde meo & ad verbum tuum fiet.

10. Redeamus ad intentum, anima mea, atque opus interruptum resumamus, nobis ipsis amplius, quàm hactenus factum fuerit, attendentes. Adjuva me Domine per gratiam tuam, atque istam mentis evagationem pro peccato mihi ne reputes.

Praxes istæ attentè atque ex intimo corde exercitæ permagno haud carebunt emolumento. Quoties verò distractio recurrerit, ad eandem similiter praxin recurrendum erit: Quod si etiam usque adeò illa sit importuna, ut ne momentum quietis indulgeat, semper exercitium istud continuandum erit, toties distractionem repellendo, quoties aditum illa tentârit. Tempus etenim huic impensum certamini fructu suo minimè carebit, tametsi etiam toto orationis tempore aliud non faceres, quam quod adversus distractiones decertares.

Quin

Quin imò fieri poterit, ut hicce conflictus Deo longè sit acceptior, quàm si quis perfectâ potiretur recollectione.

Distractionibus obviandi media.

UT verò radicitùs malo obvietur, ipsumque eminùs prospiciatur, remedia aliquot anteriora ad obviandum distractionibus efficacissima adducemus.

Cassian. collat. 1. c. 8.

Antiqui Patres crediderunt, Religiosum Dei gratiâ mediante eousque pertingere posse, ut absolutè suis cogitationibus dominaretur, sive per jugem atque indesinentem ad res bonas ac sanctas attentionem, vanarum atque impertinentium obliviscendo, sive acquirendo habitum sibiipsi invigilandi adeò firmum, ut ne unica quidem subeat mentem cogitatio, quam statim animus non advertat

Quomodo fieriqueat, ut cogitationibus nostris dominemur.

Præalta profectò ea perfectio est, quam nisi post diutinum exercitium polliceri sibi nemo potest: quoniam tamen id impossibile non est, illuc connitendum erit, nobis præcipuè, qui vi Regulæ ac Professionis nostræ omnibus aliis Religiosis ampliùs Deo vacare tenemur.

Eximius quidam veteres nostros inter Anachoretas Religiosus plurimis in deserto exactis annis ab alio interrogatus, quem fructum ex adeo diutinis solitudinis annis, internisque exercitiis reportasset, respondit, id ei pro tunc sese minimè dicturum, sed solùm post decem dies, si tunc ei reverti luberet. Recessit igitur ille, ac decimo post die reversus ipsum mortuum reperit, simulque juxta ipsum responsum

his

his verbis conscriptum : *Ignosce Pater, quia nunquam, dum opus Dei agerem* (id est orationi vacarem) *mentem meam dimisi in terram.*

Ut verò ad eximiam adeò perfectionem pertingere quivis valeat, aliqua hic dabimus præcepta, quorum usus totidem nobis suppeditabit remedia, quæ præcipuos distractionum fontes jam antea explicatos exiccabunt.

Primum erit, amare solitudinem, parùm loqui, parùm de rebus inquirere curiosis, otium ac jacturam temporis fugere, atque uno verbo nil videre, nil loqui, nil facere, nil cogitare, nil, nisi absolutè necessaria, desiderare, cæteris tanquam inutilibus, verissimisque tranquillitatis ac puritatis cordis ad orationem perneccssariæ impedimentis relictis. *Qui minoratur actu sapiens erit. Eccl. 38. 23.*

Alterum erit assuefacere se ad cogitationes nostras toto die bene regulandas, animum tenendo serium, fabulasque, nugas & jocos, atque alia devotionis sinceræ venena fugiendo, quia duæ similitudines ea de re in medium productæ à S. Bonaventura verissimæ sunt; *Qua lis*, inquit, *liquor vasi infunditur, talıter re dolebit, & quales herbas in horto cordis tui plantaveris, talia semina germinabunt*, sic etiam quales ordinariè in corde tuo foveris cogitationes, tales quoque fructus orationis tempore tibi progignent. *De Profect. Relig. l. 2. c. 58.*

Tertium aliis duobus haud minus utile erit, nihil penitus vehementer nimis desiderare. Quia si desiderio cujusvis rei vehementiori atque inquieto locum damus in corde nostro, infallibiliter in illo producet permultas diversas

cogi-

cogitationes, quibus turbemur necesse erit; impossibile siquidem est rem quampiam vehementius amare, neque tamen de illa cogitare frequentius. Eapropter nos monet Sapiens, ut cor nostrum quàm diligentissimè custodiamus, si divinæ sapientiæ, cujus schola est oratio, participes esse cupiamus.

Quod si non obstantibus his omnibus monitis, remediis, ac præceptis, distractiones nos pertinaciter lacessant, quin eas valeamus rejicere, non abs re erit recitare vocaliter aliquot Psalmorum versiculos, si hoc expedire advertamus v. g. istos:

Ps. 26. 8. *Tibi dixit cor meum: exquisivit te facies mea: faciem tuam, Domine, requiram.*

Ps. 54. 7. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ; & volabo & requiescam?*

Ps. 118. *Declinate à me maligni & scrutabor mandata Dei mei.*

Isa. 38. 14. *Domine vim patior: responde pro me.*

Non desunt alii, qui hac in re utiliter & non sine emolumento proferunt ore id quod ruminant in corde, vocem sociando meditationi. Hoc in praxin deducere cuivis licebit, modò id fiat voce sic depressa, ut à nemine audiatur. Demum cuilibet liberum erit, ut illis mediis, quæ sibi expedire ipse comprobaverit, sive recurrendo ad B. Virginem aut Angelum Custodem, sive profundissimè sese coram Deo humiliando, sive meditationem lectione miscendo, aliisque similibus utatur.

Defe-

Defectus, quos in materia distractionum cavere debemus.

SUpereſt, ut obſervemus quatuor non exiguæ conſiderationis defectus, in quos hoc in genere quis poteſt incidere.

Primus eſt quorundam, qui naturæ ſunt adeò æſtuantis, animi vivacis adeoque inquieti, ut ne ad momentum quidem quieſcere poſſint, ubi quidquam ipſis occurrit agendum, adeò, ut (ſi poſſint,) orationem deſerturi ſint, vel certè in ea magno cum tædio remanſuri, nihil interea aliud quam de re agenda cogitantes. Iſti ſemetipſos ſuperare debent, orationemque protrahere potiùs, quàm abbreviare, imò & actionem, cujus cogitatione inquietantur, quantum obedientia ac recta ratio permittere poterit, differre; ut ita paulatim hunc ingentem ardorem atque animi vivacitatem mortificent.

Alter defectus eſt quorundam *ignavorum* ac *negligentium*, qui, cùm ſatis conſtanter non conſtituerint divinæ de ſe expectationi penitùs reſpondere, poſt modicam renitentiam, diſtractionibus cedunt, exiſtimantes fruſtra ſe amplius laboraturos in diſtractionibus repellendis, cùm illæ mox denuò recurrant. Conſiderare debent iſti, hanc ignaviam, cùm cauſa ſit, cur diſtractiones iſtæ illis voluntariæ ſint, peccato ipſis verti, pro eo quod anſam inde captare poterant majoris meriti. Idcircò decernere debent, fortiter ſe pugnaturos, etſi toto orationis tempore nihil aliud facere deberent etiam pro tota vitâ ſua.

Tertius defectus est aliorum quorundam æquo *timidiorum* nimisque pusillanimium, qui continuò distrahuntur, ob metum distractionum. Ille enim inordinatus distractionum metus distractioni longè molestiori, quæ est animi inquietudo, aditum præbet. Illi timorem hunc nimium corrigere, Deo confidere, suaviterque inter orandum recollecti in illius præsentia consistere debent: Oratio etenim ex eo mala non est, quod quis sub illa sentiat distractiones, sed quod illis voluntariè inhæreat. Illas igitur animadvertentes rejiciant, & nihil ipsis nocebunt.

Denique quartus defectus est quorundam, qui impatientiâ correpti *desperant*, se unquam in oratione proficere posse ob suæ imaginationis levitatem & inconstantiam, ac frequentes quas hæc eis ingerit distractiones. Malè equidem illi faciunt, multoque facerent melius, si molestiam istam patienter tolerarent, renovando subinde bona sua proposita, atque abdicando coram Domino nostro cogitationes istas extravagantes, suamque semper materiam resumendo. Fructus enim orationis in eo præcipuè situs est, quod quis in ea ad finem usque perducenda fidelis existat, neque ipsam interrumpat, aut tædio victus derelinquat.

Poterunt se etiam coram Deo humiliare, deque suâ infirmitate ac miseria erubescere, indignos se, qui cum divina Majestate loquantur, reputare, mirari, quomodo ipsos coram se perferat, cùm adeo inconstantes atque erga ipsum irreverentes existant, producere aliquot actus doloris, quod adeo sint imbecil-

becilles, ipsi in earundem distractionum reparationem offerre vivam atque amoris plenam animi applicationem, quam habuêre Salvator noster, illiusque sanctissima Mater in suis divinis contemplationibus, ac denique consolatione afficientur, ubi fecerint quidquid potuerint.

CAPUT XXI.

De quibusdam aliis molestiis in ordinariâ & communi orationis viâ occurrentibus.

ILlæ molestiæ quandoque afficiunt animum, quandoque verò corpus. Quoad animum infestamur molestis tentationibus, magnis passionibus, murmuratione, tristitia aut fastidio. Quoad corpus dejicimur infirmitatibus, quandoq; veris, quandoq; falsò à Diabolo nobis persuasis. Sentimus, nescio quas gravedines, quæ animæ cujuslibet rei cogitandæ adimunt facultatem. Afficimur dolore cordis aut capitis, membrorum lassitudine, totius corporis languore, vel somnolentiâ opprimimur. Demùm pauperculi animi orationi intendere proponentis situs toties mutabitur, quot in corpore humorum alterationes fient, sive operâ Cacodæmonis, sive ex effectu ipsius naturæ, aut temporum mutatione. Quanam ratione in his omnibus occasionibus gerere nos debeamus, porrò exposituri sumus: ac primò

In Tentationibus.

IN illis animus eo ferme se geret modo, quo in distractionibus. Idcirco postquam ingentem erga ipsas conceperit horrorem, simpliciter illas ex mente sua expungere conabitur, illas deserendo atque ad Deum se quam affectuosissimè convertendo, meliorique quo poterit modo ad propositam redeundo materiam. Quid verò si importunæ illæ sint ac violentæ ?

1. 1. Protestabitur coram Deo, se nunquam illis consensurum.

2. Secundò humili cum resignatione offeret illi molestiam ex cogitationibus tàm horrendis conceptam.

3. Deinde, etsi miserrimi status existat, nihilominus subinde conabitur Deo dicere aliquas laudes, sive mentaliter id fiat, sive etiam vocaliter.

4. Denique eliciet aliquos actus patientiæ, resignationis, conformitatis suæ cum voluntate divina, atque adorationis, addendo, (si oratio fiat in particulari) aliquos actus exteriores mortificationis, v. g. brachiis in modum crucis extentis durante psal. *De profundis* consistendo, humi se abjiciendo, vultuque terræ affixo jacendo, pectus tundendo, absque tamen violentia, ac similia exercendo, quæ animæ huic plus conferent emolumenti, quam tentatio intulerit detrimenti.

Faciet cum tentatione proventū. 1. Cor. 10. 13.

Quid

Quid faciendum sit, ; ubi quis persentiscit alicujus passionis commotiones.

ANima passione aliqua murmuris, exacerbationis, aliave persimili inquietata tumultum illum sedare conari debet, recurrendo ad Deum, ac renunciando omnibus suis naturalibus affectibus, & postquam cuncta deposuerit ad pedes Dei nostri, materiam suam resumet.

Quod si ad tranquillatem pristinam se reducere nequeat, sed illi passionum tumultus importunè recurrant, protestabitur, illis se non consensuram, offeret illas Deo tanquam justissimam superbiæ suæ pœnam, atque in illius præsentia hos suos affectus deplorabit, de cætero patienter tolerando hanc aliquid boni faciendi impotentiam, in quam tempestas hæc ipsam induxit.

Quod si murmur aut indignatio est contra aliquem ex Fratribus in particulari, optimum erit pro eo aliquid orare, complures enim experti sunt hoc pleno charitatis remedio post hujusmodi tumultum pristinam se recuperasse tranquillitatem.

Quid faciendum, ubi quis tædio afficitur vel tristitiâ?

UBi quis tædio vel tristitiâ se opprimi, aut ab alio quopiam moroso affectu omnem applicationem impediente occupari adverterit, meliori uti remedio non poterit, quàm ut postquam semetipsum, quantum quidem potuerit, excitârit, patienter istum statum coram Deo ferat cum omni humilitate ac reverentia.

Imò si aliud faceret nihil, quam quod statuæ instar genuflexus persistens diceret ; *Domine propter te ac tui amorem hic maneo*, multum foret. Verùm poterit, qui tali in statu est, subinde elicere interiores actus adorationis, resignationis, oblationis, aliosque hujusmodi : tametsi verò id fieri videatur sine ullo gustu aut affectu, nihilominus actus illi Deo erunt perquam gratissimi, maximeque pro anima meritorii.

Poterit quis etiam in hoc casu uti oratione mixtâ, de qua loquemur inferiùs, quæ si etiam insipida sit, satis erit pro tunc orare vocaliter, cum elicitis subinde quibusdam animi ad Deum elevationibus. Ante omnia cavendum erit, ne in tali casu orationem deserat vel abbreviet. Hoc enim idipsum esset, quod prætendit Diabolus ; sed imitari debemus Salvatorem nostrum, qui, ut notat S. Evangelista, *Factus in agonia prolixiùs orabat.* Ex qua re ampliorem quis poterit sperare fructum, quàm si magnâ potitus fuisset facilitate ac tranquillitate. Per mutationes enim istas anima magis magisque in Deo radicatur ac divinæ Majestati quovis in statu invariabiliter adhærere assuescit.

Luc. 22. 44.

De Infirmitatibus corporalibus, quæ nos quandoq; orationis tempore invadunt.

INfirmitates corporis subitaneæ atque improvisæ, uti sunt languores, lassitudines, gravedines, cordis dolores ac similes, semper initio debent esse suspectæ : sæpe enim ex insidiis

diis Diaboli procedunt, qui multum se lucri reportasse existimat de Religioso illo, quem vel uno die ab oratione præpedierit.

Primò igitur, si potes, discernere debes, undenam infirmitates hujusmodi proveniant, ut tibiipsi malè ne blandiaris, ubi illas Diabolus excitârit. Quod si deprehendas, illas procedere ex aliquo excessu, quem feceris, sive nimis multum sive nimis parum comedendo, dormiendo, aut laborando, discretiùs imposterum te habere propones: tuncque orationi te non applicabis, nisi magnâ cum moderatione, ne fortè malum adaugeas. Id quod etiam dicendum erit, ubi infirmitates fuerint purè naturales: Corpori enim unâ alterave vice aliquatenus obsecundandum est, ut ipsum pro reliquo tempore animæ obsequatur. Hoc igitur in casu de superioris licentia sedere poteris, postquam in principio aliquamdiu genuflexus perstiteris, poteris etiam uti oratione mixtâ, quin & pro una alteraque vice, solâ vocali contentus esse, quasdam devotas aspirationes, atque actus resignationis, patientiæ, oblationis, adorationis, aliosque similes intermiscendo.

Qod si verò non sine fundamento suspicari queas hujusmodi debilitates procedere ex insidiis Diaboli, temetipsum constringere debes ad manendum genibus flexis, ferventerque te excitare, ne forte tentator triumphet. Quot enim videre fuit hoc in genere turpiter deceptos, qui quia nimis erant delicati ac molles, à Diabolis non rarò fuerunt illusi? Et quot è contrario fuêre, qui quia sibiipsis vim

aliquam intulerunt, unico momento omnes istas nebulas, gravedines & prætensas infirmitates dissipârunt? Novitii harum spiritualium technarum patùm periti consulent Patrem Magistrum, ne fervore indiscreto excedant.

De dolore capitis.

Sicut capitis dolor periculosior est, majorisque momenti, ita necesse est, ut quis illum persentiscens absque longo examine, undenam ille proveniat, exigua cum activitate orationi intendat: deinde, consulto Patre Magistro, sequatur methodum ab ipso præscriptam. Cavendum verò omninò est, ne quis hoc malum violenter superare velit, quin potius è contrario valdè suaviter hoc in casu procedendum est, adeò ut si quis tam suaviter meditari non possit, quin sentiat dolorem, hic, meditatione relicta, oratione solum utetur mixta, ut dictum est, vel etiam vocali, interjectis quibusdam aspirationibus atque actibus tesignationis, oblationis, adorationis, petitionis ac similibus. Cæterùm humiliter hoc malum pati debemus, & fructum nihilominus orationis consequemur, qui in nostrimetipsorum reformatione ac virtutum acquisitione consistit. Et verò nostra quid refert, de cujus manu fructum colligamus, modò ipsum obtineamus à Deo?

De Somnolentia.

Somnolentia generosè impugnari debet, sive illa proveniat ex natura, sive insidiis Diaboli excitetur. Cùm enim orationis hora consecrata sit Deo, æquum non est vel minimam illi partem

tem

tem voluntariè aut ignavè detrahere. Princeps profectò à se cum indignatione abigeret eum, qui ad colloquendum cum ipso ingressus medio discursui suo indormiret. Quid igitur faciet Deus noster illi, qui ignavè ac socorditer huic naturæ infirmitati mox cederet? S. Romualdus vetabat sacris operari illos e suis Religiosis, qui orationi indormivissent. Et Dominus noster aliquando Religioso cuidam hunc defectum committere solito apparens ei tergum obvertit dicens: faciem tu meam videre non mereris, quia piger es & ignavus. *Cæsarius lib. 4. Dial. c. 29.*

Ubi te igitur somnolentum adverteris, temetipsum corpore animoque excitare debes, stando erecto corpore, neq; ullatenus cuipiam sustentaculo innitendo, sed situm servando nonnihil violentum, recitando aliquas preces vocales, quarum oratione te excites. Quod si in privato fueris, brachia in modum crucis extendere, aliisque uti poteris mediis, quæ tibi profuisse experientiâ comprobâris.

Verùm enim verò in fine hujus capitis advertendum est, si modis omnibus, quibus potuimus, nos disposuimus ad bene faciendam orationem, neq; tamen illa pro voto nobis successit, necesse esse ut conemur frequentibus orationibus jaculatoriis resarcire labem distractionum, tentationum ac somnolentiæ Sicut enim optamus, ut Deus nos consoletur in oratione, etsi hoc promeriti non simus, sed potiùs demeriti, quod nos satis non recollegerimus, prius, quam ad orationem accederemus: ita quoque conari debemus divinæ Majestati suæ aliquos offerre fructus orationis nostræ, etsi nos ille in ipsa permiserit impugnari.

CA-

CAPUT XXII.

De statu devotionis sensibilis.

HÆc est altera via, quam anima in oratione experitur, circa quam dicemus: 1. quid sit devotio in genere. 2. quid in particulari sit devotio sensibilis. 3. unde illa proveniat. 4. assignabimus certissimas notas, ex quibus bonæ consolationes à malis queant discerni. 5. Exponemus qua ratione illas recipere debeamus, quæ procedunt à Deo. 6. monita quæ observare quivis debet, ut ne decipiatur.

Quid sit Devotio in genere.

DEvotio nihil est aliud, quàm voluntas prompta ac resoluta ad faciendum quidquid attinet ad servitium Dei. Hæc autem devotio seu voluntatis promptitudo potest in anima esse absque voluptate aut oblectatione sensibili: quin potiùs non paucos reperire est, qui exercitiis spiritualibus vacant magnâ cum repugnantia partis inferioris, qui tamen revera devoti sunt, & quidem solidissimâ devotione, quia in hac sua repugnantia magnâ cum generositate eadem faciunt, quæ agerent, si sensibilem in ea haberent propensionem. Verùm Deus, cujus spiritus suavitate plenus est, animabus quandoque aliquem gustum dulcedinis suæ indulgere solet, ut quasi hic in terris ea, quæ aliquando æternùm in gloria possessuræ sunt, prægustent. „ Oratio verò, ait „ S. Theresia, est porta, quâ gratiæ omnes

Hæc sententia S. Theresiæ

quas

„ quas animabus concedit Deus, ingrediun-
„ tur. Per illam venit ipse, ut cum animabus
„ oblectetur. Amicitia ac voluptas magna est,
„ quam Deus exhibet illis, qui hac via ince-
„ dunt, quibus quasi sumptus omnes suppedi-
„ tat, eosque potat, ac reficit, ne fortè animum
„ perdant ac moriantur siti. Ex hac enim fœ-
„ cunda scaturigine profluunt rivi, quorum
„ alii grandiores, minores alii sunt, atque ali-
„ qui quandoque minimi rivuli pro parvulis,
„ hoc est iis, qui adhuc in exercitio hoc infir-
„ miores existunt; hoc enim sufficit pro illis,
„ quibus si aliquid amplius indulgeret, eos
„ terrrore concuteret.„ Hæc ait illa sancta heroina.

concernit dona interiora, & gustus devotionis, non verò omnis generis gratias, quia has sæpè indulget nobis Deus, quin vel de iis cogitemus.

Quid sit gustus ac Devotio sensibilis.

VOluptates illæ atque interiores deliciæ nihil sunt aliud, nisi ordinaria satisfactio, quam percipit anima, ubi facilitatem conversandi cum Deo persentiscit. Sunt quædam exhilarationes atque emollitiones cordis, quædam conceptuum & affectuum abundantia, suavissima dilatatio, atque amorosa liquefactio stipata ac vallata nescio quibus illustrationibus divinis, quæ temporis momento plures veritates in lucem proferunt, multoque efficacius cor occupant, quam facerent multo tempore continuatæ meditationes.

Hoc in statu anima videt ac sentit res adeo præclaras, ut illas non nisi lacrymando, suaviter suspirando, & quandoque gestus, in quos invita pertrahitur, quique satis animi lætitiam produnt;

produnt, edendo queat exprimere. Nihil id temporis videtur ei impossibile, mira promittit, res grandes & heroicas pro Dei gloria facturam se pollicetur, ac veluti D. Petrus in monte Thaboris in hujus possessione lætitiæ in æternum manere vellet: ut paucis totum dicam, hic status non immeritò appellatur *spiritualis ebrietas*, quia anima quasi sui compos amplius non est ob nimias delicias cœlestes, quibus redundat.

Hasce delicias vocamus *devotionem sensibilem*, etsi non rarò partem afficiant superiorem ac rationalem; quin ad inferiorem ac sensitivam descendant. Veruntamen aliquando etiam tanta illarum est plenitudo, ut redundantes atque exuberantes omnes potentias sensitivas perquàm suaviter irrigent, inundent, ac penetrent, unde cor incipit inardescere, vultus inflammari, atque omnia membra extraordinariâ quadam afficiuntur agilitate. Nonnulli videntur sibi percipere jucundum quendam odorem, quo anima æque ac corpus recreatur, alii degustare ineffabilem saporem, qui ipsum os ac linguam reficiat, sicque de aliis.

Unde hi gustus devotionis sensibilis proveniant.

STatim primâ fronte consolationes istæ sensibiles repudiandæ non sunt, quia omninò verisimile est, illas procedere à Deo: neque tamen ob illas etiam nimiùm gaudere nos oportet, quia similes immittere quoque potest Cacodæmon. Deus illas ordinariè indulget Incipientibus; *Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi non escam*, inquiebat Apostolus. 1. Cor. 3. 2.

Duos

Duos autem fines intendit Deus, ob quos hujusmodi delicias indulget. Primò ut animæ oblivionem inducat voluptatum hujus seculi, ubi illi majores degustandas propinat, quarum exiguus radius illam amplius oblectat, quam omnes hujus mundi deliciæ pluribus annis degustatæ. Ejus enim naturæ sunt homines, ut oblectamento nullo privari se sinant, nisi illecebra majore illecti, aut grandioris alicujus mali inde fortasse consecuturi timore inducti,

Quare consolationes spirituales Deus indulgeat.

Duas hasce vias tenet Deus, ut corda nostra à deliciis sensibilibus abstrahat. Primò enim acrem quendam nobis immittit judiciorum suorum, pœnarumque infernalium timorem, ac deinde gustare nos facit, quàm sit ipse suavis. Hic porro gustus manna est Israëlitarum in deserto, quod omnes in se complectebatur, qui cogitatione fingi possent, sapores, ut ita oblivionem ipsis adferret escarum Ægyptiacarum. Thymiama est, in cujus odorem hilariter currimus, sequendo Jesum Christum.

Secundò, Deus hasce nobis concedit spirituales delicias, quò ita nos fortiter ad orationem pelliciat, ut nunquam illam relinquamus, suoque servitio ita inviolabiliter alliget, ut ab ipso nunquam sejungamur. Gustatis enim deliciis, quibus afficiuntur, qui illum sequuntur, anima cogitare potest: „ O si exigua sua-
„ vitatum ac deliciarum ipsius gutta tam ju-
„ cunda tamque amabilis est, quanto ipse in
„ seipso esse debet amabilior? si se mihi ad
„ momentum, & quidem sub densa nube, ex-
„ hibendo totam amoris sui teneritudinibus me

Anima ratiocinatio post hujusmodi devotiones sensibiles.

„ me liquefecit quid fiet, ubi ipsum clarè & „ non solùm per transennam intuebor?

Anima illa præterea ex hisce interioribus deliciis non modicum elicere potest fructum, putà patientiam in derelictione, tristitiâ ac fastidio „ quæ huic felici statui succedere ut plurimũ solent. Cùm etenim illius, quod gustavit, recordatur ait: „ Equidem non ignoro pro quo laborem, illumque sufficientem esse ad mihi „ intra horæ quadrantem abundanter compensandam molestiam, quam in suo me vult „ servitio complures dies subire. Dignus est, „ cui semper æqualiter serviatur, quia ille semper idem est. Quid autem ipsius ergò facere voluissem, ubi me ipse consolabatur? „ Cur igitur idem quoque non facerem modò, quia nunc æquè atque eo tempore Deus „ meus est? Ergone illi propter consolationes ipsius & non potius propter ipsummet „ inservio? Quod si hoc facio propter consolationes ipsius, non equidem inservio ipsi, „ sed quæro meipsum, propriamque meam satisfactionem, „ Super hac re semetipsam accendit ad constanter atque animosè suo muneri satisfaciendum. Ecce quo fine Deus consolationes istas spirituales indulget, atque etiam quandoque ex improviso super veritatibus impræmeditatis immittit: quandoque verò id fit super meditationis argumento, circa cujus vivam ac nudam comprehensionem intellectum adeo illustrat, ut anima quasi pleno volatu in ipsum feratur, omniaque illic latitantia mirabilia discernat, illisque insistat.

Quas vires anima hauriat ex devotione sensibili.

Verùm

Verùm consolationes istas imitari atque ementiri quoque potest Diabolus, phantasiæ repræsentationes adeò jucundas proponendo, ut ei peregregias veritates aperiat, deinde humoribus corporis nonnihil commotis sensus titillando ac lætitiâ afficiendo. Porro intentio illius est causare, ut anima illi oblectationi immorans, illaque se quasi magnâ cum voluptate enutriens incidat in gulam spiritualem, crassamque suiipsius complacentiam, ex qua non rarò sequuntur ingentes dolores capitis, qui hominem pro tempore non modico inidoneum reddunt ad orandum. Quandoque verò inde nascitur præsumptio quædem ac vana complacentia suiipsius, unde proveniunt illusiones, aliaque extraordinaria accidentia. Hinc fit, rem esse magni momenti, ut quoad hos gustus (undecumque illi queant provenire) semper quis consulat Patrem Magistrum, ubi primum eos adverterit. Etsi namque multum differant illi, qui procedunt à Deo, ab illis, qui causantur à Diabolo, in eo præcipuè quòd illi in animæ parte superiore nascantur, hi verò sensus dumtaxat afficiant, nihilominus Incipientes, imò etiam quandoque Provectiores non parum difficultatis in illis infallibiliter discernendis inveniunt. Quocirca hic dabimus

Quomodo Diabolus consolationes sensibiles causare queat.

Signa, ex quibus gustus sensibiles provenientes à Deo discernantur ab iis, qui causantur à Diabolo.

PRimò, ubi consolationes sunt *frequentes* ac *diuturniores*, ordinariè adulterinæ sunt, quia

Ab hac regula excipienda

Sunt suavitates internæ, quas communiter experimur in principio conversionis, quæ aliquando integros menses durant, similiter etiam motus quidã extraordinarii quos provectiores persentiscunt.

quia quæ à Deo sunt, (teste S. Bernardo) rarò obveniunt, parumque durant. Sicut ubi Sol inter duas apparet nubes, ex una procedit, ut subtus alteram sese abdat. Cùm enim nil aliud intendat Deus, quàm cordi nostro gratissimum amoris sui spiculum infigere, nosque adeò efficaciter movere, ut vi istius commotionis incessanter in illum feramur, ictu illato retrocedit. At vero Diabolus diutiùs perseverat, quia animam irretire intendit, atque ad istius voluptatis idololatriam inducere. Bonum signum est, quando suavitates illæ post longam succedunt ariditatem, indicat enim Deum cœlestem rorem suum terræ aridæ pauperculi cordis istius effundere, eamque irrigare velle. Ex quo fit, mirum visu non esse, ipsum tanta cum voluptate se expandere ad favores hosce recipiendos.

3. Reg. 19. 12.

Secundò suspectas habere debemus illas, quæ cum *impetu* veniunt; quia *non in commotione Dominus*, sed in *sibilo auræ tenuis*, ut, teste Scriptura, se sancto Patri nostro Eliæ exhibuit; atque istius tam suavis ac dulcis visitationis Dei peculiare ac proprium est, animam intro trahere, illiusque potentiis tranquillitatem atque admirabilem recollectionem inducere, cùm è contrario operatio Diaboli ipsam conturbet atque à Deo ordinariè distrahat.

Tertiò suspectas habere debemus teneritudines quasdam nimis *molles* & *effœminatas*, quæque animam sensim ad nimiam deducunt *libertatem*, atque etiam ad inordinatas in corpore commotiones: spiritus enim Dei quàm maximè generosus, purus ac sanctus est, quique non

non nisi ad pudicitiam, modestiam ac sanctitatem impellat. Cavendũ idcircò est, ne hisce affectibus effœminatis, liberioribus ac Dei, quîcum agimus, magnitudine indignis cedamus aut implicemur: hocque bene observandum est, in bona devotione amoris comitem semper esse reverentiam.

Quartò, consolationes spirituales, quæ animam ducunt ad vanã suiipsius *complacentiam*, ad præferendum se aliis illis carentibus, ad illas captandas, veluti magnæ virtutis ac perfectionis indubitata testimonia, adulterinæ habendæ sunt ac fallaces, atq; ut à maligno spiritu procedentes: quia spiritus Dei qui non requiescit nisi super humiles, affectus quoque alios non suggerit, quàm humilitatis.

Non est tamen inficiandum, quandoq; fieri, ut quis in gustibus illis interioribus, quos concedit Deus, per reflexionẽ habitam motus quosdam persentiscat vanitatis, verùm hi adeò debiles sunt, ut unico momento evanescant. In his verò quos causat Diabolus, motus illi vanitatis ac præsumptionis præcipuè ab anima sentiuntur, ideoque ex hoc facile cognoscere est, quo nascantur authore.

Deniq; bonæ consolationes animam semper impellunt ad exactam mortificationẽ, suiipsius abnegationem, è contrario adulterinæ illã impellunt ad corpori blandiendum, modica negligenda, veram ac solidam virtutum praxin oblivioni tradendam, intellectus curiositatem, propriiq; judicii magnã existimationẽ fovendam. Quilibet, ubi bene animadverterit affectũ, quos hac in re magis ordinariè experiri solet, Patrem Magistrum consulet, ne in fraudem inducatur.

Quomodo in gustu devotionis sensibilis nos habere debeamus.

Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint 1. *Iac.* 1. 4. 1. *Pet.* 4. 12.

EX his omnibus intelligere facile est, non esse credendum omni spiritui, uti monet S. Evangelista Joannes, neque absque magna ratione S. Petrum prohibere, ne leviter impotenti motu feramur in primos impetus subiti fervoris: *Nolite*, ait, *peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit*; ac si diceret, non tolùm examinandas hujusmodi devotiones sensibiles, ut videamus, an à Deo sint? verùm etiam necesse esse in illis magnâ procedere cum circumspectione. Monita hæc in genere, (suppositò quod illæ devotiones à Deo sint) observanda sunt. 1. Ut cor nostrum magnâ cum humilitate ac reverentia ad illas recipiendas aperiamus. 2. Ut nobis proponamus iis non uti, nisi eo fine, quo eas nobis Deus indulget. 3. Ut caveamus ne taliter tantaque cum voluptate illis immergamur, ut in gulam spiritualem incidamus. 4. Ut illas suaviter per intimos foveamus affectus, eas quantum quidem possibile fuerit, continendo in parte superiore, neque permittendo, si fieri potest, ut in inferiorem descendant. 5. Ut non contendamus formaliter & expressè elicere diversos actus, tales & tales, sed simpliciter sequamur ductum Spiritus sancti: non tamen oportet, ut illas finamus evanescere, quin proponamus emendare in particulari aliquod vitium, quod animo tunc nostro infallibiliter obversabitur, cavendo nihilominus nimiam potentiarum activitatem, ne fortè nobis conciliemus capitis dolo-

dolorem, qui uti ordinarius satis, ita valde est periculosus. 6. Agnoscendum nobis est, esse donum Dei, ut illi humillimas agamus grates, cavendumque, ne meritis, præparationi, aut fidelitati nostræ illas attribuamus, 7. Gustus illi interiores considerandi similiter nobis sunt, ut totidem amorosæ invitationes Dei, ad hoc, ut nos ei totaliter dedamus, magisque seriò interioribus vacemus exercitiis. De quibns gratiis honorificentissimisque invitationibus exactissimam reddere habebimus rationem in die judicii, nisi illis obediamus. 8. Negligentiam atque ingratitudinem nostram in Dei servitio ex illis interioribus gustibus dijudicare debemus; tunc enim, cum suavitatibus illis perfundimur, multò videbimus melius, quàm simus culpabiles in eo, quòd adeò negligenter servierimus Deo, qui fidelitatem maximorum Sanctorum fidelitati æqualem mereretur. Tandem venia nobis ab ipso petenda, concipiendumque propositum vitam ducendi novam, magisque mortificatam, exactam, recollectam atque exemplarem.

Magni momenti monita circa gustum devotionis sensibilis.

1. QUi naturæ sunt tenerioris ac sensibilioris, hac viâ magnâ cum circumspectione procedere debent, omninoque sequi ductum Patris Magistri aut Directoris spiritualis, alioquin timendum est, ne sicut ordinariè sunt suimetipsorum amantiores, imaginationisque vivacioris ac genii inconstantis & inæqualis, ita in molestos incidant casus. Etenim

nim semetipsos, ut magnos Dei amicos, magnisque ab ipso gratiis locupletatos adorabunt. Totos sese huic suavitatis oceano immergent, qui illos inundabit, ipsique sibi imaginabuntur videri à se ea, quæ non intelliguntur, gustari ac sentiri, quæ non gustantur, neque sentiuntur: ex quo ingens incurrent discrimen capitis ac cerebri lædendi: Uno verbo, cùm consolationes hasce non recipiant cum judicio, neque in spiritu Dei, sed secundùm genium suum, qui in ipsis multum est inæqualis & inconstans, sæpè ab uno extremo transibunt ad aliud, eruntque, quoad hæc illis spirabit Favonius, supra modum devoti, moderati, ac modesti; mox verò rursus erunt emancipati, leves, insolentes ac temerarii.

2. Etsi gustus illos interiores ac sensibiles desiderare nobis quandoque liceat, ut ita fortiter ad serviendum Deo excitemur, nunquam tamen illos petere debemus, nisi sub conditione & cum intentione illis purè utendi eo fine, quem Deus præscripsit: Orationem quoque aggredi non debemus eo fine, ut illos persentiscamus, neque extraordinariâ ad illos procurandos diligentiâ, neque arte ullâ aut industriâ ad illos fovendos, augendos ac prolongandos uti: verùm simpliciter nos debemus ad orationem præparare, Deoque hujusmodi gustuum concessionem aut denegationem relinquere: Etenim orationes illæ, in quibus hujusmodi percipimus consolationes, non sunt semper eo meliores.

3. Ubi Deo placuerit illas nobis indulgere, magnâ nobis opus est discretione, ut unâ ex parte

parte violentiam, atque impetuositatem, ex altera verò otiositatem devitemus atque mutilitatem. Per medium igitur horum duorum extremorum eundum nobis erit, actione nempe utendum moderatâ, imitando nautas ubi vento gaudent secundo: Etenim unâ ex parte nôrunt optimè uti hac prosperitate ad prosequendum suum cursum: vela tamen plura non expandunt, quàm ferat navis capacitas, in iis potissimum locis, ubi metuere habent scopulos, ne fortè naufragium patiantur. Eodem modo in sensibilis devotionis prospero statu, vela quidem cordis nostri expandenda, ventusque hicce secundus sequendus est, non tamen tantâ cum vehementiâ aut dilatatione, ut idem ille ventus nos absorbeat ac submergat.

4. In hac etiam sensibilitatis istius abundantia cavendum nobis erit, ne vota aut promissa Deo faciamus indiscreta; aut proposita rerum extraordinariarum aut impossibilium, ut v. g. quærendi occasiones Martyrii, humi deinceps semper cubandi, igni nunquam approximandi, quantumcumque sit frigus, aliasque subeundi austeritates, quas antiqui in deserto Patres subibant. Affectus igitur nostri rationabiliter & cum judicio moderandi sunt, potissimumque complectenda correctio alicujus vitii aut defectus, cui sumus subjecti, ut ita cum hoc auxilio removeamus obstacula, quæ hactenus à progrediendo, Deoque id, quod à nobis exigebat, dando præpedierunt.

5. Si lacrymæ abundanter fluant, cohibendæ non sunt; Etenim sancti Patres hoc la- *De lacrymis.*

crymarum genus permagni semper fecerunt, cùm à Deo illæ provenire censendæ sint. Lavacrum illæ sunt nostrorum peccatorum ac pluvia salutaris, quæ terram cordis nostri irrigando in illa germinare facit sanctas virtutes. Hoc ergo lacrymarum genus laude dignum est, non verò laude sed vituperio dignæ sunt illæ, quas quis artificiosè procurat; Etenim pura hæc est hypocrisis, amorisque proprii, seu philautiæ grossioris affectus. Quæ verò ex teneritudine nascuntur complexionis ac naturæ, neque bonæ sunt, neque malæ; melius attamen est illas, quantum quidem fieri potest, cohibere. Quod si tamen lacrymæ provenientes ex devotione sensibili nimiâ effluerent cum vehementia, vel in tanta copia, ut caput inde vel stomachus læderetur, sancta quadam inventione moderandæ forent, mutando potius argumentum atque ad aliam diversam materiam transferendo considerationem.

6. Tractu gratiæ exhaústo ad meditationem ordinariamque methodum redeundum est: quod si quis & altera vice emotum se senserit, ut prius se geret, hacque secundâ emotione transactâ ad viam ordinariam iterùm redibit, sicque ad finem usque continuabit, cavendo præcipuè hac in via, ne quem aditum permittat occultæ præsumptioni aut fallaci sensuum libertati.

Nunquam sic locutus est homo [illegible] Joh. 7. v. 46.

CA-

CAPUT XXIII.

De statu ariditatis ac derelictionis.

SIcut nemo est, cui in hoc mundo tam prosperè cedant omnia, quin aliquâ quandoque oppugnetur adversitate: ita nemo est, qui in oratione continuò suavitatibus & consolationibus cœlestibus perfruatur, quin aliquando ariditates experiatur ac derelictiones.

Definitiones.

Ariditatem vocamus certum quendam statum, in quo animus adeò lassitudine, fastidio, ac sterilitate afficitur, ut nulli prorsus cogitationi bonæ intendere queat.

Derelictionem appellamus, quando Deus animam videtur deserere ac derelinquere sine lumine aut apertione, sine gustu aut affectu, sine devotione sensibili aut satisfactione: quasi destituta esset omni cogitatione aut attentione rerum divinarum; ut proinde totum, quod facere potest, consistat in eo, ut patiatur & coram divina Majestate sua consistat, quasi nec vitam haberet neque actionem. Ariditatis & derelictionis status quoad molestias perquàm simillimi sunt. Quocirca de utroque simul eâdem operâ agemus; nascuntur tamen ex causis diversis, quia ariditas procedit à nobis ipsis nostraque infirmitate: at derelictio expressiùs nobis immittitur à Deo pro nostra probatione, esto etiam non commiserimus defectus, qui pœnam hanc particularem promereantur.

Anima in hoc ſtatu conſtituta multùm conturbatur, ſpeciatim initio ſuæ converſionis, non rarò ſupra modum atque omnino inconſolabiliter affligitur, cùm cuncta inclinata ac deſperata exiſtimet, atque à Deo ſe credat odio haberi, cùm ab ipſo à conſpectu ſuo rejiciatur; ad quod ubi ſeſe reflectit, præteritasque recordatur delicias, quando nimirum montes ei ſtillabant dulcedinem, & colles lac & mel, aliud facere nequit, niſi gemere, atque etiam quandoque infelicitatem ſuam amarè deflere. Interea cœlum ei æneum, ipſaque regionem habitare ferream videtur. Exponemus igitur primò cauſas ac remedia ariditatis. deinde quomodo in illa nos habere debeamus. Ac tertiò monita aliqua magni momenti hunc ſtatum concernentia ſuggeremus.

Cauſæ ac remedia Ariditatis ſpiritualis.

1, ARiditas ergo accidit primò in *pœnam noſtrarum* priorum *evagationum* atq; *immortificationum*. Jure enim merito à nobis recedit Spiritus ſanctus, ubi ſenſibus noſtris nimiam indulſimus libertatem curioſa reſpiciendi, extra tempus colloquendi, proloquendi nugas ac facetias, ſimilesque committendi defectus. Remedium aliud non eſt, niſi ut omnes hasce immoderationes atque errationes fideli cordis noſtri obſervantiâ, atq; ad nosmetipſos attentione reſcindamus.

2. Naſcitur ex immoderata *ſolicitudine* ac *multiplicitate* circa res exteriores, quas facimus, tametſi illæ etiam ab obedientia nobis ſint demandemandatæ. Remedium eſt, ut ſolicitudinem hanc in Deum projiciamus, ſimplicitatem ſpiritus noſtri ſervemus, & ſimplicitatem hanc ſervare ſtudeamus.

3. Naſcitur ex *ſuperbia*, quæ ſe in ſpiritualibus exercitiis ſuperbè gerit, ſe ipſa delectat, ſe ipſa ſatiat, ſe ipſa pavonem facit, ſe ipſa ſuperbè ornat, ſe ipſa ſuperbè veſtit, ſe ipſa ſuperbè ſpectat, ſe ipſa ſuperbè ſpectandam præbet, ſe ipſa ſuperbè ſpectatam ſuperbè ſalutat, ſe ipſa ſuperbè ſalutatam ſuperbè reſalutat, ſe ipſa ſuperbè reſalutatam ſuperbè ſe ipſa

demandatæ. Cor etenim noſtrum faciliùs recipit impreſſionem illius, quod amat, ac de quo anxiè ſolicitum eſt.

Impreſſio autem, quam in illo cauſant res exteriores, multum obſtat receptioni emotionis divinæ. Remedium erit, ut ardorem ac naturalem temperes activitatem, connitendo, ut res facias absque adhæſione, atque ſimpliciter coram Deo, ſemper paratus ad illas, ubi placuerit ſuperioribus, dimittendas, caveasque ne cordi tuo ipſæ dominentur, cogitando frequenter, majoris momenti negotium, quod nobis in Religione curandum eſt, eſſe orationem, cui nullam ob rem, quæcumque illa ſit, præbere debemus impedimentum.

Ariditas tertiò quandoque procedit ex *revolutione humorum corporis*, temporis, ſive aëris mutatione, aliisque occaſionibus aut naturalibus indiſpoſitionibus. Hoc in caſu remedium efficacius non eſt, quàm ut humiliter & patienter coram Deo hanc moleſtiam feras ac ſubinde actus interiores, in modum orationum jaculatoriarum elicias, quantumvis id fiat absque ullo guſtu aut affectu.

Quisquis ariditatem experitur, neq; tamen ullam ex iſtis tribus cauſis deprehendit, credere debet, eſſe Deum, qui illam immittit ob finem aliquem particularem: ſive videlicet ut noſtrã probet fidelitatem; ſive ut nos emundet à prenſationibus ac ſatisfactionib⁹ proprijs, quib⁹ non rarò in exercitiis noſtris ſpiritualibus afficimur; ſive ut nos doceat ei ſervire nudâ fide & puro corde non quæ ſua ſunt quærente; ſive deniq; ut nobis cõmonſtret per hanc ſubtractionem,

Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Ps. 21. 1.

devotionem illam, quam aliquando sentimus, non procedere à nobismetipsis, vel à nostra industria, sed ab ipso solo. His autem in casibus non amplius vocatur ariditas, sed derelictio Dei, sicut dereliquit, Salvatorem nostrum in cruce.

Negativa.

Derelictionem illam duobus modis experimur; quandoque enim aliud nihil est, nisi quædam *impotentia* agendi, quæ facit, ut quis propositam materiam exordiri nequeat, quacumque ex parte illam respiciat, ac penè nullus supersit usus potentiarum, quasi anima in corpore extincta foret.

Positiva.

Quandoque verò ulterius progressa miserrimum animum in permagnam conjicit tristitiam, fastidium ac penè desperationem. Molestiam hanc auget metus, quem quis habet, ne fortè à gratia Dei exciderit: Ideoque facile quis sibi persuadet, illam derelictionem esse æternæ reprobationis præjudicium, atque hinc ordinariè initium sumunt illi rigores, exteriores expoliationes, annihilationes, activitatis omnis suppressiones, consummationes, martyria, languores, aliæque excellentes viæ, quibus Deus animas fideliores exercet, atque, ipsarum *esse* destructo, suum in illis constituit ac stabilit. Verùm hoc non est pro Incipientibus.

Quomodo in ariditate nos gerere debeamus.

EX iis, quæ diximus, videri potest, aridi-tatem aliquando nostro vitio, aliquando secùs accidere. Quare ubi illam advertimus, nos-

nosmetipsos examinare debemus, videreque, nunquid fortasse nos Deo causam dederimus, cur nos repulerit. Quod si nos peccasse deprehendimus, humiliter imploranda est misericordia, petenda venia, concipiendum propositum nos emendandi, omnesque relabendi occasiones evitandi, ac denique pro culpa hac aliqua nobisipsis imponenda castigatio. Post hæc connitendum est orationem resumere, atque ad propositam materiam, implorato Spiritus sancti auxilio, redire.

Quod si porta semper clausa remaneat, pulsandum, ac Deus suspiriis, gemitibus atque aspirationibus continuis, etsi insipidis, etiam importunè, rogandus erit. Quod si hoc non sufficiat, fieri poterit oratio mixta, recitari aliquot versus Psalmorum, pronunciari, atque animo sæpius repeti sententia aliqua Evangelii, connitendo bonum aliquem affectum subnectere. Quin etiam poteris (atque hoc nonnullis utilius est) legere librum meditationum, aut alium, qui animo recolligendo inserviat. Verùm enim verò si hæc omnia non succedant, magnâ cum humilitate ac resignatione pati debes statum istum; offerendo illum Deo, tanquam æquam defectuum tuorum castigationem; ac dicendo: „ Domine quan„ tum hac in re deliqui, doleo, ac veniam pe„ to: at quantum ad justitiam tuam, quæ me „ castigat, aut providentiam tuam, quæ me „ exercet, me resigno, & cruci huic, sicut, & „ quantum tibi placuerit, submitto.

Quod si ex parte nostra defectum nullum recognoscimus, nihilominus firmiter persua-

sum

sum habebimus, magnâ cum justitiâ atque æquitate nos à Deo ob præterita peccata nostra puniri, omninòque æquitati consentaneum esse, ut eum erga nos rigorem exerceat, postquam ei toties ingrati, perduelles atque inobedientes extitimus. Existimabimus præterea, id quod certissimum est, orationem bonam non esse cum hoc statu incompatibilem. Neque enim illa consistit in eo, quod quis habeat plures bonas cogitationes, aut multos producat affectus; verùm bona oratio ea est, quæ nos addicit & subjicit statui illi, in quo nos Deus vult, & in quo debemus esse, ut fiat quod Deus vult, non quod nos volumus. Vult autem Deus, ut pro tunc simus aridi, atque ut nostrâ ipsum honoremus patientiâ; oratio ergo nostra pro tunc esse debet ista: *Domine quod tu vis ut sim, hoc etiam ego volo.* Et quisquis hac in re fidelis extiterit, quandoque facilius assequetur finem, quem spectat oratio, illis, qui magnâ perfruuntur in orando facilitate: Potentia quippe Dei non reducitur ad habendã unam dumtaxat viam, atq; unicũ animas nostras ad intimam amoris cum divina sua Majestate unionem perducendi modum. Ex quo fit, ut si fideles fuerimus in ipso sequendo, visuri simus intra non multum temporis maximos progressus, quia ubi uno se modo nobis subtraxerit, altero abundantissimè se communicabit, atque ubi nos videtur derelinquere, nos maximè sustinet, atque in nobis agit, modo quidem imperceptibili, reali tamen ac vero. Quod si quæras quid? respondebimus, ab ipso nobis dari illas gratias omnes, quas in

statu fervoris poscendo obtinu ssemus, imò quandoque longè ampliores : amplior enim labor ampliorem quoque videtur promereri mercedem. Multò autem laboriosius est ac molestius unam horam genibus flexis sine devotione, quam duas cum suavitate & consolatione perdurare.

Hæc sufficere debuissent; at quoniam complures sunt, qui hocce in statu animo dejiciuntur, imò & orationem prorsus relinquunt, existimantes illi impensum tempus perire, tria pro illis hic subjiciemus documenta,

Primum est, ut firmiter credant, hunc molestiæ ac tolerantiæ statum esse à Deo, non minus ac statum suavitatis, sive ipsi defectibus suis illum provocaverint, sive ipse pro sola sua providentia sic ordinârit. *Tuus est dies & tua est nox*, inquiebat Psaltes; quasi diceret: Deus æquè fecit noctem tenebrarum harum, ac diem consolationum. *Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus*, inquiebat alibi; id est negotia perfectionis nostræ procurat per tenebras ac per lucem. Hac in firma fide fervens atque animosus Religiosus à divina Majestate sua petat gratiam statum hunc constanter tolerandi, eo modo, quo ipse desiderat: hoc est 1. tanquam pœnam suorum peccatorum. 2. tanquam participationem & communionem agoniarum ac derelictionum Salvatoris nostri. Ac 3. tanquam sacrificium, in quo suum *esse* proprium videtur annihilatum, cogitationes omnes ita absorptæ, ut ne unicam habere possit bonam, cor denique æstu atque igne istius ariditatis omninò adustum. Psf. 78. 16. Psf. 118. 12.

Alte-

Alterum documentum erit, ut humiliter in hunc statum consentiant, voluntariè ipsum ingrediantur, atque omnia, quæ Deo placuerit de ipsis atque in ipsis facere, approbent, producendo, si possint, subinde aliquos actus patientiæ ac resignationis. Quod si nequeant, saltem fortiter & constanter illic se contineant, connitendo, ut Deum suâ impotentiâ atque inutilitate glorificent, atque intra semetipsos dicendo: „ Credo me videri à Deo, illum „ ego honorabo ac benedicam in omni tem- „ pore; quod si glorificare ipsum nequeam „ agendo, patiendo glorificabo. Et quidquid „ demum eveniat, à sancta illius præsentia me „ nunquam avocari permittam. „

Tertium documentum erit, ut in hoc statu magnâ cum constantiâ perseverent, quamdiu placuerit Deo in ipso illos relinquere, certi servire ipsi purè ac sine recompensatione, divinæ suæ Majestati nudâ ac simplici fide adhærendo, juxta id quod ait Scriptura: *Justus ex fide vivit*, quasi sola fides, qua credit Deum esse, atque ab ipso se videri, sufficeret ei, ut quovis in casu immobilis perseveret. Quod si & ipsa cogitatio hæc suppressa fuerit, nil refert, nihilominus propter amorem Dei illic hærendum erit, tametsi illic esses instar trunci, neque aliud ageres, quam quod crucifixum intuereris.

Gal. 3. 11.

S. Macharius aliquando à quibusdam Fratribus rogatus modum, quo se gerere deberent in oratione, illis respondit, pluribus loqui non esse necesse, sed solummodo dicendum: *Domine sicut vis & scis miserere mei*, ac deinde super-

superaddidit: quod si non fruimur pace, satis esse dicere: *Domine adjuva me.*

Maximè verò animum despondere non debemus, & quamvis sentire nos oporteat molestiam, quia nisi sentiretur, molestia minimè foret, attamen inquietos inde nos reddi non convenit, multo minus molestiâ illâ absorberi atque immergi. Salvator etenim noster istum molestiæ statum summâ suâ in cruce derelictione, non secus ac statum consolationis suâ in Thaboris monte transfiguratione sanctificavit. Æqualiter igitur amare atque amplecti debemus utrumque, persuasumque nobis habere, res nostras posperè succedere, si utroque in casu æquè simus fideles. Quò ut pertingamus, sequentia ut monita observemus necesse erit.

Monita pro statu ariditatis.

PRimum erit, ut aquam de petra, oleumque de saxo durissimo violenter educere minimè velimus. Hoc est, ut non velimus violenter haurire bonas cogitationes, aut ex fundo hoc sterili, sicco atque arido elicere bonos affectus; id enim qui conniteretur, frustra sibi caput obtunderet, quia Deus hujusmodi cogitationes & affectus concedere renuit, quin potius è contratio vult, ut pro tunc anima maneat illis omninò orbata. Optimum igitur factu erit, ut contenti simus eo, quod vult Deus, atque in illius præsentia quietè consistamus, miserum statum nostrum illi humiliter ac simpliciter commonstrando ac dicendo: *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Ps. 142. 6. *Monitum primum.*

Neque

Neque sanè hic opus est multis cogitationibus, aut sermonibus, sed ut illas conmitamur habere dispositiones, quas à nobis Deus requirit. Sermones enim ac verba non serviunt, nisi exprimendis cogitationibus; cogitationes verò non serviunt, nisi exprimendo fundo & dispositioni animæ. At verò utraque cognoscit Deus, utpote qui intima cordis penetrat, ac proinde ubi anima bene dispositа fuerit, necesse non est, hoc ei sive verbo sive cogitatione significare, ut sciat: sufficit ergo pro tunc, ut ei se præsentem exhibeat, quia status ac dispositio ipsius loquuntur & orant, quin aliâ quavis re opus sit.

Alterum monitum.

Alterum monitum erit, ut ex altera parte caveamus, ne indifferenter ac negligenter omnis generis cogitationibus indulgeamus, hoc prætextu, quod cum Deo occupare nos nequeamus: vult enim Deus, ut anima hoc in statu æquè atque in aliis ei placere contendat. Animadvertere igitur anima debet, & considerare, totam orationis horam consecratam esse Deo, conmitique ideircò, ut meliori, quo potest, modo, juxta supra prescriptas normulas, illam expendat. Et verò cui voluntas bona est, facile inveniet, qua ratione horam illam transigere queat fructuosè, etsi aliud non faceret, quam quod recitaret vocaliter aliquos Psalmos, atque in fine renovaret bonum propositum, quîcum cœpit orationem, dicendo: „ Domine sicut vis, ita fiat, multum saltem „ est quod divina Majestas tua me in sua præ„ sentia perferat, neque totaliter me privet „ felicitate, quæ consistit in eo, quod quis

eandem

„ eandem Majestatem glorificet, quia æquè „ patiendo id facere queo atque agendo.„ Id quod consideratione atque animadversione dignissimum est, tam pro simplicium consolatione, quàm pro confusione negligentium, ille enim optimum sanè orationis Magistrum ac Directorem habet, qui bonam habet voluntatem in illa glorificandi Deum, atque illi satisfaciendi.

Denique summopere cavendum est, ne a ditum concedamus tristitiæ, impatientiæ, ac cujusquam rei bene faciendæ desperationi, unde sequereretur totalis exercitiorum spiritualium derelictio. E contrario gaudendum nobis est, quod occasionem inveniamus adeo faventem contestandi Deo, quantum ipsum diligamus. Evidens enim signum amoris fortis suoque minimè studentis commodo est, ei servire absque consolatione; verùm & merces abundantior erit. Etenim servus qui cœlo nubilo, pluvioque in vinea Domini sui laborare potrò pergit, multò ampliùs meretur illo, qui cœlo dumtaxat sereno laborat; ita prorsus agitur circa laborem orationis, in quo proinde solari nos debemus eâ fide certissimâ, fore videlicet, ut molestiam nostram fructus ingens excipiat. Quod si verò molestia ista in semetipsa nobis displiceat, saltem placere nobis debet ex eo, quod à Deo procedat.

Monitum tertium.

CAPUT XXIV.

Quorundam circa orationem dubiorum resolutio.

COmplures Fratrum nostrorum animos initio, ubi in orationem incumbere incipiunt, occupare possunt difficultates, quas hoc loco resolvemus, uti suprà polliciti sumus, ut, quantum quidem in nobis est, tractatui huic nihil desit. Et primò quidem ponemus

1. *Dubia circa præparationem.*

1. *QUid faciendum, ubi quis fastidium seu repugnantiam erga orationem persentiscit?* Magnâ opus est fidelitate in semetipso superando, ne unquam ab oratione se subducat, aut suo in illa muneri desit, quia repugnantia illa manifesta est tentatio Dæmonis. Ad hæc connitendum est, ut affectum erga sanctum hocce exercitium recuperet, tempus aliquod impendendo recollectioni extraordinariæ, petendo licentiam die aliquo hoc fine incolendi solitudinem, servandique silentium, aut etiam hoc fine offerendo Deo actum aliquem pœnitentiæ aut mortificationis corporalis. Et verò nunquid infirmus ciborum laborans fastidio omnibus modis allaborat, ut gustum recuperet? quia cibi, quos cum nausea capit, cùm ipsi desipiant, adeò ei multùm non proficiunt, atque illi, quos capit cum gustu. Quod si tamen gustum recuperare non possit, nihilominus cibum sumere contendit, quia

hic

hic vitæ ipsius sustentandæ usque adeo necessarius est, ut illo deficiente & ipsa deficiat necesse sit. Idem omninò dicendum est de gustu interiore erga orationem, quæ nostrarum nutrimentum est animarum.

2. *Nunquid ex defectu præparationis oritur, quod ex omnibus illis, qui vacant orationi, tam pauci in illa proficiant!* Utique id oritur ex eo, quod non observent regulas præparationis, quam vocamus *remotam*; quidam enim sui corporis commoda nimium consectantur, ac vitam ducere volunt suavem, suoque genio commodam. Alii sui corporis sensibus cohibendis & cogitationibus moderandis minus æquo studeni, animo semper distracti, millenisque phantasiis impertinentibus & chimæricis implicati, ut proinde nimiâ corporis animique libertate gaudentes devotionem amittant, compunctionis spiritum extinguant, minusque serii, quin potiùs in omni conversatione sua extroversi evadant; consequenter verò Spiritus sanctus ab illis se subducit, teste Sapiente, ubi ait: *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu.* Sap. 1. 5. Quantum verò ad illos, qui commodis corporis nimium sunt addicti, Deus ait in libro Geneseos: *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est.* Gen. 6. 3.

3. *Quænam est optima dispositio ad orationem?* Est bona voluntas. Tametsi enim necessarium sit, ut quis initio, quantum fieri potest, se astringat ad præcepta, quæ dedimus: multò tamen melius, magisque necessarium est, magno teneri orationis bene faciendæ de-

siderio, quàm scire illius faciendæ methodum. Hoc etenim desiderium solum sufficit ad animam instruendam, quâ ratione facienda sit, at methodus, quam dedimus inutilis erit, nisi desiderium illud præcesserit.

Hoc solum desiderium quàm efficacissimè instruxerat bonum illum observantiæ nostræ Fratrem Laicum, qui suo labore bene defessus veniens ad orationem pluribus annis non fecit nisi brevem istam, at excellentissimam: „ Mi Deus, inquiebat, sum miser Idiota, quid- „ quid tu scis, me dicere tibi debere, hoc di- „ co: Da mihi gratiam potius moriendi, quam „ faciendi meam propriam voluntatem: „ Sanctus Abbas Paphnutius, ubi beatam pœnitentem Thaidem ad meliorem frugem converterat, illam conduxit in desertum, ac cellulæ inclusit. Cùm verò ab ea discedere pararet, ipsa eum rogavit, quâ ratione orare deberet: cui sanctus Pater respondit, quandoquidem enormiter Deum ipsa offendisset, indignam esse, quæ nomen illius sanctum pronunciaret ideoque admonuit, ut solummodò diceret: *qui plasmasti me, miserere mei.* Tres deinde ipsa annos supervixit, atque omnis oratio illius non fuit alia, quàm ista duo vel tria verba. Nihilo tamen minus in mulierem adeò sanctam evasit, ut mortem ipsius consecutæ sint plures gloriæ ipsius revelationes sanctis factæ Anachoretis. Quicumque igitur bonæ fuerint voluntatis, se consolari debent, tametsi præcepta à nobis tradita, neque memoriâ tenere, neque observare possint, dummodo faciant, quidquid poterunt,

4. Con-

4. *Conveniuntne multam legere materiam ad hoc, ut quis ad orationem se præparet?* Error hic est nonnullorum, qui, ne materia ipsis deficiat, metuentes, magnâ cum anxietate multa legunt, multos in animo suo coacervantes pulchros conceptus, ut illos deinde in oratione digerant. Multum illi temporis inutiliter terunt, nihilque faciunt boni. Satis igitur erit duo vel tria puncta sive veritates seligere, quæ inter legendum animo amplius placuerint, quibusque se quis existimet in meditatione amplius commotum iri.

5. *Nunquid expedit sæpiùs mutare librum meditationum?* Minimè profectò, omninò enim necesse est illi, quem quis semel selegerit, legendo diutiùs insistere, ut materiarum, quas meditatur, cognitionem adipiscatur consequentem. Quod si tamen in argumentis cujusdam libri neque gustum, neque facilitatem persentiscas, poteris commonere Patrem Magistrum, ut ille, si expedire censuerit, librum tibi commutet.

2. *Dubia circa meditationem.*

1. *QUa in re sub meditatione vitanda est curiositas?* Duplici in re. Primò curiosi esse non debemus in examinando, an Mysterium aut punctum, quod meditamur, verum sit, sed ipsum simpliciter nobis credendum est: quia fides totius meditationis fundamentum est, veluti meditatio fidei est excitatio.

2. Curiosi esse non debemus in consectandis exquisitis verbis, neq; in adveniendis pulchris conceptibus, qui ordinariè non serviunt nisi animo recreando, unde anima ex illis alium fructum non reportat, quam propriam satisfactionem. Primò igitur eò conniten-dum est, ut cor nostrum lucremur, atque ad efficax propositum corrigendi aliquam imperfectionem, aut acquirendi virtutem impellamus. Quod si semel cor tuum Deo lucratum fueris, omnia lucratum te esse existima. Non enim ita agitur de cognitione, ac de amore; & si amorem Dei habueris, hic tibi scaturigo indeficiens erit eximiorum luminum, sanctarumque cogitationum, veluti suis in exercitiis notavit noster P. Dominicus, compluresque ex Fratribus nostris sunt experti: notitiæ enim non sunt adeo efficaces ad nos amoris divini incendio inflammandos, veluti amor Dei efficax est ad nobis suggerendas eximias exquisitissimasque notitias. Unicè igitur laborandum nobis erit, ut cor nostrum Deo lucremur, cui rei cogitationes ac verba simplicissima multò amplius subservient.

2. *Nunquid expedit sæpiùs meditari circa eandem materiam?* Expedit sanè, potissimum si quis advertat hacce materiâ se multum commoveri, semperque majorem gustum ac sensum in illa reperiat. Quod si tamen reperiretur, qui ordinariè non commoveretur nisi duabus aut tribus veritatibus, exempli gratia, vanitate rerum terrenarum cum æternis, aut excellentia futuræ gloriæ collatarum, ille idcircò quævis alia meditationis argumenta relin-

quere

quere non deberet, ut istis semper insistat: quia finis orationis in eo dumtaxat non consistit, ut semper in recta via contineamur, id quod obtinere possemus ex unico conceptu bene expenso; verùm etiam ut in amore & notitia magis quotidie magisque proficiamus; id quod ordinariè non consequimur, nisi ex plurium argumentorum meditatione, ut intellectus magis magisque illustretur.

3. *Quid faciendum est, ubi quis nullo meditationis puncto commovetur?* Postquam rationabiliter suaviterque conatus fuerit inde lumen aliquod elicere, puncta illa relinquere, atque ad alia transire debebit, ita ut si primum fuerit insipidum, transeas ad secundum, quod si nec proficias in secundo, transeas ad tertium: quod si verò nullo modo commoveris, patienter omni cum humilitate atque perseverantia hunc defectum tolerare debes, eliciendo nihilominus bonas aliquas resolutiones, etsi sine gustu aut sensu, quæ nihilo secius efficaciores esse poterunt illis, quas quis eliceret magna cum notitia ac fervore. Quod si existimas alio te amplius commotum iri argumento sive materia, illam arripere poteris. Quod si è contrario etiam commutatâ materiâ advertas æquè te frigidum remanere; fortiter ac patienter primæ, quam selegeras, insistendum tibi erit, etiamsi absque omni tibi fructu id fieri videatur.

4. *Quousq; insistendum est repræsentationibus imaginariis & corporeis in meditatione mysteriorum?* Quousque utiles sunt impediendæ imaginationi, ne huc illucque vagetur

& oberret ; & non amplius. Ubi primùm enim fieri poterit, ad considerationes intellectuales transeundum est. Exempli causâ, si quis meditetur de Inferno, minimè illi hærendum est in sola repræsentatione ignium, Diabolorum, aliorumque, quæ horrendum ipsum efficiunt ; verùm continuò considerare debet istarum pœnarum æternitatem, peccati, quod illarum causa est, enormitatem, severam Dei justitiam &c. Similiter si mediteris de Nativitate Salvatoris nostri, post efformatam stabuli, præsepis ac fœni Ideam confestim transire debes ad considerationem meriti illius, qui nascitur, amoris, quo nos prosequitur, motivorum, quæ habuit eâ ratione nascendi, virtutum, quas exercuit &c.

5. *Quando relinquendus est discursus?* Statim ac te sanctâ quadam affectione commoveri adverteris, quam fovere debes, absque tamen eo quod intellectum avoces à cognita veritate, sed ipsum dumtaxat contineas, ne ulterius progrediatur, donec voluntas affectus suos elicuerit.

Non rarò evenire solet, ut primo intuitu intellectus statim totam materiam tam perfectè comprehendat, adeoque ipsâ oblectetur, ut suaviter cogatur oculum cogitationis apertum simpliciter in ipsa defigere absque alio discursu : Exempli gratia, si quis consideret sacratissimam Salvatoris nostri humanitatem inter manus militum ipsum coronantium spinis, in faciem ipsius conspuantium, colaphos sacris illius genis infligentium, profundo fortassis sensu comprehendere incipit ineffa-

effabilem patientiam ac manſuetudinem Jeſu Chriſti, absque eo quod poſſibile ei ſit ulterius progredi. Optimum hoc erit, ſufficietq; hunc ſimplicem intuitum continuare ſine alio diſcurſu, affectumque, quo commotum ſe adverterit, fovere. Quod ſi quandoque à Deo tractum te advertas ad magnam interiorem quietem, diſcurſu relicto, hunc gratiæ attractum ſuaviter ſequi debebis, nudè ac ſimpliciter coram Deo perſiſtendo, ut cum eo in tui intimo converſeris atque oblecteris, quin neceſſe ſit producere actus expreſſos de induſtria & cum actuali reflexione ad ea quæ facis: Eſt enim impoſſibile animam in eo ſtatu eſſe otioſam, omninòque ipſa ſe ſinere debet agi ſecundum hanc commotionem & attractum.

6. *Ubi cogitationes bonæ, quæ aliquando in meditatione ſuboriuntur, diſcrepant à præparata materia, nunquid eas oportet rejicere?* Nequaquam, quin potius illis inſiſtendum eſt, quantum credi poteſt illas provenire à Deo. Quod ſi tamen id ſæpius eveniret, tandemque adverteres, exiguum inde percipere te emolumentum, melius foret conceptam proſequi materiam. Præ omnibus tamen ea ſuper re conſulere debebis Patrem Magiſtrum. Similiter ubi fortis aliquis motus ſuper aliquo ſancto exercitio aut virtute tibi evenerit, quamquam propoſitæ meditationis materiæ non concordet fovendus tamen erit, imò illi diutiùs etiam inſiſtendum.

7. *Qui ex ſeipſis atq; absq; ulla reflexione ſeu alligatione ad ullam artem ſive indu-*

striam seipsos facilè occupant, tenenturne illi se astringere ad sequenda præcepta superiùs à nobis proposita? Necessarium id minimè erit, sique viderint ipsi, affectum suum facile excitari ad primum subjectæ materiæ intuitum, cum certa quadam elevatione cogitationis ipsorum supra repræsentationes sensibiles, suavitet id permittent, cumque Deo se occupabunt, juxta quod se interius sentient commoveri, voluntatem multò amplius, quàm intellectum intendentes. Quod si etiam aliquando se advertant elevari ad claram notitiam veritatis alicujus extensioris, in qua animus eorum ipsis videatur excurrere, ac se facilitate quadam incomparabili dilatare, absque eo quod ipsum quidquam limitet aut detineat, instar aviculæ in aëre puro ac sereno vol tantis, voluntate etiam impletâ ac redundante suavitatibus ac sanctis virtutum desideriis & affectionibus, gratiam hanc singularem recipient à Deo, uti superius diximus, cumque Patre Magistro rem communicabunt, eamque gratiam habebunt pro signo, quod Deus velit, ut ipsi magnâ cum fidelitate inserviant, sanctoque orationis exercitio peramplius se addicant.

Cap. 11. de statu devotionis sensibilis.

8. *Expedit ne aliquo tempore per intervalla se continere in interno quodam silentio?* Etiam, præcipuè in fine cujuslibet puncti, ut locum demus Spiritui sancto loquendi ad cor nostrum. Quoniam evenire non rarò solet, ut vocem illius non audiamus, eo quod nosipsi nimium loquamur, cùm tamen unicum divini oris ipsius verbulum multò amplius nos instrueret, quàm facere queat ingens numerus

nostra-

nostrarum ordinariarum meditationum. Verùm ut hoc fiat, valde tranquillos, atque interius recollectos nos esse oportet.

9. *Nunquid profectum aliquem in via orationis sperare possunt ii, qui cùm prorsus meditari, aut animo diutiùs in ulla materia hærere non possint, magno tamen precandi Deum, illiq; inserviendi tenentur desiderio?* Indubiè, dummodò perseverent in bona voluntate sua, bonorumque operum ac mortificationis exercitio. Multum illi studere debent exercitio aspirationum, ordinariè etiam comportare secum debent meditationum, aut alium librum spiritualem, ut meditationi suæ lectionem intermisceant, hacque ratione animum contineant. Ubi verò inter legendum repererint locum aliquem, quo commoveantur, clauso libro ipsum aliquanto tempore considerare conabuntur, ut fructum aliquem pro vitæ suæ emendatione inde elicianr. Nonnulli tantum ex hac methodo perceperunt emolumenti, quàntum alii ex longis suis ac profundis meditationibus. Perutile quoque ipsis erit, suavi, simplici ac nativâ uti repræsentatione mysteriorum vitæ ac passionis Domini nostri, absque ulteriori eorundem penetratione, vivâ cum fide præsentiæ illius coram ipso consistendo, & cor suum affectuosè concedendo motibus affectionis, quam persentiscent, absque alio artificio aut discursu consequenter ad hunc simplicem intuitum producendo.

Modò videlicet dolore & compassione de pœnis illius, de quibus ei gratias agent, tenerescent.

rescent. Aliàs infirmitates atque imperfectiones illi suas exponent. Aliàs ei sese offerent ad ipsi toto corde serviendum, generosèque in obedientiæ, charitatis, atque humilitatis operibus se exercitandum. Cùm istud orationis genus haud multa indigeat attentione ac labore, nemo est, qui ab ea se justè queat excusare. Certissimum verò est, ex ea maximum reportari à quovis posse emolumentum; optima enim oratio illa non est, quæ amplius scatet bonis cogitationibus & conceptibus, verùm ea, quæ ex optima procedit voluntate, quamque major consequitur in se corrigendo, atque in bonis operibus exercitando fidelitas.

Sancta Virgo ac Mater Theresia hocce genus orationis plurimum commendat, fateturque de seipsa magnos se ex illa reportasse profectus, Religiosis filiabus suis ita loquens: „ Eæ, quæ intellectu parum discurrere, cogi„ tationes suas, ne diffluant, cohibere non pos„ sunt, semper coram Domino ac vero Magi„ stro nostro consistant. Non equidem exigo, „ ut cogitetis de illo, plures efformando con„ ceptus, neque ut magnas ac delicatas in in„ tellectu effingatis considerationes; sed hoc „ solum in præsenti à vobis requiro, ut oculos „ in ipsum conjiciatis: Ecquis verò suæ mentis „ oculos detorquere velit à Salvatore nostro? „ Res aliquando intuemini deformes, & rem „ totius mundi formosissimam intueri detre„ ctaretis? Ipsum, ubi volueritis, intuebimini, „ nihil etenim sic ille desiderat, quam ipsum ut „ aspiciatis. Minimum contuitum nostrum tan„ ti facit, ut sua ex parte, nihil non faciat, quo

vos

„ vos inciter, ut oculos in ipsum vestros conji-
„ ciatis. Quod si tristamini ac desolamini, in via
„ horti consistite, ubi anima ipsius tantopere
„ angebatur, ut ipse, qui tamen erat ipsa pa-
„ tientia, de sua tristitia conquereretur. Aut
„ certè videte illum affixum columnæ, dolori-
„ bus onustum, pelle ob vestri amorem discis-
„ sum, ab his persecutum, consputum ab aliis,
„ ab amicis negatum, à Discipulis derelictum,
„ absque ullo subsidio, frigore constrictum
„ adeoq; malè tractatum, ut facile vobis sit ex
„ illius intuitu solatium capere. Aut deniq; in-
„ tuemini ipsum sub cruce curvatum, tantâq;
„ cum violentiâ protrusum, ut respirare vix
„ queat, ipse vos oculis suis pulcherrimis mise-
„ ricordiæ ac lacrymis plenis intuebitur, suo-
„ rum ille dolorum oblitus, vestros solabitur
„ ac levabit, tantum ut cum ipso vos console-
„ mini, facieq; conversâ ipsum nunquam non
„ intueamini. „ Hæc inquit sancta Virgo.

10. *Nunquid de profectu desperandum, adeoq; oratio relinquenda est iis, qui sub ipsa in tenebris ambulant?* Nequaquam, quia via tenebrosa, arida, deserta ac petrosa æquè à Deo est, ac illa, quæ facilis est ac luminosa.

Quod si quis igitur cœci instar conducitur, quin sciat ubi vertetur, neque ubi ambulet aut quo vadat, non persentiscens nisi fastidium atque ariditatem, quamcumque ipse adhibeat præparationem & industriam; ille præcipuè opus habet magnâ patientiâ atque in manus Dei resignatione, ut constanter illam consectetur viam, quantumvis difficilem ac molestam. Hac in re necesse est, ut

amore

amore nudo, forti, ſuisque commodis minimè adhæreſcente obediat Deo, in illius directione confidat, ipſum in hoc etiam quam maximè amet. Porrò hæc via eò eſt excellentior, ſolidior ac perfectior, quò occultior, magisque ab omni voluptate ſive ſenſibili ſive ſpirituali aliena. Ex quo fit, ipſam non eſſe niſi pro animabus generoſis, magnæque perfectionis amantioribus, quæ hanc ob rem ſpecialiſſimè opus habent frequenti communicatione cum Patre Magiſtro aut Directore ſuo ſpirituali.

3. *Dubia circa Affectus.*

1. *Quid faciendum, ubi voluntas ex meditatione nullo modo commovetur?* Nequaquam impatiente id animo ferendum, ſed humiliter & cum reſignatione tolerandum, hoc enim ipſum eſt, in quo potiſſima pars conſiſtit profectus, quem vult Deus ut reportemus ex oratione; Et verò hic profectus exiguus minimè eſt, humilis etenim illa reſignatio quam maximè placet divinæ Majeſtati. In hoc ergo ſancta illius amplexanda voluntas, ipſeque à nobis laudandus eſt ſilentio, quod nobis commendat hoc ipſo, quo nihil, quod ei dicamus, inſpirat.

Quod ſi neque iſtos reſignationis actus elicere queamus, ſaltem illorum deſideria concipere debemus. Quod ſi neque illa concipere poſſe nobis videamur, rogandus nobis eſt Deus, ut ipſe ſeipſum laudet in nobis eo modo, quo ipſe deſiderat, eo fine nos ipſi totaliter reſignando.

Atque, ut paucis expediam, ſi quis in ſtatu eſſet

esset insensibilitatis, ut facere omninò posset nihil, patienter tolerandum id foret, atque hoc eò erit utilius, quò minus ex parte nostra erit oblectationis. Utilissimum sanè hac in re erit recurrere ad glorioſissimam Virginem, aut aliquem ex nostris sanctis Patronis, ut illius interventu obtineamus sancti Spiritus gratiam, quæ forte nobis in pœnam defectuum nostrorum denegatur.

2. *Nunquid connitendum erit, ut, etiam reluctante hoc statu affectus producamus?* Minimè, quia voluntas est potentia libera, quæ nec potest, neque debet cum violentia impelli. Sufficit ergò illam omnibus considerationibus, quas adinvenire poterimus, rationabiliter excitare. Quod si hoc non succedat, simpliciter patiendum est, ubi agere non poterimus, aliâs enim periculum adiremus ingentem causandi capitis dolorem. Huc namque referri potest Sapientis illud effatum: *Qui fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum, & qui vehementer emungit, elicit sanguinem.* *Prov. 30. 33.*

3. *Nunquid anima eo casu saltem posset se juvare formulâ aliquâ actuum resignationis & humiliationis coram Deo?* Etiam poterit hac vel simili ratione: „ In mea hac impotentia, Domine, quàm humillimè in sanctam „ tuam me resigno voluntatem. Gaudeo, „ adeò te magnum esse ac supra me elevatum, „ ut ex meipso tui nihil comprehendere queam. Confiteor etiam, esse me indignum „ prorsùs quem respicias, aut quo de „ vel cogites. Tametsi verò à divino con- *Formula actuum resignationis & humiliationis.*

spectu

„ ſpectu tuo me totaliter non repudies, atta-
„ men haud ignoro, me nullatenus mereri,
„ ut te collaudem, aut divinæ tuæ loquar Ma-
„ jeſtati. E contrario illam ego inhonoro,
„ ubi laudare incipio, quia quidquid de ipſa
„ dico, quidquid cogito, infinitè minus eſt eo,
„ quod ipſa reverà eſt. Complaceat igitur tibi
„ Domine, ut meo nunc te collaudem ſilen-
„ tio, Velle deſidero, quidquid de me tu vo-
„ lueris, dicere tibi volo, quidquid tu ipſe ti-
„ bi dicis, omnesque tibi laudes edicere cupio,
„ quas in gloria tua recipis à Beatis ac Sanctis
„ tuis.

4. *Unde provenit, ordinariè aliquos affectibus citiùs aliis commoveri?* Primò id procedit ex indolis *teneritudine*, mollitieque naturæ facilioris ad recipiendas quorumlibet objectorum impreſſiones. Qui ejus ſunt genii, meditationem interrumpere minimè debent, ubi primum mediocriter commoveri ſe advertunt, , quin potius ad illam proſequendam conſtringere ſeſe debent. Res enim infructuoſa foret, totum orationis tempus impendere lacrymis, ſuavioribusque affectionibus, quæ ordinariè in hominibus iſtis non ſunt niſi effectus naturæ, omiſſis iis, quæ magis neceſſaria ſunt. Secundò provenire id poteſt ex eo, quod quis iam tum *plurimam* rerum divinarum *notitiam* per meditationes præcedentes *acquiſierit*, adeò ut anima ſit tantæ perſpicacitatis, ut, ſi ſuæ conſiderandæ materiæ inſiſtere vellet diutiùs, potiùs obſcuraretur, ac refrigeſceret. Illi omnino pertinaciter velle non debent meditari, ſed frui potius fructu ſuperiorum

ſuorum

suorum laborum, totumque tempus impendere affectibus, quia jam tum ab initio dimidium facti, hoc est, intellectum habent circa propositam materiam quàm illuminatissimum atque instructissimum. Praxis ista non nisi Proficientium propria est, qui poterunt etiam aliquando (ubi nimirum fuerint impediti, quo minus ad orationem præparare se potuerint) revocare in memoriam aliquam ex præcedentibus meditationibus, ut iterùm hîc deguſtent, quod aliàs guſtarunt atque utiliter affectibus, quos in semetipsis excitarint, occupentur.

5. *Quod si affectus vehementior fuerit, instar ignis ardentis cor ardore suo adurentis, nunquid ei omnimodè concedendum erit?* Neutiquam id facere debent potissimùm Incipientes. Verùm intensiores illi ardores moderandi erunt, sive activitatem animi temperando, sive etiam, si aliter ignis ille temperari nequiret, orationis argumentum commutando. Hic etenim nimius æstus causare posset capitis dolores, ac stomachi pectorisque debilitates, quæ animam impedirent, quo minus pro multo tempore facere posset orationem: imò timendum est, ne excessus illi proveniant potius ex causa aliqua naturali, quàm operatione Spiritus sancti.

6. *Quomodo fovendi sunt affectus, ubi illos deprehendimus remittere?* Faciendum est instar illius, qui ligna igni superaddit, ipsumque sufflat, ne restringuatur: ita & nos affectuum ignem sufflare debemus,

illi intermiscendo considerationem. Quod si quandoque voluntas emotam se senserit nescio quo amore Dei molli atque otioso, qui nihil facere aut pro ipso aggredi velit, illam urgentioribus motivis impellere debemus ad aliquid pro gloria ipsius aggrediendum, putà ad revellendam aliquam imperfectionem, aut amplexandam alicujus boni operis exercitationem, neque ullo ipsam modo ita indeterminatam ac suppressam relinquere oportebit.

7. *Estne necessarium, ut Deo semper loquamur in secunda persona in iis, quos producimus, affectibus?* Non, sed per apostrophen aliquando alloqui possumus animam nostram, aliquando Sanctos, aut alias etiam creaturas: sufficit etiam aliquando moderatè ruminare atque animo recolere punctum illud, in quo voluntas adinvenit gustum, illi cordis intimo cum affectu insistendo absque eo quod vel Deo vel nobisipsis loquamur.

8. *Nunquid quorundam in pluribus virtutum actibus exercitandis reprehendenda præcipitatio est?* Etiam, quia ille agendi modus plenus est distractionibus, atque idcircò ubi cognoverimus, quænam virtus pro statu præsenti nobis magis necessaria sit, illi præcipuè insistendum erit, absque tamen aliorum actuum, qui quasi sponte se ingerunt, rejectione. At hinc inde ad illos inquirendos vagari omninò minimè oportet.

9. *Nunquid pr[æ] cæteris magni faciendi sunt affectus sublimioris ac purioris amoris Dei?* Recipiendi quidem illi sunt cum humilitate, ubi illos concesserit Deus, at nunquam ab actibus

bus reverentiæ in noſtra vilitate, humilitatis in noſtra miſeria ac doloris de noſtris peccatis diſcedendum erit. Optimè enim dixit ſancta Thereſia, nunquam committere nos debere, ut omnes exuamus affectus humillimæ ſinceriſſimæque compunctionis, quæ panis eſt quotidianus, cum quo veſci nos oportet omnibus aliorum ſanctorum affectuum cibis.

10. *Quid faciendum, ubi timemus, ne promiſſa, quæ Deo facimus, minimè exolvamus?* Conſcientia illa timidior & plus æquò diffidens exuenda eſt, contrarium cum auxilio te divino facturum ſperando, nec puſillanimitati aut frequentium in eosdemmet defectus relapſuum recordationi ſuccumbendo: ſemper etenim à divina bonitate liberationem ab hujusmodi infirmitatibus ſperare debemus.

11. *Quid faciendum eſt animæ, ubi eum, quem ſperabat ſucceſſum, atq; in oratione ſatisfactionem non experitur?* Bona praxis eo caſu eſt, rebus, quas meditati fuerimus, affici, non ſecundum infirmam earum notitiam, quam habemus nos, ſed juxtâ quod illas cognoſcit Deus, illi exempli causâ dicendo: „ Deſidero, Domine, talem vel talem rem fa„ cere pro gloria tua, affectione non quidem „ exiguæ, quam ego habeo, notitiæ, ſed cum „ deſiderio te, quantum quidem tu ipſe mereri „ te noſti, glorificandi.

Optimum quoque factu erit, divinæ ſuæ Majeſtati offerre ſenſus noſtros imperfectos in unione eorum, quos Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſuper eadem materia habuit perfe-

ctissimos : quinimò distractiones quoque nostras involuntarias in obsequium ac recognitionem divinissimæ illius attentionis, quam ipse semper habuit suis in orationibus ; tentationes nostras importunas in honorem infinitæ sanctitatis ipsius ; inquietudines nostras in honorem perpetuæ ipsius atque invariatæ tranquillitatis ; imperfectiones nostras, quæ quidem in nobis involuntariæ sunt, hac ratione referendo in gloriam contrariarum virtutum, quæ sunt in sacratissima ipsius humanitate. Hæc etenim glorificandi Deum methodus ipsi quàm acceptissima, nobisque est quàm utilissima.

12. *Quidnam oratione absolutâ facto opus ?* Primò opus est examine, ad videndum, qua nos ratione in illa gesserimus, an videlicet bene præparaverimus materiam ; an in Dei præsentia continuò perstiterimus attenti & tranquilli ; an verò è contrario fuerimus conturbati ac distracti, atque unde hoc acciderit : quales habuerimus motus & affectus ; quò illi nos impellant, quantopere ad illos in praxin redigendos obstringamur, & quid determinatè Deo pollìciti simus.

Secundò necesse est nos conniti, ut toto die conservemus recollectionem in oratione acquisitam, orationibus jaculatoriis, quantum fieri potest, fovendo affectus in oratione enatos, fugiendoque præcipuè curiositatem oculorum ac multiloquium. Optimè enim dixit Religiosus ille devotissimus : *Citò perit devo-*

Thom. à Kemp. l. de discipli.

devotio, quæ non custoditur sub silentii fræno. *claustr. cap. 8.*

3. Utilissimum est aliquando in memoriam revocare bona proposita illic concepta, eaque renovare. Denique perutile quoque erit fructum cujuslibet orationis paucis verbis in parvo quodam libello conscribere, vel ad hoc, ut illius rationem reddere queas Patri Magistro, ubi illum convenies, de interno statu tuo cum ipso communicaturus.

13. *Ex quo Religiosi alicujus profectus in oratione dignoscitur?* Ex majore interiore pace, majore ad res terrenas indifferentiâ, majore continentiâ sensuum ac linguæ, majore submissione, obedientiâ, ac propriæ voluntatis mortificatione, majore possessione suiipsius, atque ad omnes actiones suas attentione. Optimè enim dicebant antiqui Patres, Religiosum orationi vacantem, neque tamen inde amplius mortificatum ac recollectum, similem esse grano vacuæ spicæ, quæ quidem in speciem pulchra videtur, at reipsa non est nisi palea à quovis vento facilius agitata.

Hæc sunt, quæ Fratribus nostris, pro eorum instructione de benè facienda oratione mentali, scitu necessaria existimavimus. Nunc consequenter de oratione mixta atque aspirativa acturi sumus.

CAPUT XXV.

De oratione mixta.

ALterum orationis genus, de quo hocce tractatu acturos nos promisimus, est ea, quæ vocatur *oratio mixta*, quæ illa est, in qua considerationem internam intermiscemus verbis ore prolatis, considerando maturè, & quantum possumus, ea, quæ sub sensu eorundem verborum latitant, degustando.

Definitio.

Hoc orationis genus perquàm facillimum est ac pauci laboris, ideoque Incipientibus accommodatissimum, qui nondum acquisierunt habitum consequenter materiam aliquam meditationis deducendi. Imò etiam Provectiores ac Perfecti & consequenter omnes omninò homines eo uti possunt quovis tempore, loco & occasione, præcipuè ubi præparandi se ad orationem tempus defuit, vel ubi per infirmitatem profundiori rei cujuspiam considerationi non licet intendere.

Ubi igitur hoc genere orationis uti volueris, sequentia monita observabis.

1. Seliges aliquem Psalmum, versum aut aliam orationem vocalem, quæ sit affectiva, aut in quam singulari jam tum feraris devotione, ne fortè intentione tuâ frustreris, si capias argumentum, super quo te neqneas occupare, eo quod sterile sit in seipso, aut quod gustui tuo non arrideat.

2. Singula verba, aut singulos versus sigillatim & consequenter attentè considerabis;

matu-

maturèque, ſedato ac tranquillo animo ac ſenſu, expendes, connitendo, ut inde affectu aliquo commovearis: Quod ſi verò verbum aliquod, ſive verſus conceptum nullum ſuppeditet, poſtquàm in illo nonnihil hæſeris, ad alia tranſibis, neque cum violentia conceptum aliquem elicere contendes, quia tempore orationis magnam oportet animo indulgere libertatem, atque una cogitatio ſive conceptus bonus ſponte velut ſuâ enatus utilior eſt omnibus illis, quos violenter quis elicere contendit.

3. Conſectandi non ſunt pulchriores conceptus, neque cogitationes curioſæ, ſed magis inſiſtendum conceptibus ſimplicibus, devotis, quique in praxin facile queant deduci. Quod ſi argumentum ſit purè affectivum, affectivam quoque facies meditationem, colloquendo cum Domino noſtro, ut ſuprà expoſuimus; ſin verò, primò elicies aliquam conſiderationem, ac deinde produces affectus; argumentum verò purè affectivum appellamus, ubi verba ad Deum in ſecunda perſona diriguntur, uti verbi gratia iſta: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? Qui ingreditur ſine macula &c.* Pſ. 33. 5. Ubi verò in tertia perſona collocantur verba, argumentum purè affectivum non eſt, ut in iſtis: *Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto ejus? Innocens manibus & mundo corde.* Pſ. 14. 1.

4. Adhibendæ hic erunt eædem induſtriæ, quas ſuprà annotavimus, ut conſiderationes nonnihil dilatentur, aliquando interpellando

Deum, alias interrogando Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, quandoque etiam per apoſtrophen alloquendo animas noſtras, atque alia hujusmodi faciendo.

5. Produces affectus, juxta quod illi in corde tuo enaſcentur, absque alio ordine præter illum, quem ipſa materia præbet. Illi autem proprii eſſe debent, atque ex ipſa deducti materia, non verò aliunde violenter atque artificiosè petiti. Denique præ cæteris fovendi ſunt illi, qui animam ad virtutis ac mortificationis exercitationem impellunt, neque unquam omittenda aut oblivioni tradenda ſunt bona propoſita, quæ ſunt quaſi fructus orationis, ſemperque à Deo petenda eſt gratia illa executioni mandandi. Hac in re quivis ſtatum ſuum ac neceſſitatem obſervabit. Orationis hujus faciendæ methodum amplius edocebunt ſequentes formulæ.

CAPUT XXVI.

Formula orationis mixtæ continens expoſitionem orationis Dominicæ
Pater noſter.

Directio.

LAudabo & orabo te, Domine, eadem, quam tuipſe me docuiſti, oratione. Illam indubiè audies, atque aurem illi præbebis: quia nos illam non docuiſti, niſi ut ipſam dicamus. Da mihi, obſecro, gratiam ea, quæ in illa continentur penetrandi, illiusque beneficio

ficio mihi vivum atque indeficiens te amandi, meliusq; tibi ac melius inserviendi desiderium inspira ; hic enim finis est, ob quem nobis, illam ut diceremus commendasti.

Pater.

PAter æterne, Pater summe, Pater omnipotens, Pater infinite, Pater misericordiarum, Pater, qui verus amicus noster ac legitimus Dominus es : Pater, qui nos in corde tuo amoroso descriptos geris, Pater, qui nos creasti, qui continuò conservas, qui nutris, qui Angelos tuos nobis veluti infantibus concedis Pædagogos ac Præceptores, qui nostris necessitatibus ita intendis, ut numerum scias capillorum nostrorum, ita ut ne unus quidem pereat absque singulari providentia tua, Pater denique, qui nobis tanquam filiis tuis dilectis cœlestem præparas hæreditatem. Suavissimam atque ineffabilem demitor bonitatem tuam, quæ facit, ut cum homo non sit nisi exiguum lutum, miseriarum compendium, omnium peccatorum ac scelerum receptaculum, tu ab illo nihilominus Pater potius quàm Deus, ac Dominus nominari velis.

Ego, ô Pater cœlestis, ego te agnosco Patrem vitæ meæ. Quantæ nobilitatis es, anima mea, quod Deum habeas Patrem, illiusque tu filia existas ? Attende ac vide, originem te ducere è cœlo, indolis te esse sublimioris illis omnibus, quæ cernis hic in terris. Qua igitur ratione jam fieri poterit, ut sensuum tuorum corporeorum oblectationibus

velis adhæreſcere? An non æquum eſt, ut nobilitatem tuam præ te feras, nihilque conditione tuâ indignum committas? Etiam, mi Pater, qui verè Pater meus es, ego deinceps moribus & actibus meis oſtendam, te eſſe Patrem meum, tuumque me eſſe filium, præceptis tuis obediendo, tibique per imitationem, quantum quidem creaturæ permittet conditio, me quàm ſimillimum conſtituendo.

Noſter.

PAter cœleſtis, tu ſolus es, de quo dicere poſſumus, quia *noſter* es, quia quidquid eſt extra te, hoc etiam nobis eſſe debet nihil. Verùm cur voluiſti, ut quilibet noſtrum te compellando dicat *Pater noſter* nomine generali, non verò in ſpeciali *Pater mi*? Meo quidem judicio id ita voluiſti, Domine, quia cupis, ut omnes homines ſe mutuo diligant ut Fratres, ac veluti ejusdem familiæ proles, ſicut tu communis omnium Pater es. Nunquid etiam idcircò ita ordinaſti, ut hac ratione noſtram dejicias ſuperbiam, prohibeasque, ne pauperes contemnamus, qui æquè fratres noſtri, tuique ſunt filii atque divites ac mundi magnates? Nonne & ideò ita conſtituiſti, ut nos hac ratione impelleres ad fraternam ineundam ſocietatem cum nativo tuo filio Jeſu Chriſto, cum Virgine ſacratiſſima, cum Seraphinis, Cherubinis omnibusque Sanctis tuis? Quia ubi te *Patrem noſtrum* appello; quid dico aliud, niſi te Patrem meum & Patrem eſſe Jeſu Chriſti? Patrem meum & Patrem glorioſiſſimæ Virginis? Patrem meum & Patrem

Sera-

Seraphinorum, Cherubinorum, omniumque Angelorum ac Sanctorum? ac proinde eorum omnium ego frater existo. Prô, quantus honor, quàm admirabilis, quàm cœlestis cognatio!

Qui es in cœlis.

OCulos ad te meos elevo, Pater, qui verè Pater meus es, ad te, *qui habitas in cœlis.* Non quidem, quasi non existas ubique, sed quia voluisti, ut corda nostra sursum attollamus, teque particulariter contemplemur in cœlis, qui locus est æternæ nostræ felicitatis. Illic enim cum Sanctis tuis regnas, illic beata est patria nostra, ad quam suspirare nos oportet, quoad vivimus in exilio in hac lacrymarum valle, quam sæpè cogitatu invisere, omnia nostra illuc desideria conferre debemus. Illuc interiorem conversationem nostram, ne fortè fallacibus infirmioris vitæ hujus deliciis adhærescamus, dirigere debemus, veluti fecerunt omnes fideles servi tui qui dicebant: *Nihil jam nos delectet in infimis, qui Patrem habemus in cœlis.* D. Greg.

Sanctificetur nomen tuum.

HOc age, mi Deus, ut universus te orbis adoret: ut universæ nationes ad sanctam fidem tuam convertantur: ut impiorum blasphemiæ finem accipiant: ut omnes te Christiani verâ cum fide honorent, sincerâ tibi pietate ac Religione inserviant; ut denique eam nos de te concipiamus existimationem, quam tua magnitudo divina ac Majestas meretur.

San-

Sanctificeris in meipso, sanctificando animam meam, cunctaque desideria ac affectus meos ad te unum trahendo.

Jube, ut omnia opera, verba atque actus mei te glorificent, ostendantque me Patris tam boni haud indignum esse filium. Vanam meimetipsius existimationem, amorem proprium ac superbiam penitùs à corde meo revelle, ut tuam in omnibus gloriam purè quæram. Invidiam resecta, ut gaudeam, ubi alii tibi meliùs me inserviunt; dummodò enim nomen tuum benedictum sanctificetur, parum refert à quo, aut qer quem id fiat.

Adveniat regnum tuum.

ECce aliud desiderium ac votum, quod concipio, Domine Deus meus, nimirùm ut ubique tu regnes, absque ulla deinceps ullius creaturæ resistentia, ut reverà mereris. Tu jam tum regnas in cœlis cum Sanctis tuis. Da ut & ego aliquando regni hujus æterni particeps esse promerear.

Regnum cœlorum.

Regnare te quoque oportet in Ecclesia; Jube igitut, ut regnum ac potentia Ecclesiæ tuæ ad universos fines terræ se extendat. Hæreses extirpa, infidelium furorem prosterne, atque hoc age, ut omnes homines coram tua divina Majestate genua sua flectant,

Regnum Ecclesiæ.

Regnare quoque debes in anima mea. Ecce, mi Deus, omnes illius portas tibi refero. Age, age bonis avibus tu Rex meus esto, hoc enim præ cæteris rebus omnibus unicè exopto. Veni, ingredere, impera, dominare, regna in corde meo absque ulla contradictione. Quod si qua

Regnum interius animæ.

si qua exurgat, gratiam mihi tuam concede, qua illam superem, ut Regnum tuum sit pacatum: omne enim desiderium meum est, ut integrè à divino tuo spiritu possideri me intelligam.

Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra.

ETiam, Domine, da mihi gratiam tuam sanctam in omnibus adimplendi voluntatem, quandoquidem supremum te Regem meum agnosco. Docilem ac tractabilem me redde ad sequenda præcepta tua, ad evitandum quidquid tu vetas, ad pœnas & afflictiones omnes à te mihi immissas tolerandas, atque ad sanctis inspirationibus tuis obtemperandum. Noli attendere ad naturales repugnantias illas, quas aliquando experior: illis enim consentire non intendo, sed & divina voluntas tua semper in me fiat. Probè novi, Domine, te, qui Pater meus es vigilantissimus & verus amicus, nil velle posse, quod mihi perquam commodum non sit. Omninò malo tuam quam meam fieri voluntatem, ego enim quæ saluti meæ contrariantur sæpe volo. Vivatergò, vivat, Domine, optima, amabilissima, perfectissimaque voluntas tua, omniaque contraria desideria in nihilum redigantur. Tua in me voluntas fiat eo modo, si fieri posset, quo Salvator noster, illiusque sanctissima Mater illam impleverunt, atque Angeli in cœlis etiam modò implent, id est, cum gaudio, cum amore, atque invariabili cum perseverantia.

Panem

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

QUandoquidem Pater noſter tu es, tam quoad animam noſtram quam corpus, utrique neceſſarium nutrimentum largire. Da igitur nobis primò ea, quæ vitæ noſtri corporis ſuſtentandæ neceſſaria ſunt: da, inquam, hodie, pro die enim craſtina providentia tua nobis proſpiciet, tuque ipſe pro craſtino ſollicitos nos eſſe vetas; præcipuè ubi etiam, num cras victuri ſimus, ignoramus. Panem à te petimus, non verò eſcarum delicias; neceſſaria, non ſuperflua: Promitto tibi fore, ut aliâ nunquam intentione cibis utar, niſi ut hanc miſeram vitam, quoad tibi placuerit, ſuſtentem: omnibus ſenſualitatis appetitibus renuncio. Id quod in menſa appoſitum mihi fuerit, ſumam tanquam à te mihi donatum abſque ulla diſtinctione dulcis aut amari, ſapidi aut inſipidi, tibi infallibiliter gratias reddendo æquales pro utrisque. Pro me peculiariter atque imprimis peto gratiam dignè ſemper ſumendi panem Angelorum, panem illum *ſuperſubſtantialem*, & vivum, pretioſiſſimum videlicet corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut ille me totum transformet in ſe, ut ita deinceps Deiformis ac Deificatus per occultam atque admirabilem divini Sacramenti hujus virtutem evadam.

Primum genus panis.

Alterum genus panis. Matth. 6. 11. ἐπιούσιον

Da denique etiam animæ meæ nutrimentum ſpirituale ſacratiſſimi verbi, ſanctiſſimorumque tuorum luminum, in oratione illam æternâ atque inalterabili vitâ vivificando, quia præcipua hominis vita in anima, non in cor-

Tertium genus panis.

corpore est, dicente Salvatore meo : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Matth. 4. 4.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

PEccata quæso mea, Domine. te non impediant, quo minus tuas gratias mihi elargiaris, de illis enim ex toto corde meo doleo, veniamque contrito verèque humili corde à te peto. Cœcitatem, passiones atque effrœnatas licentias præteritæ vitæ meæ detestor. Omnes cogitationes, locutiones atque operationes contra divinam Majestatem tuam à me factas abdico ac repudio. Rogo te, ne mihi imputes complura peccata occulta, & defectus absconditos, quos commisi sine numero ac per imprudentiam. Ignosce mihi etiam peccata aliena, quorum causa fui malo exemplo, sive etiam consilio. Ignosce mihi, sicut ignosco omnibus illis, qui me offenderunt. Ego integrè & absque ulla exceptione, aut restrictione illis ignosco, nunquid igitur & tu eandem mihi exhibere teneris misericordiam ? Nunquid tuipse dixisti, *dimittite & dimittemini ?* Verùm ego ex parte mea dimitto, & tu igitur, Domine, promissum tuum exolve. Luc 6 37.

Et verò si à mea tu exigis infinitate integram remissionem totalemque proximo meo veniam indulgendam, nunquid similem ego potius expectare à tua debeo omnipotentia ac magnitudine ? Ignosco, quia id tu mihi mandas, ignosce igitur & tu, quia potes. O felix

proxi-

proximi noſtri adverſum nos offenſa, per quam nos exolvimus debita noſtrarum adversùs Deum offenſarum!

Et ne nos inducas in tentationem.

NE permittas, inquam, ullam mihi accidere tentationem in priorum meorum punitionem peccatorum; ſiqua verò mihi pro mea probatione atque exercitatione obveniat, fortitudinem tu mihi atque illam vincendi gratiam concede. Non ignoro, mi Deus, ipſam te eſſe bonitatem ac ſanctitatem, proindeque nullum à te impelli in malum; quin potius è contrario tu nobis liberaliter atque accuratè omnia ipſum evitandi media præbes. Noli me ergo derelinquere in pravis cogitationibus illis, quas mei mihi ſuggerunt inimici. Ne patiaris, ut ſenſus rebellionis adverſus tua ſancta mandata tranſeant in conſenſum. Extingue in me ardorem concupiſcentiæ, qui me inducit ad peccandum. Vanitates, quæ meam voluntatem ad mundana inclinant, à me abaliena. Potentiam tuam conatui Cacodæmonum oppone, qui horribiliter & crudeliter per talem vel talem tentationem me oppugnant cum certa me perdendi intentione, utpote qui ſicuti tui honoris ita meæ ſunt ſalutis inimici: Ex mea quidem parte tibi promitto, fideliter in mei cuſtodiam me invigilaturum, primisque tentationum inſultibus reſtiturum.

Sed

Sed libera nos à malo.

QUid debeo intelligere per hoc malum, à quo vis petam, ut me liberes Domine? Intelligo primò malignum spiritum, è cujus faucibus jam tum me eripuisti, ubi me ad sanctam hanc Religionem vocasti. At meritò timere debeo, ne, ubi in peccatum recidero, in illius qnoque subjectionem, ac tandem damnationem relabar. Libera me ergò, obsecro te, ab omnibus hisce malis, plagis medere præteritarum mearum offensarum, gratiam mihi concede, ne in illas relabar, à pœnis Inferni horrendis me præserva, neque, ut æternùm te te priver, permitte.

Græcus textus habet ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ.

Nunqnid alterum malum, quod intelligere debeo hoc loco, est tumultus atque immoderatio mearum passionum? Haud dubiè, Domine, neque sanè immeritò, quia ex hac maligna scaturigine omnes defectus ac peccata mea promanant. Animam ergo meam ab omnibus illius passionibus, atque interais tumultibus purifica: mentem abstrahe ab omnibus evagationibus, cogitationibus & curis supervacaneis. Etenim (eheu!) quid mihi prodesset conscientiam meam tuâ gratiâ mediante eluisse, si illam rursus inquinarem? Cor ergò & affectus meos perfectè purifica, atque ut omnia in hoc mundo, quæ tibi placuerint, patiar, concede, ut nihil purgandum, patiendumque pro futura vita remaneat, quin potiùs in hujus miserrimæ vitæ termino liberet à malo sempiterno, ut æternam tui capiam possessionem, Amen, hoc est fiat.

Consequenter ad ista, bona erunt super rebus quibusdam in particulari concipienda proposita, eliciendique actus oblationis ac petitionis, ut gratiam à Deo illorum exequendorum consequamur.

CAPUT XXVII.

Alia mixtæ orationis Formula continens expositionem salutationis Angelicæ Ave Maria.

Ave.

SAluto te, Virgo glorioſiſſima, eodem cum reſpectu ac reverentia, quâ te ſalutavit Archangelus in die Annunciationis tuæ. Eodem te ſenſu & affectu honoro, quo te honoravit perdilectus tuus ſponſus Joſephus triginta annis illis, quibus tecum remanſit. Revereor te eadem cum teneritudine, aut ſaltem in unione affectus, quo erga te exarſit, quemque palam tibi exhibuit dilectiſſimus filius tuus Dominus noſter Jeſus Chriſtus. Cum omnibus te Sanctis collaudo, tibique ſalutationem iſtam totâ eâ devotione præſento, quâ unquam illi te ſalutârunt, quin & in unione illiusmet ſalutationis, quam Pater æternus ad te transmiſit, amorisque, quo tibi illam præſentavit.

Saluto te in immaculata Conceptione tua, in qua ab omni fuiſti peccati originalis labe præſervata, atque exempta. Saluto te in glorioſa Nativitate tua, in qua mundo virtutibus & gratiis illuſtriſſima apparuiſti, tanquam au-

rora

tora veri justitiæ Solis Christi Jesu prænuncia, ut hominibus spem faceres approximantis salutis. Saluto te in sacra tua Præsentatione, ubi mundo relicto divino servitio in solitudine, silentio atque oratione te integraliter consecrasti.

Toties te saluto, quot sanctas actiones peregisti, imò quot momenta sanctissimæ vitæ tuæ transegisti. Saluto te per singulos gloriæ gradus, quos obtines in cœlo, ubi es super Choros Angelorum elevata, peculiariter hac meâ salutatione reverendo omnes gratias, virtutes, ac merita, quæ te honore, respectu atque adoratione dignam constituunt.

Maria.

O Maria! sanctissimum, postque filii tui nomen omni honore dignissimum! *Maria*, tempestuosi hujus mundi Maris stella, navigationem meam deducens à me nunquam te absconde. *Maria*, Dæmonibus terribilis; *Maria*, peccatoribus misericordissima; *Maria*, cujus unica recordatio piis animabus in afflictionibus suis solatio est. *Maria*, sub quo nomine complecti volo, quidquid Angeli, Sancti, adeoque universa cœlestis curia de tuis excellentiis, virtutibus, meritis ac perfectionibus comprehendunt. Sub isto nomine in animo meo paucis complecti volo quidquid in te unquam admirabile divina potentia operata fuit. Tu es Virgo ac Mater Dei, cæli, Sanctorum atque Angelorum Regina. Tu spes miserorum hominum in suo existis exilio. Proferendo nomen tuum honoro abyssalem humili-

militatem, admirabilem fidem, charitatem indeficientem, ineffabilem & continuam orationem, atque unico verbo cunctas eximias virtutes tuas.

Gratiâ plena.

VErè *gratiâ* tu *plena es*, quoniam si Deus cæteris Sanctis largitus est ad mensuram, tibi, quæ omnium Sanctorum Regina es, eam contulit in tota sua plenitudine ; ut proinde quidquid sanctitatis sigillatim in omnibus est creaturis dispersum, in te omninò atque integrè reperiatur congregatum, quia tu sola plus habes cæteris omnibus simul.

Gratiâ plena es, ut oceanus aquâ, quam ille omnibus fontibus ac rivis communicat; per te enim gratiarum torrentes in cunctos derivantur fideles. Tu es illa, ex qua processit, qui gratia est essentialis, Dominus videlicet noster Jesus Christus. Tu es plena Spiritu sancto ; imò tota sancta Trinitas in te commorans & quasi suavitate atque amore liquefacta in te cunctas perfectiones suas, licet ineffabiles, effudit, adeoque animam tuam adimplevit suavissimo odore omnium gratiarum, virtutum atque excellentiarum, quæ quidem fuerint unquam ulli puræ creaturæ communicatæ ; haud secus atque ubi pretiosum aliquod unguentum super mensam bene tersam atque expolitam effusum fuerit, universa domus repletur odore. Denique verbum hoc *gratiâ plena* tibi adeò proprium est, ut Angelus te salutans proprio Mariæ nomine non compellârit, sed solummodò dixerit:

Ave

Ave gratiâ plena. O Virgo gratiæ Mater, in me, obsecro, vel guttulam hujus tantæ plenitudinis deriva.

Dominus tecum.

SIcut Deus in suo templo, sicut Rex in suo throno, sicut sponsus in suo nuptiali thalamo, sicut filius tuus in sinu tuo. Pater est tecum operans in te supremum, maximumque omnipotentiæ suæ miraculum, uniendo videlicet Humanitatem Divinitati, eumque tibi communicando honorem, ut æque tu, atque ipse filium habeas, qui sit Deus. Filius est tecum descendens de cœlo, ut virginalem tuum sinum inhabitet. Spiritus sanctus est tecum fœcunditatem tibi conferens illæsâ virginitate. *Dominus tecum* à primo immaculatæ conceptionis tuæ momento, quia ex tunc sanctificata nullam deinceps, ne quidem, quæ cogitari possit, minimam admisisti imperfectionem. *Dominus tecum*, & tu cum illo, quia per inseparabilem spiritus tui cum spiritu illius colligationem atque adhæsionem voluntatem semper habuisti illius per omnia conformem voluntati. Tecum est in quocumque loco fueris, in quacumque actione, quam exercueris, atque omnibus modis, quibus unquam cum Sanctis suis fuit. O Virgo gratiâ plena, quia jam cum illo es in cœlo, mei non obliviscere, verùm hoc age, ut aliquando illic tecum & cum illo esse possim.

Qui adhæret Domino unus spiritus est. 1. *Cor.* 6. 17.

Benedicta tu in mulieribus.

Quatuor capita, ex quibus B. Virgo est benedicta supra omnes mulieres.

VEre *benedicta* es supra omnes omnino mulieres, quæ Mater simul & Virgo existis: quæ concipiendo Sole purior remansisti, quæ sine dolore peperisti, quæque in Matrem Dei evasisti: *Benedicta* es ac supra creaturas omnes privilegiata, quia postquam à culpa fueras originali præservata, etiam à funestis peccati effectis fuisti exempta. Etenim adversus humanum genus fulminatę maledictiones super te nequaquam cecidêre: infirmitates corporeæ te neutiquam obruêre: nullam unquam partis inferioris rebellionem sensisti, nullam in cogitationibus tuis illic, ubi volebas, defigendis molestiam pertulisti, neque distractiones, neque somnia te conturbârunt, atque usus pacificus & tranquillus intellectus ac rationis tuæ tibi nunquam, ne inter dormiendum quidem, defecit.

Non extinguetur in nocte lucerna ejus. Prov 31. 12.

Benedicta tu, quia in te & per te universus orbis recipit benedictionem, ac licet generatione corporeâ non sis nisi Mater unius Filii, regeneratione tamen omnium Electorum Mater existis. O Virgo dulcissima æquè ac gloriosissima, ab æterna maledictione me præserva, ac benedictione pariter æternâ me cumula.

Et benedictus fructus ventris tui.

QUalis enim arbor est, talis & fructus, neque fructus benedictione plenus procedere poterat, nisi ex benedicta radice: Benedictus est, quia tollit peccati maledictionem supra universum genus humanum effusam,

gra-

gratiæque apportat benedictionem peccatores reconcilians Patri, illisque portam aperiens paradisi. Benedictus est in cœlo ab Angelis, in terra ab hominibus cunctisque creaturis, quæ coram eo atque ad nomen illius adorabile genuflectunt.

O fructus ad vescendum bone pulcherque oculis atque aspectu delectabilis, qui fuisti in terra virginei ventris Dominæ nostræ plantatus, qui postquam ex arbore ista decidisses super fœno fuisti in stabulo positus, quique etiam fuisti in templo præsentatus, illicque benedictus. Fructus cœlestis, qui aspectu tuo Beatos in cœlo pascis, quique hic in terris in Altaribus nostris pro animarum nostrarum remanere voluisti nutrimento. Fructus continens in te omnem saporem, qui esurientes ac sitientes justitiam satias, qui animabus infirmis mederis, debiles corroboras, tristesque exhilaras. Fructus ter benedicte, qui nasceris in ventre purissimo, castissimo, Deoque dignissimo, me obsecro, cœlestibus tuis ac spiritualibus benedictionibus reple.

Sancta Maria Mater Dei.

MAter, inquam, Creatoris universi, *Mater* Salvatoris hominum, *Mater* & scaturigo gratiarum omnium, quæ unquam collatæ fuerint mundo, Mater purissima & cunctis Christianis amabilissima, Mater sacri Ordinis nostri de Monte Carmelo specialissima, unico verbo, vera Mater Dei, supra modum lætor, te fuisse ad supremam hancce dignitatem electam, deq; ea, quam inde habuisti, atque

etiam in æternum in cœlo habebis lætitia tibi congaudeo. Utinam tibi possem exhibere omnes illos honores, quos ob istam tam illustrem mereris conditionem; Utinam facere possem, ut te cognoscerent, honorarent, tibique servirent omnes illi, quibus horrori sunt piæ, at veræ, quas de te concepimus, opiniones, ac sententiæ!

Ora pro nobis peccatoribus &c.

MAter Dei, *ora pro nobis peccatoribus* verè miseris. Recordare, quia absque peccatoribus tu Mater Dei non esses, quia nisi fuisset peccatum, Filius Dei non venisset in mundum: nobis ergò, nobis peccatoribus ex parte debes hunc honorem & gratiam. Mihi igitur tuo nunc interventu opitulare; at præcipuè mortis meæ horam sub tua protectione singulari constituo. Tunc enim ope tuâ peramplius indigebo, ubi Dæmones omnem suum adversùm me impendent conatum, cùm tamen ex hoc momento tota dependeat æternitas.

Eja ergò, glorioſissima Virgo, singularis Advocata mea, misericordię tuæ oculos ad me converte, & Jesum Christum Dominum nostrum benedictum fructum ventris tui mihi post hoc exilium ostende. Amen.

In fine orationis hujus supra statum tuum te reflectes, atque aliqua concipies bona proposita, tuis, quas ipse cognoveris, necessitatibus consentanea. Deinde peculiariter à Deo per interceſſionem sacratissimæ Virginis petes gratiam ea executioni mandandi.

CA-

CAPUT XXIIX.

De Oratione aſpirativa.

TErtium iſtud eſt orationis genus, de quo agere nos oportet, quæ cum mentali convenit in eo, quod mente concipitur, & cum mixta in eo quod ſæpiùs corde ſimul atque ore producitur; verùm ab utraque ſecernitur in eo, quod verbis conſtat paucis, ac vivaciter in uno inſtanti versùs cœlum, inſtar ſagittæ ſive jaculi, vibratur; Ex quo fit ut *oratio jaculatoria* communiter appelletur. De ea hoc in capitulo dicemus: 1. quid ſit aſpiratio. 2. quomodo in corde producatur. 3. qua ratione illam nobis familiarem reddere debeamus. 4. quinam inde fructus proveniant.

In quo oratio aſpirativa cum aliis conveniat, & in quo differat.

Quare jaculatoria vocetur.

Diſtributio capitis.

Quid eſt aſpiratio?

ESt fervens elevatio mentis in Deum paucis comprehenſa verbis, acriterque atque in momento temporis versùs cœlum evibrata, qua divinæ Majeſtati ſuæ bonos affectus, ſanctaque in corde noſtro concepta deſideria ſignificamus.

Definitio.

Eſt *elevatio mentis in Deum*, in quo convenit cum qualibet alia ſpecie orationis; verùm hæc, de qua agimus, eſt *fervens*, quia effectus eſt actualis charitatis, & quaſi ſcintilla ex ardenti amoris divini in animo ſuccenſa fornace ejaculata.

Explicatio definitionis.

Est *paucis comprehensa verbis*, quia dilatata atque extensa non est, ut oratio mentalis, sed anima unico verbo, quoad fieri potest, exprimit omnes cordis sui affectus. Quod si quandoque paulò diuriùs veritatem aliquam degustans, de illa amorosè confert cum Deo, *colloquium* appellatur non aspiratio.

Differentia colloquii & aspirationis.

Est *vivaciter versus cœlum evibrata*, quia quasi sagitta est vehementer scopum versus immissa. Homo est quasi sagittarius, quia jaculatur, scopus, quo collimat, est Deus, qui indubiè ictum excipiet, cui ipse sponte sua se exponit. Verùm pro uno amoris actu ab anima versus Deum emisso, proque unico jaculo in ipsum evibrato centum ipse remittit. Hinc admirabilis exoritur pugna Deum inter & creaturam, in quâ Deus victoriam semper quidem reportat, at non nisi in magnum emolumentum creaturæ, quæ ubi amoris telo sauciata fuerit, non potest, quin de illo indesinenter cogitet, dieque ac nocte illi placendi desiderio conficiatur.

Effectus aspirationis.

Oratio aspirativa hac ratione explicata non videtur convenire nisi illis, qui magnos jam fecerunt in oratione ac Dei amore progressus; quoniam frigidiores ac negligentiores exercitium istud impossibile existimant. Et verò respectu ipsorum reverâ ita est, donec seriò orationi mentali addicti meditationis beneficio mentem impleverint bonis conceptibus & affectibus, ex quibus quoddam quasi confecerint armamentarium, è quo postea ferventes illas elevationes, affectuosas has aspirationes, atque inflammata desideria illa depromant.

Aspirationis exercitiũ magnam in oratione mentali exercitationẽ supponit.

Evenire

Evenire nihilominus aliquando solet, ut Deus jam tum ab initio conversionis efficaciter moveat Novitios, adeoq; fortiter eorum corda sibi conciliet, ut, siquidem commotionem istam sollicitè confovere, flammamque in ipsis ardentem nutrire velint, exercitium hoc illis facillimum evadat, paucisque illos diebus ad magnam virtutem perducat.

Quomodo in corde producitur atq; efformatur aspiratio?

DUobus modis aspirationes istas in corde nostro concipimus. Primò per solum attactum atque afflatum Dei, qui nescio quo gratiæ suæ motu nos præveniens unico temporis momento recolligit omnes potentias nostras; intellectui nimirum communicat aliquod lumen, quod egregiam aliquam nobis patefaciendo veritatem, voluntatem nostram confestim impellit ad producendum affectum veritati isti conformem, atque iste affectus ad Deum directus est aspiratio & jaculatoria oratio, de qua loquimur. Exempli gratia, si, nihil dum cogito, subitò mens prævenitur atque illustratur quadam notitiâ, quæ ei dicit: *Deus te videt, singulariterq; sibi complacet in eo, quod oculos habeat in creaturis suis defixos: Et tu quid cogitas?* Mox voluntas huic lumini correspondens affectum aliquem cœlum versus evibrans ait: *Quis sum ego, Domine, quia oculos in me tuos divinos defigis?* Aut certè: *Utinam mundus essem ab omnibus imperfectionibus meis, ut oculis tuis acceptior forem!* Aut denique: *Tu ubique me respicis, Domi-*

Primus modus fit in nobis sine nobis.

Domine, & quidẽ oculo supra modũ attento! Ego vicissim te in omnibus & ubiq; intuebor, volo enim, ut cor & cogitatio mea in te sit incessanter defixa. Hoc primo modo aspiratio in nobis enascitur absque ulla arte atque industria ex parte nostra, sed hoc ipso quod simpliciter afflatui & commotioni Spiritus sancti obedimus.

Alter modus à nobis ampliùs dependet, estque situs in eo, quod nosipsi sollicitè, diligenter atque industriè connitimur, ut nos colligamus atque in Deum elevemus. Cui rei necessarii non sunt magni discursus aut profundæ considerationes, sed solùm, ut ex omni eo, quod nobis occurrit, occasionem captemus laudandi ac benedicendi Deum, aut certè revocandi in memoriam veritatem quandam aliàs cognitam ac bene degustatam, ad cujus intuitum voluntas non possit non rursus inflammari. Exempli gratia: Audis quempiam enarrantem conversionem cujusdam Hæretici aut peccatoris; concepta inde lætitia te urgebit, ut Deum hac vel simili ratione collaudes: *Quantum gaudeo, mi Deus, de istarum conversione animarum! Eja, Domine, hac ratione de omnibus inimicis tuis triumphum agas, eosque ad sanctam fidem tuam, tuorumque sanctorum præceptorum observationem reducas.*

Ubi vides aut ab aliis depingi audis mundanorum vanitatem, ardoremque, quo vitæ præsentis delicias prosequuntur, dicere poteris cum sancto Augustino: *O si tales essemus amatores vitæ permanentis, quales homines*

sunt

sunt amatores vitæ fugientis! Si vides Fratrem aliquem in sui humiliatione patientem, occasionem inde sumes excitandi aspirationem ac dicendi: *Quantum tibi hic Frater meus hoc in statu placet, Domine, virtutis illius me quæso fac participem.*

Salutando aliquem Religiosum tibi obvium, vel certè ipsi colloquendo dices. *Domine, hic unus est ex prædestinatis, quibus per tuam me gratiam associasti?* Aut certè: *Ipsum honoro, Domine, quia tu ipsum amas.* Aut denique; *Non video nisi unum hominem, attamen ipse solus non est, quia Angelus tutelaris ipsius à latere ejus est. Domine, ego & unum & alterum simul revereor & honoro.*

Ecce qua ratione ex singulis quibusque rebus occasionem captare possumus ad Deum nos elevandi. Quod si cui exempla ista nimis humilia videantur & abjecta, atque aspirationum argumentum nimis infirmum, noverit ille, de exercitiis interioribus ubi agitur, non tam esse connitendum, ut multùm evehamur in altum, quàm ut in omnibus, etiam minimis atque abjectissimis, rebus cum judicio, prudentia, atque ad Deum respectu agamus.

Atenim quæ diximus hactenus, ea sufficere nullatenus existimato; eâ quippe ratione si horâ integrâ nihil nobis occurrerer, illam integram transigere absque ulla de Deo cogitatione possemus, id quod fieri nullo modo debet: hoc etenim aspirationum exercitium non eò solùm respicit, ut illius beneficio in via Dei

Finis aspirationis est, ut progrediamur, non verò dumtaxat

ut in via prrfectionis continueamur.

Dei conſervemur : Verùm etiam, & quidem multò ampliùs, ut in ea progrediamur, atque in Dei amore incrementa ſumamus. Eapropter quàm fieri poteſt frequentiſſimè excitare nosipſos debemus ad ſanctos quosdam eliciendos affectus, ac præcipuè ad repetendos, & quaſi ruminandos illos, quos in oratione matutina deguſtavimus, aut quibus aliquatenus commoti fuimus, uti mox dicemus.

Perfectio & conſummatio in exercitio aſpirationis.

Illis, qui in oratione ac Dei amore jam tum multum profecêre, hocce exercitium fermè tranſiit in naturam. Adeoque inadvertenter quaſi cor eorum, fornacis inſtar ardentis, nunquam cœlum verſus ferventiſſimas aſpirationes, quaſi totidem ſcintillas, non emittit, proindeque quidquid agant atque ubivis exiſtant, ſive intra ſive extra Monaſterium, diu noctuve, ſoli an in ſocietate, in actione aut quiete ſemper in continuo ſunt cogitatu ſenſuque de Deo. Illi loquuntur, plurimaque ardentia verſus ipſum deſideria deſtinant ; non ſecus atque avarus ; qui ſuorum amore theſaurorum impotenter accenſus non poteſt, quin de illis continuò cogitet, corque ſuum in ipſis defixum habeat. Iſtis eapropter nullam præſcribimus regulam aut induſtriam, quia illi ex ſeipſis multò meliùs, multòque ampliùs faciunt, quam Regulæ quævis illis præſcribere poſſent.

Qua ratione aſpirationum exercitio aſſueſcere atq; illo uti debeamus.

Aſpiratio continua conſtituit

HAc in continua actualique converſatione affectiva cum Deo præcipuè conſiſtit ſpiritus

ritus sacri Ordinis nostri, juxta illa nostræ sacræ Regulæ verba: *Die ac nocte in Lege Domini meditantes.* Vox enim *meditari* non innuit, quasi semper considerandis ac penetrandis rebus divinis esse debeamus intenti; hoc enim humani animi atque intellectus infirmitati impossibile est, sed per *meditari* intelligere debemus affectionem cordis ac voluntatis ardorem, quæ non solùm amando nunquam lassatur, sicut intellectus speculando fatigatur, quin potius è contrario, quò amat ampliùs, eo plus allectationis, voluptatis ac vigoris persentiscit ad magis magisque amandum.

principalem spiritum nostri Ordinis.

Qua in re profectò sacræ nostræ Religionis spiritus longè sublimissimus est, quem proinde Fratres nostri permagni facere debent, quia optima hæc hæreditas est, quæ in mundo obvenire cui possit, vocatos videlicet esse nos ad eum statum, in quo profitemur exercitium illud, quod eximia est vitæ, quam Beati in cælis ducunt, imitatio. Sicut enim Beatorum in cœlo vita sita est in continua Dei visione, intensissimo amore ac laude, ita vita Religiosi Carmelitæ in eo esse debet, ut semper & in omnibus Deum intueatur, & cor habeat in ipsum elevatum. Et quò noster in Deum amor præsentior, verior atque indesinentior fuerit, eò erit amori Beatorum similior.

Verum quidem est, hoc rectè requiri non posse à Novitiis, optandum tamen esset, ut illuc pertingere conniterentur, practicando exercitia spiritualia præsentiæ Dei, quæ sequentibus capitibus illis suggeremus: quorum, veluti

Quos Novitios spectare debeant in hoc exercitio aspirationum.

veluti totidem graduum, beneficio & operâ, indubiè ad supremum eximiumque unionis intimæ atque amorosæ cum Deo pertingent fastigium. Et verò nunquid æquum est, saltem nos aspirare ad tantum amorem concipiendum erga Deum, quanto plures mundani feruntur in mortales creaturas, de quibus non possunt non diu noctuque cogitare? Et si quos etiam reperire est aliquando, qui ob amoris violentiam tabescunt, adeoque langueſcunt, ut etiam pro eo quod amant, mori desiderent; nos amore vulgari & mediocri in Deum nostrum contenti esse debemus? Præcipuè cùm miseri illi atque insensati post mortem à creaturis, quas amant, sperare omnino nihil habeant, nos verò à divina bonitate expectemus felicitatem, lætitiam & gloriam sempiternam. Atque ut paucis expediamus, quandoquidem videmus mundanos continuò vacare invocandis Diis suis, hoc est singulis pene momentis elicere desideria rerum caducarum, quas fermè usque ad idololatricam depereunt adorationem, uti divitiarum, honorum, voluptatum ac similium; cur nos incessanter non invocemus Deum verum, quem adorare debemus in spiritu & veritate? Cur ad suæ Majestatis divinæ thronum ferventia vota, ardentiaque desideria ipsum continuo ac vigoroso amore prosequendi frequenter non emittamus? Non puderet nos minori in ipsum ardore ferri, quam homines hujus seculi ferantur in commentitias hujus mundi divinitates? Quod si in veteri Lege mandavit, ut in Altari nunquam non esset ignis, quem Sacerdos studiosè

diosè foveret, adjectis quovis manè lignis, id profectò non fecit, quod de igne materiali ei cura esset, sed potiùs ut nobis insinuaret, cupere se, ut sancti amoris sui ignis in cordis nostri Altari continuò ardeat, illumque nos quovis manè, orationis beneficio, adjecto nutrimento alamus, atque etiam aspirationum afflatu identidem impediamus ne restringuatur. *Ignis semper ardebit in Altari, quem nutriet Sacerdos, subjiciens ligna manè per singulos dies. Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in Altari.* Levit. 6. 12.

Quòd si igitur Novitii nondum sint è numero illarum fornacum ardentium, quæ ardentis amoris flammas vivacibus ac fervent ibus aspirationibus indefinenter ejaculantur, exiguum saltem in corde suo igniculum accendere sensimque amplificare atque adaugere conabuntur. Præsertim contendent, ut ingens concipiant desiderium Dei, quod quidem desiderium ferventer ac frequenter Deo, orationum jaculatoriarum operâ, expositum ipsos brevi tempore, ac viâ multùm compendiosâ ad affectivam & continuam cum ipso Deo unionem, qua de loquimur, perducet.

Fructus ex aspirationum exercitio promanantes.

EA, quæ diximus hactenus, satis esse deberent invitandis Fratribus nostris ad magni faciendum aspirationis exercitium, inque illud toto pectore, quod ajunt, incumbendum: at fructus, qui præterea ex illo indies

animabus obveniunt, ampliſſimi ſunt, illosque ad ipſum conſectandum incitare debent quàm vehementiſſimè.

Primus fructus. Primò aſpiratio frequens cor noſtrum convertit ad Deum, illique ipſum tenet alligatum certo quodam cum vigore ac diſpoſitione ad generosè amplectendas quasvis obvias mortificationis ac virtutis occaſiones. Qua enim ratione in occaſionibus iſtis ab officio ſuo erga Deum deſciſceret, qui jamjam fidelitatem ei ſuam eſt conteſtatus? E contrario experimur plerosque defectus noſtros oriri ex eo, quod neque ad Deum ſimus, neque ad nosipſos attenti.

Alter fructus. Secundò aſpiratio frequens in certo quodam nos collocat ſtatu, qui proximè accedit ad impeccabilitatem, cùm nos adverſus omnes Cacodæmonis tentationes invulnerabiles efficiat; qui etenim exercitio huic aſſueverit, intellectum habet tantoperè reſeratum, perſpicacem & illuſtrem, ut fruſtrà ei Dæmones inſidias ponant, quia ipſe ſe in cælum mirâ velocitate attollit. Id quod obſervavit Sapiens, atque ſub avis figura expoſuit, inquiens: *Fruſtrà jacitur rete ante oculos pennatorum:* ita quoque Diabolus fruſtrà inſidias ſtruit animabus illis, quæ aquilarum inſtar in cœlum avolant, quarumque converſatio magis in Deo, quàm in terra eſt.

Prov. 1. 17.

Tertius fructus. Tertiò frequens aſpiratio purificat mentem, nimiam in agendo celeritatem, ac naturæ ferventioris præcipitationem cohibet, in omnibus ſapienter & circumſpectè procedere docet, ac ſaltem Religioſum aſſuefacit primis cogita-

gitationibus in Deum semper defigendis, atque ab ipso in omnibus petendo consilio, ne in quampiam rem leviter præcipitem se agat.

Tandem Seraphicus Doctor S. Bonaventura author est, cùm Deus sit ignis consumens, tantum frigoris decedere, tantumque animæ accidere spiritualis caloris, quantum Deo per amorem propinquior fit: *Scintillantibus affectionibus, insatiabilibus desideriis, unitivis aspirationibus.* *Lib. de Theol. myst. c. 3.*

CAPUT XXIX.

Methodus in orationis aspirativæ exercitio servanda.

PRimò assignabimus regulas generales in ipso observandis, deinde annotabimus aliqua puncta, in quibus quis posset deficere, ut caveantur.

Regulæ in aspirationum exercitio servandæ.

PRima est; ut primo manè sollicitè seligamus exercitium aspirationum, cui die illo cogitemus insistere. Hoc est, ut nos muniamus aliquot cogitationibus sanctis atque ad aliquos bonos determinemus affectus, ut ubi de Deo nobis in mentem venerit, statim in promptu habeamus, quod ei dicamus; uti nobis commendat Isaias, ubi ait: *Qui reminiscimini Domini, ne taceatis, & ne detis silentium ei.* *Seligere aliquem conceptum & affectū.*

Sunt qui, non sine magno emolumento, hunc delectum faciunt post horas matutinas, selectasque cogitationes memoriæ imprimunt, priusquam ad somnum redeant, ut manè ubi primum experrecti fuerint, statim illæ in mentem veniant; sicut is apud quem depositus est thesaurus, sive cui pretiosi alicujus monilis demandata custodia est, semper ei proximus adjacet, moxque ubi evigilaverit extentâ manu, num fortè sit furto sublatum explorat.

Hoc in delectu necesse non est argumenta multiplicare, quia una cogitatio sive conceptus sufficientem suppeditare materiam potest aspirationibus integrâ septimanâ, imò mense fovendis. Utilissimum tamen erit, ut Novitii delectum hunc instituant materiæ meditationum suarum conformem, duos, tresve conceptus accipiendo ex iis, quibus fuerint amplius permoti in suis ultimis orationibus, nisi malint particulariter inhærere argumento illi, de quo die illo sunt meditaturi.

Animum habere liberum.

Altera regula est, ut non obstante prædicto delectu, maneamus tamen in magna animi libertate ad obediendum afflatibus atque impulsui Dei nostri, si ille nos velit ad ei super alia quapiam re loquendum excitare. Tametsi enim singulis commendari soleat, ut ordinariè non producant aspirationes nisi statui suo conformes, Incipientes videlicet compunctionis, Proficientes desiderii in Deum, ac Perfecti amoris ferventissimi atque unitivi; nemo tamen recusare debet actus suo statu producere sublimiores, si advertit interius ad hoc à Deo se invitari. At quantamcumque quis interius per-

perſentiſcat commotionem, nunquam familiarem ſe Deo exhibere debet, niſi intra limites profundæ humilitatis, maximæque reverentiæ: contrarium verò ſæpiùs illuſio eſt, atq; in amorem degenerat ſenſualem, qua de re experientias habemus funeſtiſſimas.

Tertia regula ſervit modo producendi actum aſpirationis, qui talis eſſe debet: Ubi quis Dei reminiſcitur, ſubitò animum colligere, quantumque poteſt, momento illo tranquillum habere debet; mox conari bonam aliquam cogitationem, piumque ad Deum affectum concipere, ac tandem cor mentemque in Deum magnâ cum attentione atque affectione defigere. Hoc totum in Provectioribus uno temporis momento fieri poteſt, at Incipientes ſpatio temporis, quo dici poſſet ſalutatio Angelica, illi poterunt immorari, ut habitum melius acquirant. Quod ſi ſis in privato, ore proferre poteris, quod mente conceperis, quia hac ratione majorem non ratò nobis conciliamus attentionem; at ſi fueris in aliorum ſocietate, ſufficiet corde loqui absq; ullo exteriore geſtu aut ſigno, verbi gratia, levãdo oculos ad cœlũ &c.

Modus producendi aſpirationem.

Quarta. Ut nunquam exuamus deſiderium atque intentionem continuandi hoc ſanctum exercitium, quæcumq; nobis occurrant negotia, & quantamcumq; animi experiamur inſtabilitatem, quin potius connitamur unam attentionis noſtræ partem Deo nunquam non reſervare. Ad quod nullâ opus eſt violentiâ, ſed ſolùm ut cordis noſtri tranquillitatem ac recollectionem meliore, quo poſſumus, modo conſervemus, quo ita ad loquendum Deo ſemper

Nunquam hoc exercitium negligere.

& ubique comparati simus. Atque ubi ab hac attentione distractos uos advertimus, plus æquo turbari aut tristari non debemus, sed simpliciter ad nos redire atque iterùm cor nostrum offerre Deo. Quotiescunque porrò distractio ista subrepserit, toties nos rursus debemus colligere. Ex frequenti enim nostri collectione tandem in illa persistere discemus, atque ubi semel in fundo cordis nostri gustârimus, quàm suavis est Dominus, nihil nobis facilius, nihilque ingenio nostro erit conformius, quàm ista collectio, atque ad nosmetipsos reditio. Anima enim nostra in eo non modicum persentiscet oblectamentum ac jugem allectationem, sicuti videmus piscem, qui est extra aquam, desiderare atque omnibus modis conniti illam repetere. Cumque in illam rejectus fuerit vitam resumere videtur, quia suum repetiit elementum.

Quantum ad *qualitatem specificam* istarum aspirationum attinet, ad nullam alligare nos debemus aut astringere, sed magis sequi instinctum Spiritus sancti, occasionibusque nactis nos accommodare. Quandoque erunt amoris, gaudii, desiderii, spei, sanctæ audaciæ erga bonum; quandoque odii, fugæ, doloris, timoris, ac sanctæ indignationis adversùs malum: aliquando elicientur per modum voti, seu desiderii, aliàs promissi, aliàs petitionis, aliàs admirationis, aliàs suiipsius humiliationis coram Deo; Denique virtus nulla est, cujus actus non possit aspirationibus præbere argumentum. En aliquot exempla ex libro Psalmorum præcipuè extracta.

Actus

Actus

Amoris simplicis complacentiæ: *Dixi Domino: Deus meus es tu.* Ps. 15. 2.

Desiderii. *Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea: faciem tuam, Domine, requiram.* Ps. 26. 8.

Gaudii. *Anima mea exultabit in Domino: & delectabitur super Deo salutari suo. Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi?* Ps. 34. 9. 10.

Spei. *Mihi autem adhærere Deo bonum est: ponere in Domino Deo spem meam.* Ps. 72. 28.

Confidentiæ, *Dominus mihi adjutor, non timebo, quid faciat mihi homo. Si consistant adversum me castra: non timebit cor meum.* Ps. 117. 6. Ps. 26. 3.

Sanctæ audaciæ. *Quis nos separabit à charitate Christi? Certus sum, quia neq; mors, neq; vita &c.* Rom. 8. 35.

Odii ac fugæ mali. *Iniquitatem odio habui & abominatus sum: Legem autem tuam dilexi.* Ps. 118. 103.

Tristitiæ. *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est: multùm incola fuit anima mea.* Ps. 119. 5.

Doloris de præterito. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Isa. 38. 15.

Timoris. *Confige timore tuo carnes meas: à judiciis enim tuis timui.* Ps. 118. 20.

Sanctæ indignationis. *Exurgat Deus & dissipentur inimici ejus: & fugiant, qui oderunt eum, à facie ejus.* Ps. 67. 1.

Ps. 54. 8. Per modum desiderii. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? & volabo & requiescam.*

Ps. 118. 44. Per modum promissi. *Et custodiam Legem tuam semper: in sæculum & in sæculum sæculi.*

Ps. 30. 17. Per modum petitionis. *Illustra faciem tuam super servum tuum.*

Ps. 30. 20. Per admirationem. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!*

Infiniti sunt alii modi se elevandi & convertendi ad Deum super diversis materiis, quos hic non specificabimus, cùm ea, quæ diximus, sufficiant ad ostendendum, nullam in anima esse speciem affectionis, quæ non possit formandis aspirationibus inservire. Solummodò advertendum est, non esse necesse semper loqui Deo in secunda persona, sufficit enim aspirationem ad eum quocumque demum modo tendere: Quin imò reverentia ipsa quandoque animam cohibere videtur, ac si os adloquendum divinæ Majestati aperire non auderet. Id quod rejiciendum non est, cùm Virgo sacratissima hoc modo sit usa in suo illo divino Cantico, ubi non dicit; *Domine, magnificat te anima mea*, sed *magnificat anima mea Dominum.* Verùm in hoc, uti & toto exercitii istius usu ex parte nostra necessaria est bona voluntas, atque ut de reliquo sequamur inspirationem atque impulsum Spiritus sancti. Nihilominus abs re non erit annotare

Quinam

Quinam in hoc aſpirationum exercitio ſint evitandi defectus.

PRimò non tam attendendum eſt, ut multas & in magno numero producamus aſpirationes, quàm ut illas, quas facimus, bene faciamus. Quia plures ſine ſpiritu productæ tantum nobis non proderunt, quantum una ſola cum ſapore & affectu evibrata: *Volo quinq; verba ſenſu meo loqui*, ait divinus Apoſtolus, *quam decem millia verborum in lingua*. Nunquam etiam illas producere oportet ex conſuetudine aut uſu, feſtinanter, perfunctoriè aut coactè, neque etiam adeò frequenter, ut in nauſeam abeant, ſed cum attentione, affectione, ac ſinceritate. Quod ſi quandoque te invenias remiſſum, negligentem, atque abſque devotione, id ages quod inferiùs monito quinto dicturi ſumus. 1. Cor. 14. 19.

Secundò non tam inſiſtendum nobis eſt diſtinctè cognoſcendis aut vivaciter penetrandis rebus, quæ ſpiritum noſtrum excitant, quàm connitendum, ut magno animo atque optimâ voluntate in Deum feramur. Neque etenim exercitium iſtud per ingenii ſubtilitatem addiſcitur, ſed per amoroſam cordis in Deum elevationem: qua in re ſimpliciſſima affectio plus valet, quàm ea, quæ in omnibus mundi libris conſcripta ſunt, univerſa.

Eandem ob cauſam reprehenduntur illi, qui pulchras conſectantur cogitationes & conceptus, exquiſita verba, ingeniique ſubtilitates ad exprimendas ſuas aſpirationes,

id quod non nisi curiositatis est, atque hac in re, qua de agimus, nihil prævalet simplicitati; unicum ergo verbum ex animo ac bono corde prolatum sufficiet.

B. Maria Magdalena de Pazzi mirabili afficiebatur suavitate ruminando atque identidem recogitando hæc duo verba: *Voluntas Dei.* Alii eandem percipiunt suavitatem in his aliis verbis: *Delectare Deum. Esse talem qualem vult Deus; vivere Deo, glorificare Deum,* & similibus, quæ in æternum repetererent, quin tædio afficerentur; atque ista frequentius illis materiam præbent orationis jaculatoriæ.

Tertiò necesse non est quærere Deum procul à nobis, ut ad illum aspirationes nostras dirigamus, cùm propè nos sit, dicente Apostolo: *Non longè est ab unoquoq; nostrum, in ipso enim vivimus, movemur & sumus*: quia nimirum cuncta implet suâ immensitate. De quo pluribus capite sequenti.

Act. 17. 28.

Diversi modi considerandi Deum præsentem

Non desunt tamen, qui cum fructu repræsentant sibi Deum quasi considentem ac regnantem in cœlo, ac vigili oculo cuncta, quæ aguntur in terra, pervidentem; & quasi oculos expresse haberet defixos in ipsos, illi contrà affectus sui cordis ad ipsum in cœlum revibrant. Alii expedientius censent, atque etiam experiuntur, si Deum concipiant modo spirituali ori per totum mundum quasi diffusum absque alia distinctione, illique tanquam in in loco, ubi ipsi sunt, præsenti loquantur. Atque alii etiam ei loquuntur ut intimè præsenti intra seipsos atque in intimo suorum animorum. Hic tertius modus omnium optimus est,

est, quia simplicissimus, maximeque recollectus. At si quis illo tam citò uti nequeat, aliorum duorum usus ei esse poterit, donec ad istum paulatim perting it.

Tres isti concipiendi Deum præsentem modi diversi faciunt, ut actus interiores præsentiæ Dei tria quoque fortiantur diversa nomina, Etenim affectus cordis nostri ad Deum vibrare versùs cœlum appellatur *oratio jaculatoria* atque *elevatio cordis.* Illos ad ipsum veluti propè nos consistentem dirigere *aspiratio* seu familiaris conversatio est. Agere cum ipso veluti intra nosmetipsos residente vocatur *amorosa conversio* seu affectivus reditus in seipsum atque in Deum, juxta id quod ait Psaltes: *Convertere anima mea in requiem tuam.* Id quod eò est melius atque utilius, quò simplicius & intimius.

Quartò illi, qui aliquando adverterent se devotione sensibili in aspectu charoque intuitu graviotum veritatum vehementer transportari, id quod fit quasi momento, nihilo tamen minus animâ in tali quasi raptu, atque, ut ita dicam, extra se positione persistente, ut penè nihil ampliùs sentiat; sed non respiret, non sapiat, non sentiat nisi Deum, ita loquendo, innatando huic vasto tantæ dulcedinis oceano: illi, inquam, hac prosperitate multâ uti debent cum discretione, omninòque cavere, ne nimio cum ardore hunc affectum fovere contendant, ne fortè graviorem sibi capitis dolorem adsciscant. *Mel inveniſti*, ait Sapiens, *comede quod sufficit tibi, ne fortè satiatus evomas illud.* Id quod peroptimè intelligi potest de sensibili devo-

Differentia trium nominum, bus dantur actiqus interni præsentia Dei.

Prov. 25. 6.

devotione, cujus mel symbolum præfert. Optimum igitur factu erit, si, postquam huic sanctæ commotioni atq; impulsui consenseris, pro tunc in statu te contineas quasi merè passivo. Quod si affectus diutiùs perseveret, continuò negotium cum Patre Magistro communicabis. Atque si hoc eveniat durante aliquo actu communitatis, aut sub labore vel coram aliis Religiosis, nullum exterius signum exhibebis atque actionem exteriorem peragere porrò perges, ac si nihil interiùs apud te ageretur.

Quintò ac postremò, ubi te adverteris in statu esse ignaviæ atque ariditatis præcedenti opposito, nullatenùs persuasum habebis, debere te violenter conniti producere hujusmodi affectus, sicuti etiam suprà meminimus, ubi de oratione mentali actum fuit; conatus enim illi violentiores irriti forent, omninòque intempestivi, sed, ubi rationabiliter temetipsum suavi quadam ac breviore consideratione excitaveris ad ignavam istam negligentiam propulsandam, si frustrà id fieri adverteris, saltem ut status iste tibi displiceat, cum plena tamen in divinam resignatione voluntatem, contendes. Nihilominus coram sua Majestate divina te præsentando, subindeque oculos in ipsum conjiciendo, si fortè ad compassionem commoveatur. Tametsi etenim hoc facturus sis sine gustu, non tamen sine fructu. Oretenus dicere poteris hunc versum: *Domine, ante te omne desiderium meum & gemitus meus à te non est absconditus.* Aut istum: *Ecce Domine infirmata est in paupertate vir-*

Ps. 37. 10.

Ps. 30. 11.

tus

tus mea. Aut certè : *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* Quod ubi feceris, fructum poteris reportare non exiguum. Cant. 1. 3.

CAPUT XXX.

De Præsentia Dei orationi aspirativæ necessariò conjuncta.

EFficacius medium non est animum nostrum semper habendi recollectum, atque ad loquendum Deo dispositum, quàm ut semper ambulemus in præsentia Dei. Praxis rei hujus in sacro Ordine nostro nobis esse debet recommendatissima, illius enim beneficio S. Pater noster Elias in mundo tanta est operatus miracula, atque illam unà cum duplici suo spiritu tanquam optimam hæreditatem sancto discipulo suo reliquit Elisæo: *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto.* 3. Reg. 17. 1.

Esse autem in præsentia Dei est ipsum continuò habere ob oculos, firmiterque credere in omni nos loco ab ipso videri, veluti id credebat Regius Vates, qui de seipso ait : *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commovear.* Aut velut Sapiens ait : *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos.* Ex eo igitur manifestum fit, hoc esse medium optimum cor nostrum semper habendi recollectum; quia cogitatio ista præsentis Dei magno nos afficit metu ac reverentiâ, atq; ad omnia magnâ cum circumspectione peragenda impellit. *Quid sit esse in præsentia Dei.* Ps. 15. 8. Prov. 15. 3.

Ad

Ad hæc orationi tam aspirativæ, quàm etiam mentali hæc Dei præsentia perquàm necessaria est, quia non possumus loqui Deo nisi præsenti: qua enim quis ratione loqueretur absenti? At quoniam aspirationes nostras oportet esse frequentes, atque ad loquendum Deo nunquam non debemus esse comparati, ideircò Deum quoque semper habeamus præsentem necesse est.

Quin etiam præsentia Dei tantam habet cum aspirationibus affinitatem, ut totum exercitium istud aspirationum communiter appelletur *præsentia Dei*, tametsi propriè loquendo præsentia Dei sit quid aliud ab aspiratione, quia illa solummodò est actus memoriæ, sive intellectus, quo credimus aut meminimus nos esse coram Deo. Verùm quoniam hoc scire parùm est, voluntas in illum ferri debet per affectum, ut proinde hoc exercitium æquè atque oratio mentalis complectatur tres actus diversos trium animæ facultatum. Primus est memoriæ, quo recordamur Deum esse præsentem. Alter est intellectus, quo nobis simpliciter ac veluti in momento repræsentatur certa aliqua veritas. Tertius denique est voluntatis, quo statim devotam ac ferventem aspirationem elicimus.

Sola Dei præsentia per memoriam mortua est & insipida, neque ullatenus sufficit ad nos perducendos ad unionem cum Deo, ad quam nihilominus aspirare debemus. At illi sociata affectio illam vivificat, activamque, dulcem ac pergratam efficit. Ac proinde si bene quis velit definire præsentiam Dei eo sensu, quo ut-

pluri-

plurimùm accipitur, putà non ſolùm pro ſimplici ac nuda recordatione Dei, verùm etiam pro illam conſequente actu aſpirationis, dicet: eſſe in præſentia Dei eſſe nobis continuò repræſentare Deum ante nos, vigilanti cum attentione ad omnes actiones atque etiam ſecretiores cogitationes componendas, atque ad cor noſtrum ei ſæpius offerendum. Hoc eſt in nobisipſis occultum aliquod oratorium conſtruere, in quo ſuaviter affectuosèque recollecti ſemper commoremur ad Deum illic interioribus aſpirationibus frequenter adorandum, quem fide credimus illic reſidere.

Definitio exercitii præſentiæ Dei.

Quoniam tamen intentionis noſtræ non eſt hic tractare de præſentia Dei, niſi priori ac magis proprio modo ſumptâ, videlicet pro aſſidua Dei repræſentatione ac memoria, dicemus 1. Quantum emolumenti nobis ea conferre poſſit. 2. Quantoperè ſtudendum ei nobis ſit, ac denique quot modis exerceri poſſit.

Ingentes fructus qui nobis obveniunt ex eo, quod Deum ſemper habeamus præſentem.

PRimò ergò aſſerimus bona, quæ animabus noſtris obveniunt ex eo quod ſemper cum gratia Dei, quæ nunquam illis deeſt, qui ipſa uti voluerint, in illius ambulemus præſentia, tanta eſſe, ut hoc ſolum exercitium abſque ullo alio ſufficiat nobis ab omni vitiorum atque imperfectionum genere abſtrahendis, atque ad omne genus virtutis ac perfectionis perducendis.

Pri-

Quomodo præsentia Dei efficax sit ad nos retrahendos à malo.

Primò etenim quis, amabò, præcipitare se vellet, non dico in graviora peccata, sed etiam in minimos defectus, si cogitaret semper à Deo se videri? Quis, inquam, admittere vellet aspectum minus decentem, aut in minimam consentire immodestiam, vel minimâ etiam ineptâ cogitatione oblectari, si consideraret divinis ubique & semper oculis se expositum minimas etiam cogitationes pervidentibus? *Dominus scit cogitationes hominum, quia vanæ sunt.* S. Abbas Paphnutius sanctam quoque pœnitentem Thaidem convertit, ubi nimirum ei demonstravit, ipsam quidem ad peccandum oculis hominum se subducere, neque tamen considerare Dei oculos effugere se non posse. Sancta etiam Scriptura fidem facit, eâ solâ at fortissimâ cogitatione retractam fuisse S. Susannam, ne tentationi satis violentæ, qua à duobus impiis senibus, non sine evidenti & vitæ & famæ periculo, oppugnabatur, succumberet, ait enim: *Angustiæ sunt mihi undique, si enim hoc egero, mors mihi est: si autem non egero, non effugiam manus vestras: sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras; quàm peccare in conspectu Domini.* S. etiam Augustinus in suis Soliloquiis ait: „ Cùm „ diligenter considero, Domine, quia tu gressus „ meos semitasque consideras, & die noctuque „ super custodiam meam vigilas, omnes semi- „ tas meas diligenter notans, speculator perpe- „ tuus, veluti si totius creaturæ tuæ cœli & ter- „ ræ oblitus tantum me solum consideres, & „ nihil sit tibi curæ de aliis. Quando consi- „ dero

Ps. 93. 11.

Dan. 13. 22.

Cap. 14.

" dero, quia quidquid semper operor, tu pa-
" riter semper præsens assistis, utpote perpe-
" tuus inspector omnium cogitationum, in-
" tentionum, delectationum & operationum
" mearum, cùm, inquam, ista considero, timo-
" re pariter & ingenti rubore confundor, quo-
" niam nobis magna est indita necessitas justè
" rectèque vivendi, qui cuncta facimus ante
" oculos judicis cuncta cernentis.

Econtrariò quisquis Deum à cogitatu suo exclusérit, absque ulla moderatione in quodvis peccatorum genus præceps ruet, juxta id quod ait Propheta David: *Non est Deus in conspectu ejus: inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.* Ps. 9. 28. Quod si verum est quoad peccata graviora, verum quoq; est quoad minimas imperfectiones, quia intuitus Dei motivum est, quo pariter ad utraque resecanda impellimur, quia utraque oculis displicent suæ divinæ Majestatis.

Diximus præterea hoc exercitium Deum semper nobis habendi ob oculos præsentem sufficere nobis vehementer & efficaciter ad quodvis virtutis ac perfectionis genus impellendis; sicut enim nihil est, quod æquè ad strenuè laborandum impellat servos, atque cogitatio illa à præsentibus se Dominis suis videri; neque miles unquam dimicat generosius, atque ubi novit à suo belli Duce se conspici; ita Religiosus Dei servus ac miles Jesu Christi plurimū ad omnigenas virtutes ac mortificationē amplexandam excitatur, ubi considerat Dei oculum super se vigilanter apertum. *Quo ratione præsentia Dei efficax sit ad nos impellendos ad virtutem.*

Ex ista eximia praxi ergò nascitur abalienatio ab omni malo, atque ad omne bonum pro-

progressio, consequenterque insignis vitæ sanctitas ac morum puritas, modestia exterior, atque interior pax & tranquillitas admiranda. Eapropter hoc unum erat ex primis ac præcipuis documentis, quæ veteres Patres nostri suis olim Novitiis, mox à suo in Religionem ingressu, suggerebant: Nunquam, inquiebant ipsis, corda vestra à Dei recordatione abstrahite. Cogitate illum semper esse coram vobis & vos coram illo, atque istud est paucis comprehensum eorum omnium, quæ ad sanctitatem consequendam necessaria sunt, compendium. Ipse etenim Deus hoc solum præceptum tanquam unicè necessarium sug-
Gen. 17. gessit Abrahamo, ubi ait: *Ambula coram me, & esto perfectus.*

Plurimùm nobis in hocce præsentiæ Dei studium incumbendum est.

QUandoquidem exercitium illud tot tantaque confert emolumenta, ideoque tantoperè cordi & curæ fuit iis omnibus, qui in isto sancto vitæ nostræ instituto nos præcesserunt, æquum profectò est, ut & ipsum nos magnâ cum sollicitudine amplexemur, adeoque ipsum nobis familiare reddamus, ut nobis quasi in naturam convertatur. Etsi verò Novitiis fortassis initio difficile sit illi se subjicere, animum tamen despondere nequaquam debent, quia paulatim ac sensim sine sensu facillimum ac jundissimum ipsis evadet.

Verum quidem est, hoc exercitium constanter & contentè practicatum videri totalem corruptæ mortem naturæ, quia per ipsum

vana

vana sensuum libertas omninò resecatur, imaginationis evagationes cohibentur, supprimuntur immoderati risus, recreationes inutiles, ac jactura temporis aboletur, atque, ut verbo dicam, ad hoc, ut quis continuò in præsentia Dei perseveret, omninò necessarium videtur, ut jam tum vivus in numero mortuorum sit, omninòque hujus vitæ delectationibus, ob ingentem in mortificando se fidelitatem, quæ huic exercitio inseparabiliter adhæret, nuncium remiserit. Veruntamen hoc terrrere dumtaxat debet eos, qui nimium sui-metipsorum sunt amantes : at si Fratres nostri vel tantillum habeant sinceri erga Deum amoris ac desiderii suæ perfectionis, omne gaudium suum in mortificatione pro Deo constituent, dicentes cum Apostolo : *Mihi vivere Christus est & mori lucrum.* Aut certè cum Psalmista in Deo suam constituentes oblectationem, dicent : *Quoniam propter te mortificamur totâ die : æstimati sumus sicut oves occisionis.* *Phil. 1. 21.* *Delectare in Domine. Ps. 43. 22.*

Verùm quid esse difficilè potest ei, qui Deum intuetur præsentem, suorumque spectatorem, ut ita dicam, præliorum ? Quantam inde percipiet suis in afflictionibus consolationem atque in tentationibus generositatem ? Quod si oculis essemus satis perspicacibus, ut videre possemus Deum cunctis nostris difficultatibus præsentem, manu præferentem coronam, ac supra modum ad nos attentum, quid foret in mundo, quod impedire aut retardare nos posset ? Contemnere Regem est, illo præsente ignavum agere ac socordem, quæ culpa eo

gravior est, quando ipsius Regis hoc in conflictu res agitur. Nostri autem conflictus fiunt pro Deo, plurimùm ergò ipsum offendimus, ubi ignaviter ac levi brachio dimicamus.

Idea quam quis habere potest de præsentia Dei.

Cogitatione fingamus totum hunc mundum esse ingentem aliquam planitiem, in qua Deus cuncta quæ fiunt, incessanter consideret. *De cœlo respexit Dominus; Vidit omnes filios hominum. De præparato habitaculo suo respexit super omnes, qui habitant terram,* Homines hoc in plano camporum æquore agunt tanquam Athletæ in pugnando sese exercentes: illic Deus considerat quosnam quis perferat dolores, quam mortificationem suscipiat, quos patiatur insultus, tandemque quis victor evadat, & quis succumbat: Quisnam obsecto hinc magnam in laboribus suis & continuis mortificationibus non hauriat consolationem? Quid non æquum est pro Deo nos facere, cùm tanta homines pro aliis faciant hominibus; milites, inquam, pro Regibus, dum hi illos coram intuentur? Quæ etenim pericula non adeunt? Quot sese vulneribus non exponunt? Tormentorum explosionibus sese rectà opponunt; in mediam quasi grandinem catapultariorum ictuum sese injiciunt, inimicum perveſtigant, equitum ordinatas phalanges pervadunt, pedestres cuneos perrumpunt, ac perfringunt, &, quasi novam vitam reperturi in morte, prorsùs nil metuunt. Ecquanam igitur ratione fieri posset, ut nos ex præsentia Dei nostri tantum animi vigorisque ad vitia ac passiones nostras debellandas, salutis nostræ inimicos profligandos, virtutumque praxin generosè;

Ps. 32. 18.

rosè, etiam in occasionibus difficilioribus, amplexandam non hauriamus, quantum illi ex Regis præsentia hauriunt animi roborisque ad morti se exponendos?

Cum ipso sum in tribulatione. Ps. 90 15.

Quod verò quovis in loco, præcipuè verò in conflictibus nostris, noster nos Deus intueatur, Scriptura sacra non uno loco fidem facit, illiusque rei exempla non pauca neq; contemnenda suppetunt. Inter alia de S. Antonio in vita illius sanctus quoque Athanasius recenset; sanctum illum Anachoretam aliquando etudeli oppugnatione à Diabolis invasum, pluribus in sui corporis locis ad mortem penè usque fuisse lauciatum. Postquam ipsi retrogressi fuerant, sanctus Eremicola exiguum divinæ lucis radium cellam suam ingredientem conspicatus suaviter apud Deum conqueri cœpit atque ait: Ubi eras, mi Jesu, ubi eras in hoc tam duro arduoque conflictu? Cui Christus, hic eram, inquit, Antoni, singulariterque fidelitate tua contuenda oblectabar. Fratres igitur nostri exercitio huic familiariùs assuescãt, fructusq; inde sine numero percipient prorsùs obstupescendos.

Iuxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde. Ps. 33. 16.

Diversi modi practicandi exercitium præsentiæ Dei.

SAncti Patres, qui nobis de vita spirituali scripserunt, tria distinguunt genera præsentiæ Dei, imaginariæ scilicet, intellectualis atque affectivæ.

Quid sit præsentia Dei imaginaria.

Præsentia Dei *imaginaria* est, ubi nobis repræsentamus sacram Salvatoris nostri humanitatem, omnesque actiones nostras in illius exetcemus præsentia, ac si ipsum oculis nostris corporeis cerneremus, conando

illas eâdem cùm perfectione peragere qua faceret ipse, si in terris etiamnum degeret. Aut certè hujusmodi præsentia est, ubi nobis repræsentamus Deum formæ instar corporeæ per mundum universum latè diffusæ, quæ cœlum terramque suâ repleat immensitate, veluti lumen Solis aërem replet,

Est; ubi illum consideramus, ut cuncta per intimam suam in ipsis inhabitationem vivificantem, omnibusque creaturis agendi vires tribuentem, sicut anima corpus vivificat, omnibusque illius membris agendi vim præbet.

Quomodo Deus immensitate suâ repleat totũ mundum.

Est denique, ubi ipsum concipimus, quasi qui totum hunc orbem circunder, penetret atque inundet, sicut vastum mare, in quo nos sumus, vivimus & movemur, veluti in mari isto materiali sunt pisces: sicut enim pisces quocumque ferantur, aquam semper inveniunt, ita quoque nos nullum adire possumus locum, quantumvis occultum, in quo Deus non sit. *Ps.138. 9.* *Si ascendero in cœlum tu illic es*, inquiebat Psalmographus, *si descendero in infernum ades. Si sumpsero pennas meas diluculo & habitavero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me. Et dixi: Forsitan tenebræ conculcabunt* (hoc est abscondent) *me, & nox illuminatio mea in deliciis meis.* At frustrà: *quia tenebræ non obscurabuntur à te & nox sicut dies illuminabitur.*

Quid sit præsentia intellectualis.

Præsentia Dei *intellectualis* est, ubi sine ulla imagine aut repræsentatione corporea per simplicem dumtaxat actum fidei consideramus Deum, aut veluti peccatis nostris irritatum,

tum, aut veluti servitio nostro infinitè dignum, aut mirabili providentiâ suâ cuncta in hoc mundo suaviter disponentem, aut denique generalius ubi veritatibus quibusdam sive placitis aut axiomatibus sive sententiis utimur; illas ruminando, quo ita animum recolligamus, ac mentem in Deum elevemus: Exempli gratiâ is, qui vivâ ac firmâ fide credit, nihil in hoc mundo fieri præter voluntatem aut permissionem Dei, nihilque sibi peculiariter accidere, quin hoc ei divina providentia immittat, is, inquam, præsentiam Dei habet intellectualem, atque in omnibus, quæcumque ei occurrerint, sive agendi sive patiendi occasionibus omnia semper in voluntatem Dei referet tanquam in primam causam.

Quid sit præsentia Dei affectiva.

Præsentia Dei *affectiva* est, ubi pio quodam atque actuali voluntatis affectu sapidè ac luminosè degustato anima manet in certa quadam actuali inclinatione ad Deum, quem vocare possumus *statum adhæsionis*, quia hoc in statu anima Deum non solùm habet præsentem, verum etiam illi intimiùs adhæret. Generaliùs etiam dici potest, hanc Dei præsentiam affectivam esse, ubi Dei amor in anima nostra tantoperè ardet, ut instar vehementer succensæ fornacis continuò scintillas, hoc est ardentes aspirationes, ejaculetur; ita nimirum, ut perfectissimè sciamus, quàm Deus sit amabilis, non quia legimus aut intelleximus, sed quia ipsi experti sumus. Atque hicce experimentalis gustus vox illa æterna atque inexorabilis est, quæ animam in intimo illius recessu sine intermissione ad Deum appellat; quam quidem

vocem audire sibi videbatur S. Ignatius Martyr, quasi ista ei insonantem: *Veni ad patrem.*

Sensus iste affectivus particularis quandoq; est, ac circa materiam determinatam, id quod proprium eorum est, qui nondum satis diu sunt exercitati, neque his exercitiis assueti, aut in illis consummati ac perfecti. Exempli gratiâ is, qui vehementiori cum sensu & affectu gustârit magnitudinem beneficii vocationis suæ, aut quòd Deus ipsum, multorum instar aliorum, in statu peccati mortalis è vita præsenti non subtraxerit; hunc affectum sagittæ instar cordi suo infigit, qui ipsum indesinenter ad gratias Deo pro hoc beneficio referendas, atq; ad ei in omnibus & per omnia, patiendo & agendo, quantum infinito amori ipsius obstrictos nos agnoscamus, contestandum perurget. Atque ubicumque sit ac versetur, hæc semper ejus animum pulsat cogitatio: *Nisi quia Dominus adjuvit me: paulòminùs habitasset in inferno anima mea.* Ex quo fit, ut cor ipsius complures evibret sanctas aspirationes atq; ardentes affectus gratiarum actionis, humiliationis, ferventioris desiderii faciendi aliquid, quo huic beneficio mutuum referatur, aliosque consimiles.

Ps 33 17.

Hoc ultimum præsentiæ Dei genus ordinariè non consequitur, nisi qui multo jam tempore in aliis sese exercuit. Non tarò tamen evenire etiam solet, ut Deus hoc iter nonnullis abbreviet. Quod si quis sciscitetur, cuinã ex tribus potissimũ studendũ sit, respondemus studendũ quãmaximè esse illi, quod cuivis occurrit facilius æquè ac fructuosius. Non tamen abs re

erit

erit exponere quodnam Novitiis potissimùm conveniat.

CAPUT XXXI.

In quodnam præsentiæ Dei atq; orationis aspirativæ genus potissimùm incumbere debent Novitii.

FAcili conjecturâ assequi licet, præsentiam Dei Novitiis magis propriam & accommodatam esse primam ex tribus illis, quas suprà commemoravimus, neque ullatenus consultum esse; illos initio ad plures aspirationes producendas obstringere; quia cùm in oratione non multum adhuc profecerint, vel illas in vanum elicerent absque fundamento, ratione aut motivo; vel sibi caput obtunderent, ac frangerent pectus, ut volentes nolentes eas producerent cum affectu; vel denique cùm rem conficere non possent, exercitia ista interiora prorsùs abjicerent, utpote quę impossibilia sibi esse persuaderent. Omninò igitur hic necessarium est gradatim ac pedetentim procedere.

Novitii ad multas astringendi non sunt aspirationes.

Novitii tempestivè debent se assuefacere, ut sæpiùs suprà seipsos reflectant, moxque ad Deum redeant dicentes in corde suo: "Deus "me videt, sum coram ipso: Ipse est ocula- "tus testis ac spectator cunctarum actionum "mearum. *Nonne ipse considerat vias meas*, inquiebat Jobus, *& cunctos gressus meos dinumerat?* Cogitationes istæ totidem sunt

Iob. 31.

actus fidei, qui paulatim Dei memoriam animis eorum adeò firmiter impriment, ut juxta placitum S. Gregorii Nazianzeni non minus naturale ipsis futurum sit Dei recordari ac respirare. Neque hoc dumtaxat, verùm deinceps coram ipso ambulabunt cum timore, reverentia ac circumspectione. In omnibus & per omnia ei placere studebunt; omnes actiones suas ad illius majorem gloriam dirigent; in omnibus repugnantiis suis semetipsos generosè superabunt, pluresque leviores defectus atque immodestias admittere metuent, ne fortè perspicaces illos divinos oculos offendant.

Orat. 1. de Theol.

Qualem Dei præsentiam tribus primis mensibus Novitiatus practicare debeant.

Primis tribus mensibus Novitiatus pro omni exercitio aspirationis ac præsentiæ Dei ipsis sufficiet, si initio suorum operum ritè fecerint directionem, atque ipsa deinde opera dignè peregerint cum omnibus circumstantiis illis, quas in tertio Directorii hujus nostri tractatu exposuimus. Hoc est 1. ut contendant omnes Religionis actiones aggredi cum magno desiderio placendi Deo. 2. Ut deinde se communiant bonâ aliquâ consideratione, quæ si peti possit ex ipsa natura actionis, eo melior atque utilior erit. 3. Ut illas aggrediantur cum fervore & affectu, connitendo, ut in illis observent omnes necessarias modestiæ, industriæ, dexteritatis ac diligentiæ circumstantias. 4. Ut illas faciant integrè ex una parte tempetando vehementiam ac nimiam vivacitatem naturalem, si illa in ipsis reperiatur; atque ex altera parte superando tædium, quo impelli possent ad illas deserendas,

Conditiones bene peragendi quamcumque actionem.

ante-

antequam ad perfectionem sint productæ, aut ad illas obiter ac perfunctoriè perficiendas. 5. In fine instituent parvam revisionem, examinando si qui fortè intercurrerint defectus, ut de illis veniam à Deo petant; sin verò, gratias agant totamque ipsi gloriam integrè attribuant.

Novitiis pro acquirendo horum omnium habitu & consuetudine assignamus tres menses. Quod si verò nonnullis isti non sufficiant, uti reverà reperire plures est, quibus non sufficiunt, illi exercitia illa prosequentur, quin alia assumant, quamdiu Patri Magistro expedire videbitur, ita ut caput interioris occupationis ipsorum pro eo tempore esse debeat, ut contendant omnia Religionis exercitia exteriora dignè peragere coram Deo atque cum ædificatione Fratrum suorum. Hoc tamen nequaquam obstare debet, quin conentur paulatim se informare ad aliquot devotas ac ferventes, etsi minus frequentes, mentis suæ in Deum elevationes inter directionem, quæ fit in principio, atque examen quod fit in fine operis, eliciendas; at hoc præcipuum eorum studium esse minimè debet.

Materia aspirationum pro Novitiis.

Verùm quoad materiam, quam arripere possunt subinde per intervalla mentis tantisper ad Deum elevandæ, ut tyrocinium ejus rei ponant, observandum est, esse actiones aliquas, quæ ex seipsis in Deum nos inclinant, uti verbi gratia sunt: canere divinum officium in choro, sacro missæ sacrificio inservire, spiritualium rerum lectioni vacare, exhortationem aut sermonem spiritualem audire, de rebus ad

animæ

animæ profectum ſpectantibus, deambulationis quotidianæ tempore aut aliàs, colloqui, aliaque hujusmodi. Hac in re neceſſe non eſt, niſi ut occaſionem arripias ex eo quod cantas, legis vel audis, ut inde jaculatorias tuas orationes affingas. Quantum ad alias actiones, quæ ex ſeipſis in Deum nos non inclinant, uti ſunt labor manuum, exercitatio in ordinariis officiis, refectio in communi triclinio & ſimilia, Novitius, qui interim dum actio ea peragitur Dei recordatur, illam ei rursùs offerre poterit, renovando bonum propoſitum, quod in directione concepit, ipſam unicè perficiendi, ut Deo complaceat. Aut certè elevationem aliquam ſpiritus concipiet ſuper ea conſideratione interna, qua ſe ante actionis initium communierat. Exempli gratiâ, ſi eundo ad laborem manualem ſe munierat conſideratione pueri Jeſu laborantis cum parente ſuo Joſepho, poterit inter laborandum, dum Dei fortaſſis recordatur, hanc formare elevationem: *Recipe, mi Deus, laborem iſtum in unione laboris dilectiſſimi filii tui.* Aut certè dirigendo ſermonem ad ipſum amantiſſimum Salvatorem noſtrum dicet: *Domine, ſicut hic in terris Patrem tuum tuo labore glorificaſti, ſic & meo glorificare ipſum deſidero & intendo.*

Exemplũ boni Religioſi.

Probus quidam obſervantiæ noſtræ Religioſus, cui nomen Frater Natalis, qui cum ſanctitatis odore mortuus eſt in conventu Dolenſi, adeò huic exercitio aſſueverat, ut Dei præſentiam nunquam amitteret, tametſi laboribus atque occupationibus quamplurimis diſtine-

stineretur. Illius in Deum elevationes erant continuæ, ut videantur comparari potuisse catenæ annulis se invicem excipientibus. Oretenus atque elatâ voce illas faciebat ex admirabili simplicitate, sibi de reliquo persuadens à nemine se audiri, quia solus culinæ ac dispensatoriæ serviebat, quæ loca extra refectionis horas minus frequentata sunt. Nonnemo tamen Religiosorum aliquando ipsum observans advertit, breviori tempore, quàm quo recitari possit Psalmus *Miserere*, ab ipso sedecim orationes jaculatorias fuisse depromptas; plures numerare nequit alio avocatus. Hoc à Novitio aut Incipiente non exigitur: attamen exemplum istud in medium adferre volui, ut omnes exploratum habeant, quousque possint ac debeant in hoc exercitio proficere.

Bona voluntas & fervor aspirationum scaturigo.

At à veritate nequaquam aberrârunt multi, qui dixêre, optimum Religiosi hac in arte planè divinâ Magistrum esse bonam ipsius voluntatem ac fervorem. Qui etenim fervens fuerit, etiamsi adhuc existat Novitius, nunquam Dei recordatur, quin confestim cor ipsius certam quandam persentiscat commotionem atque inclinationem ad nescio quâ cum lætitiâ spirituali tendendum in Deum, veluti expertus fuit Propheta Regius, qui ait: *Memor fui Dei & delectatus sum.* Illis, qui hujusmodi sunt; modicâ opus est instructione, quin potius indigent moderatione, ne nimio cum fervore, devotione suâ utantur: cæteros attamen, quibus Deus tantam gratiam minimè contulit, & qui tamen illi quan- *Ps. 76. 4.*

quândoque acceptissimi sunt, atque etiam què feliciter atque isti finem ac scopum, quo istæ internæ praxes collimant, attingunt, sine convenienti relinquere non debemus instructione, Eapropter ipsis aliquot hic regulas præscribemus.

Regulæ pro exercitio præsentiæ Dei, atq; aspirationum propriæ Incipientibus.

PRima. Postquam in initio cujusque operis cogitationes suas in Deum conjecerint beneficio directionis cum judicio conceptę, in illa bona dispositione continuò perseverare contendent, attendendo ad opus ipsum, cum intentione per illud placendi Deo.

Hoc autem fieri nequaquam debet cum violentia aut anxietate, illa enim inutilis foret, & capitis dolorem causare posset. Verum attentio esse debet suavis & affectiva potiùs, quàm cum notitia reflexiva. Non secus, ait S. Basilius, atque artifex, cui opus artis suæ commissum est, simul attendit & ad opus ac laborem suum, atque etiam ad illum, qui hoc opus ei demandavit. Cùm enim opus suum præ oculis habeat, simul etiam in corde desiderium habet satisfaciendi ei, pro quo laborat. Eodem prorsùs modo nos quoque actionibus nostris rectè faciendis ita debemus intendere, ut semper in corde nostro geramus ardens desiderium satisfaciendi Deo, qui illas nobis injungit, & pro quo & coram quo illas peragimus.

In Regulis Brevioribus.

Pulchra comparatio.

Altera regula consequens ex priori est : ut sollicitè invigilent removendæ vanæ gloriæ, respectui humano, propriæ complacentiæ, atque omnibus aliis vitiosis motivis, si quæ animum nostrum ad destruendam bonam intentionem, qua opus inchoârunt, incessant : non rarò etenim evenire solet, ut quod quis ex motivo bono incepit, finiat depravato. Ac licet complures propria sua commoda in actionibus suis non consectentur, ubi illas ordiuntur : illa tamen paulatim sese ingerunt, eò quòd ad seipsos sufficienter ipsi non attendant ; sicuti frequenter cibum sumere incipimus ex motivo puræ necessitatis, paulatim tamen insinuante se delectatione refectionem finimus cum sensualitate.

Cassianus in prima sua collatione ait : Religiosum esse debere fidelem in observandis cogitationibus suis, sicuti nummularius exactus est in considerandis monetis, quæ ipsi offeruntur. Veluti enim hic pecuniam propiùs intuetur atque examinat, ne fortè adulterinum nummum in detrimentum suum recipiat : ita Religiosus cunctis mentis motibus invigilare debet, ut repudiet atque abdicet istos, qui bonum propositum, quicum suum opus incepit, corrumpere possent ac destruere. Atque ubi aliquem hujusmodi exurgere animadverterit, illum supprimet, renovando in momento directionem suam hoc modo : *Domine, jam totam actionem hanc meam tibi consecravi, nolo retractare sententiam.* *Comparatio.*

Tertia Regula est, ut si quando ab hac attentione distrahantur (id quod satis animadverti

verti potest ex quadam interna inquietudine aut turbatione, qua quis statim afficitur) suaviter se recolligant, ac renovando bonum propositum in Dei præsentia, uti priùs, se constituant. Quod si sæpiùs in una eademque actione id contingeret, toties quoties ad seipsos redire deberent. Sæpiùs enim contentè in Dei præsentiam se revocando, tandem addiscent in ea indesinenter remanere, cui rei plurimùm servire poterit, si quem ex hisce versibus in memoriam revocârint.

Prov. 3, 6. *In omnibus viis tuis cogita Deum: & ipse diriget gressus tuos.*

Ps. 15. 9. *Providebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam à dextris est mihi, ne commovear.*

Ps. 13 2. *Dominus de cœlo prospexit super filios hominum; ut videat si est intelligens, aut requirens Deum.*

Quos actutùm excipiet quædam cordis elevatio: verbi gratiâ:

Ps. 138 58. *Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo: miserere mei secundùm eloquium tuum.*

26. 8. *Tibi dixit cor meum; exquisivit te facies mea: faciem tuam, Domine, requiram.*

62, 18. *Mihi autem adhærere Deo bonum est: ponere in Domino Deo spem meam.*

118. 168. *Servavi mandata tua & testimonia tua: quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.*

118. 80. *Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis: ut non confundar.*

v. 10. *In toto corde meo exquisivi te: ne repellas me à mandatis tuis.*

In

In universum sub omnibus diei totius actionibus Fratres nostri, ut coram Deo testatum faciant desiderium, quod habent ipsum in cunctis operibus suis honorandi, producere poterunt sequentes aspirationes.

Oro te, mi Deus, per justissimum zelum, quem habes gloriæ tuæ; ut mihi concedas gratiam te in hac actione juxta cordis mei votum glorificandi.

Verùm quam tibi gloriam dare potest infelix humi reptans creatura? atque inter creaturas universas ego adhuc ineptissimus sum ob peccata mea.

Ut quid igitur inspiras mihi tui in hoc glorificandi desiderium, quia qui te glorificem dignus non sum? Non possum equidem, Domine, æterno glorioſæ Majestatis tuæ splendori quidquam adjicere! attamen de illo toto cordis affectu gaudeo, cupioque, ut hæc actio tibi placeat in signum lætitiæ, quam inde concepi. Vellem, Domine, hac in actione tibi posse tantum gloriæ ac satisfactionis dare, quantum ex actionibus maximorum Sanctorum tuorum, cùm in terris ipsi agerent, recepisti.

Angeli tui, Domine, in cœlo incessanter ingenti cum ardore te collaudant dicentes: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est.* Apoc. 4. 8. Permitte, ut exiguum desiderium meum ardentibus ipsorum flammis conjungam.

Quod si, Domine, indignus sum, qui Angelis tuis sanctis socier, permitte mihi, ut saltem te glorificem cum minimis terræ

bestiolis modo te suo, proque suo posse glorificantibus.

Uno verbo, Domine, desidero te glorificare, quia Deus meus es, & offero tibi hoc cor in unione gloriæ, quam cunctæ creaturæ tuæ tibi unquam dederunt, ac per totam daturæ sunt æternitatem.

Nunquid eo me fine creasti? sanctam ergò voluntatem tuam in me adimple, atque ut tibi, Deus, in hoc opere, omnem tribuam gloriam, quam à me expectas, concede: aut certè in primum me nihilum meum redige, quia vivere nolo, nisi ut te honorificem.

Quis mihi det cor ardens ad serviendum tibi, sicut ardebat cor maximorum Sanctorum tuorum? O si mihi dare velles tantum affectus in obedientiis meis, quantum ipsi habuerunt! Utinam tantum tibi placere possem, quantum ipsi placuerunt! verùm aliud facere nequeo, nisi tibi exiguitatem atque impotentiam meam offerre.

En formulam aspirationum, quas quis facere potest super motivo glorificandi Deum in omnibus operibus nostris. Alias ad istius imitationem concipere quis facile poterit, Quantum ad illos, qui ampliùs excitantur versibus Psalmorum aut sententiis sacræ Scripturæ, quàm quibusvis aliis rebus, ipsi quibusdam hujusmodi versibus aut sententiis familiariter assuescent, ut nunquam difficultatem sentiant inveniendi argumentum ad Deum se elevandi: Novimus aliquos, qui hisce multùm excitabantur:

Tu

Tu scis, Domine, quia amo te. Animam meam pro te ponam. S. Pet. Ioa. 21. 15. & 13. 37.

Amo te, Deus meus: fac ut amem validius. S. Aug.

Domine, quid me vis facere? S. Paul. Act. 9. 6.

Domine, bonum est nos hic esse. Quoniam melior est dies una in atriis tuis super millia. S. Pet. Matt. 17. 4.

Beati qui habitant in domo tua Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te. Ps. 83. 5.

In via testimoniorum tuorum delectatus sum: sicut in omnibus divitiis. 118. 14.

Benedic anima mea Domino: & omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus. 102. 1.

Omnia ossa mea dicent: Domine quis similis tibi. 34. 10.

Iste Deus meus & glorificabo eum: Deus patris mei, & exaltabo eum. Exod. 15. 2.

Exaltabo te Deus meus Rex: & benedicam nomini tuo in sæculum & in sæculum sæculi. Ps. 144. 1.

Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus ejus in ore meo. 33. 2.

Adhæreat lingua mea faucibus meis: si non meminero tui. 136. 6.

Si oblitus fuero tui: oblivioni detur dextera mea. ibid. v. 5.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum. ita desiderat anima mea ad te, Deus. 41. 2.

Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei? ibid. v. 3.

Quilibet synopsin facere poterit eorum verborum ac versuum, quibus ordinariè amplius commovetur, illamque in memoriæ suæ thesauro asservabit, ut illis utatur in conficiendis aspirationibus, ac frequenter loquendo cum Deo in hymnis, psalmis & canticis spiritualibus & internis, juxta id quod consulit Apostolus: *Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes & commonentes vosmetipsos Psalmis, Hymnis, & Canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo.*

Coloss. 3. 16.

Quoniam verò hiece modus confovendi internum exercitium antiquis Patribus nostris in deserto familiarissimus fuit, qui idcirco fermè totam sacram Scripturam memoriter ediscebant, atque etiam experientia comprobavit, quantum inde Fratres nostri reportârint emolumenti, particulare istius rei exercitium capite sequenti componemus.

CAPUT XXXII.

Exercitium aspirationum extractum ex sacra Scriptura, atq; imprimis libris Psalmorum.

Vivus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usq; ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoq; ac medullarum: sunt verba Apostoli, quibus edocemur, verbum seu sermonem Dei aptissimum esse conficiendis orationi-

Hebr. 4. 12.

tionibus jaculatoriis, vehementissimèque inflammandis illis, qui ipsum meditati fuerint, sicut scriptum est de Patriarcha Josepho: *Eloquium Domini inflammavit eum.* Quantumvis verò cuncti sacræ Scripturæ libri æqualiter à sancto Spiritu fuerint dictati, liber tamen Psalmorum plenus est ampliori copiâ pulchrarum sententiarum, ardentiumque affectuum, qui in quavis occasione ad Deum vibrentur, aptissimorum. Eapropter asserimus optimam præsentiæ Dei fovendæ rationem esse, si quis memoriam repleat compluribus Scripturæ sacræ atque imprimis Psalmorum selectioribus sententiis. Memoria enim sententiis aut versibus istis plena erit instar pharetræ sagittis spiritualibus atque amoris plenis refertæ, ut proinde anima nunquam ad illas depromendas imparata sit futura. Ps 104. 19.

In Regula, quam Deus per Angelum misit S. Pachomio, quàm strictissimè injungitur, ut Fratres semper in animo habeant ruminare aliquid ex sacra Scriptura. Regula quoque nostra idem expressè decernit in capite de armis spiritualibus, ubi ait: *Muniendum est pectus cogitationibus sanctis, scriptum est enim: cogitatio sancta servabit te. Gladius autem spiritus, quod est verbum Dei, abundanter habitet in ore, & in cordibus vestris.* Quoniam reverà fructus inde elici innumeri queunt, tam ut semper ad malo resistendum, quàm ad consectandum bonum comparati simus, quæ sunt duæ partes justitiæ Christianæ. cap. 14.

Prioris exemplum nobis dedit Salvator noster in eo, quem habuit cum Diabolo in

deserto, conflictu ; ubi nos edocere voluit, omnes inimici istius insultus sacræ Scripturæ repositione reprimere : Id enim, quod ait Sapiens, verissimum est : *Omnis sermo Dei ignitus clypeus est.* Contra quem proinde tentatoris Sagittæ, etsi igne infernali succensæ, nil possunt.

Prov. 30. 5.

In quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Regul. cap. 14.

Ps. 118. 140.

Eccli. 6. 37.

De altero, quod nimirum sermo Dei nos excitet ad prosequendas virtutes, David ait ad Deum : *Ignitum eloquium tuum vehementer, & servus tuus dilexit illud.* Ecclesiasticus quoque ait : *Cogitatum tuum habe in præceptis Dei, & in mandatis illius assiduus esto ; & ipse dabit tibi cor. & concupiscentia sapientiæ dabitur tibi.*

En rationes, quibus permoti hanc composuimus synopsin in gratiam Novitiorum, qui legendæ Scripturæ sacræ nondum assueverunt. In tres illam partes dividemus. Prima continebit versus cuilibet diei actioni accommodos. Secunda alios continebit aptos ad resistendum diversis cogitationibus. Et tertia complectetur quosdam versus sub diversis titulis, quorum alii pleni sunt sententiis, quæ meditationi præbere possunt in quavis occasione argumenta : alii scatent affectibus inflammandæ voluntati accommodatissimis : Ex omnibus versibus istis quivis adhuc seligere poterit illos, quibus ampliùs ipse excitari consuevit, ut illis assuescat, neque horreat eundem etiam sæpius vel in una hora repetere, si in eo reperiat devotionem. Commentarios quibusdam addere potuissemus, ut amplius intelligerentur ; at facere hoc noluimus,

mus, quia homo multò ampliùs oblectatur, ubi sensum per seipsum perscrutatus adinvenerit.

I. *Pro actionibus quotidianis.*

1. *Surgendo ad matutinas.*

PAratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo & Psalmum dicam. Ps. 107. 2.

Hoc signum magni Regis est: eamus & inquiramus eum. *Offic. Epiph.*

In die mandavit Dominus misericordiam suam: & nocte canticum ejus. Ps. 41. 9.

In noctibus extollite manus vestras in sancta: & benedicite Dominum. 133. 2.

Surgite, postquam sederitis, qui manducatis panem doloris. 126. 2.

Ut agnoscat mundus quia diligo Patrem, surgite, eamus hinc. *Ioan.* 14. 31.

2. *Præparando se ad officium divinum cantandum.*

IN conspectu Angelorum psallam tibi: adorabo ad templum sanctum tuum & confitebor nomini tuo. Ps. 137. 2. 3.

Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam. 70. 8.

In te cantatio mea semper. *ibid. v. 6.*

Dirigatur, Domine, oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo. 140. 2.

3. *Egrediendo ex choro post officium.*

Ps. 118. 103. QUàm dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo.

ibid. v. 118. Voluntaria oris mei beneplacita fac, Domine: & judicia tua doce me.

ibid. v. 11. In corde meo abscondi eloquia tua: ut non peccem tibi.

ibid. v. 20. Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas: in omni tempore.

30. 18. Domine non confundar, quoniam invocavi te.

4. *Manè surgendo.*

Ps. 118. 148. PRævenerunt oculi mei ad te diluculo: ut meditarer eloquia tua.

Prov. 8. 17. Qui manè vigilant ad me, invenient me.

Eccli. 39. 6. Justus cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conspectu Altissimi deprecabitur.

5. *Eundo ad orationem mentalem.*

Ps. 87. 3. INtret in conspectu tuo oratio mea: inclina aurem tuam ad precem meam.

41. 9. 10. Apud me oratio Deo vitæ meæ, dicam Deo: susceptor meus es.

33. 6. Accedite ad eum & illuminamini: & facies vestræ non confundentur.

68. 33. Quærite Deum & vivet anima vestra.

Deut. 4. 29. Cùm quæsieris Dominum Deum tuum, invenies

venies eum : si tamen toto corde quæsieris, & totâ tribulatione animæ tuæ.

6. *Redeundo ad cellulam.*

COnvertere anima mea in requiem tuam : quia Dominus benefecit tibi. *Ps.114.7.*

Hæc requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo, quoniam elegi eam. *131.14.*

Unam petii à Domino, hanc requiram : ut inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ. *26.4.*

In omnibus requiem quæsivi & nusquam inveni; nisi in angulo cum libello. *à Kemp.*

7. *Egrediendo ex cellula.*

PRopter inimicos meos, dirige in conspectu tuo viam meam. *Ps.5.9.*

Dirige me in veritate tua & doce me. *24.5.*

Utinam dirigantur viæ meæ : ad custodiendas justificationes tuas. *118.5.*

Notam fac mihi viam, in qua ambulem : quia ad te levavi animam meam, *142.8.*

8. *Sub labore manuali.*

LAbores manuum tuarum quia manduca bis : beatus es & bene tibi erit. *Ps.127.2.*

Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino. *Colos. 3. 23.*

Operamini, non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. *Ioan.6.27.*

Vide humilitatem meam & laborem meum : & dimitte universa delicta mea. *Ps.24.18.*

9. *Ante Lectionem spiritualem.*

Sap.7.7. OPtavi & datus est mihi sensus, & invocavi, & venit in me spiritus sapientiæ.

Ps.118.18. Revela oculos meos : & considerabo mirabilia de Lege tua.

Sap.9.4. Da mihi Domine sedium tuarum assistricem sapientiam, ut mecum sit & mecum laboret, & noli me reprobare à pueris tuis: quoniam servus tuus sum ego, & filius ancillæ tuæ.

ibid.v.10. Emitte illam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ; ut sciam quid acceptum sit apud te omni tempore.

10. *Disponendo se ad examen conscientiæ.*

Ps.129.3. SI iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit?

18.13. Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, & ab alienis parce servo tuo.

Eccli.21.7 Qui timent Deum, convertentur ad cor suum.

Thren.3.40. Scrutemur vias nostras & quæramus, & revertamur ad Dominum.

15. *In Refectorio.*

Luc.14.15. BBatus qui manducabit panem in regno Dei.

Ioan.4.34. Meus cibus est, ut faciam voluntatem patris mei, qui in cœlis est.

Ps.79.6. ubi cibus delectat. Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis in mensura.

Non

Non est regnum Dei esca & potus, sed justitia & pax & gaudium in Spiritu sancto. *Rom. 14. 7*

Dederunt in escam meam fel; & in siti mea potaverunt me aceto. *Ps. 68. 22. ubi cibus gustui desipit.*

12. *In Spatiatione.*

ECce quam bonum & quam jucundum, habitare Fratres in unum. *Ps. 132. 1.*

Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, & vitam usque in sæculum. *ibid. v. 3.*

Ubi est charitas & dilectio, ibi Sanctorum est congregatio. *Offic in cœna Domini.*

In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli: si dilectionem habueritis ad invicem. *Ioan. 13. 35.*

Erat autem populus jucundus secundùm faciem Sanctorum. *Judith. 16. 24.*

13. *Discendo cantum & ceremonias.*

QUæ est alia gens sic inclyta, ut habeat ceremonias & universam Legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros? *Deut. 4. 8.*

Mandavit mihi Deus, ut docerem vos ceremonias, & judicia quæ facere deberetis. *ibid. v. 14.*

Si quis ignorat, ignorabitur. *1. Cor. 14. 38.*

Fili hominis, pone cor tuum, & vide oculis tuis, & auribus tuis audi omnia, quæ ego loquor ad te de universis ceremoniis domus Domini. *Ezech. 44. 5.*

4. *Au-*

14. *Audiendo exhortationes & sermones.*

*Iac.*1.22. ESTOTE factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes vosmetipsos.

*Rom.*2.13. Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.

*Deut.*24.8. Facies quæcumque docuerint te Sacerdotes.

*Ioan.*14.23. Si quis diligit me, sermonem meum servabit.

*Ioan.*13.17. Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea.

*Ps*67.29. Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis.

15. *Recipiendo aliquam mortificationem in culparum exercitio.*

*Eccli.*19.28. VIr prudens & disciplinatus non murmurabit correptus.

*Iob.*33.27. Peccavi & verè deliqui: & ut eram dignus, non recepi.

*Ps.*118.71. Bonum mihi, Domine, quia humiliasti me; ut discam justificationes tuas.

89.15. Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti: annis quibus vidimus mala.

68.21. Improperium expectavit cor meum & miseriam.

*ibid.*v.8. Quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam.

140.5. Corripiet me justus in misericordia, & increpabit me,

Melio-

Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis. *Prov. 27. 6.*

Hæc prædicta possunt inservire, ut animus conservetur attentus ad Deum in præcipuis operibus quotidianis. Sed continuemus nostram synopsin.

2. *Sequentia inservire possunt ad impugnandas mali occasiones.*

1. *Quando aliqua tentatione circumvenimur.*

SI dereliqueritis Deum, derelinquet vos. *2. Paral. 15. 2.*
Perversæ cogitationes separant à Deo. *Sap. 1. 3.*

Domine, omnes qui te derelinquunt, confundentur, recedentes à te in terra scribentur; quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum. *Ier. 17. 13.*

Domine, qui elongant se à te, peribunt: perdidisti omnes, qui fornicantur abs te. *Ps. 72. 26.*

2. *Cum aliquod malum objectum sese objicit oculis nostris.*

PEpigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. *Iob. 31. 1.*

Quam enim partem haberet in me Deus desuper, & hæreditatem omnipotens de excelsis? *ibid. v. 2.*

Averte oculos meos ne videant vanitatem: in via tua vivifica me. *Ps. 118. 37.*

3. Cum

3. Cum impudicis impugnatur animus cogitationibus.

Ps.118. 94. TUus sum ego salvum me fac.
ibid. v. 117. Adjuva me, & salvus ero.
Abstit hoc à me, Domine.
2.Reg.20. 20. Tu es refugium meum à tribulatione quæ
Ps.31.7. circumdedit me : exultatio mea erue me à circumdantibus me.

Utilissimum est etiam orare sanctissimam Virginem per immaculatam ejus conceptionem, ut nobis sit auxiliatrix, & invocare adjutorium Angelorum & præcipuè Archangeli Michaëlis.

Per immaculatam conceptionem tuam libera me, Virgo purissima.

Sancte Michaël Archangele, defende nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio.

4. Cum audiuntur scurrilitates, curiositates & res inutiles.

Ps.118.85. NArraverunt mihi iniqui fabulationes: sed
30.7. non ut Lex tua.
16.4. Odisti observantes vanitates supervacuè.
Non loquatur Domine os meum opera hominum.

5. In occasionibus frangendi silentium.

Ps.140.3. POne, Domine, custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.

Dixi:

Dixi: custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. 38. 2.

Vir linguosus non dirigetur in terra. 139. 12.

Lætati sunt, quia siluerunt. 106. 30.

Quis dabit ori meo custodiam & super labia mea signaculum certum, ut non cadam in ipsis, & lingua mea non perdat me? Eccli. 22. 33.

6. *In tristitia & tædio.*

NOn contristabit justum quidquid ei acciderit. Prov. 12. 21.

Quare tristis es anima mea & quare conturbas me? spera in Deo. Ps. 41. 12.

Momentaneum & leve tribulationis nostræ supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. 2. Cor. 4. 17.

Bonum facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes. Gal. 6. 9.

Redde mihi lætitiam salutaris tui; & spiritu principali confirma me. Ps. 50. 14.

Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum. 26. 14.

7. *Contra pigritiam & negligentiam.*

IN omnibus operibus præcellens esto. Eccli. 33.

Vidisti virum velocem in opere suo? coram Regibus stabit. 23. Prov. 22. 29.

Propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergò æstate, & non dabitur ei. Prov. 20. 4.

Maledictus qui facit opus Dei negligenter. Ierem. 48. 10.

Omnis

Matt. 7. 19. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.

8. *Contra iram & amaritudinem cordis.*

Pſ. 36. 11. MAnſueti autem hæreditabunt terram: & delectabuntur in multitudine pacis.

Matt. 11. 29. Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.

Iac. 1. 20. Ira viri juſtitiam Dei non operatur.

Eccli. 28. 8. Memorate timorem Dei: & non iraſcaris proximo.

1. *Theſſ* 5. 14. Patientes eſtote ad omnes.

Rom. 12. 19. Non vosmetipſos defendentes, chariſſimi, ſed date locum iræ.

9. *In occaſione aliquid tolerandi.*

Pſ 9 19. PAtientia pauperum non peribit in finem.

Phil. 1. 29. Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm, ut in eum credatis, ſed ut etiam pro illo patiamini.

Luc. 21. 29. In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.

Pius V. Auge dolorem, auge patientiam.

D. Aug. Hic ure, hic ſeca, modò in æternum parcas.

Heb. 10. 36. Patientia vobis neceſſaria eſt, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promiſſiones.

Pſ. 125. 6. Euntes ibant & flebant: mittentes ſemina ſua.

ibid. Venientes autem venient cum exultatione; portantes manipulos ſuos.

10. *Con-*

10. *Contra ſuſpiciones & temeraria judicia.*

TU quis es, qui judicas alienum ſervum? Domino ſuo ſtat aut cadit. *Rom. 14. 4.*

In quo judicas alterum, teipſum condemnas. *Rom 2. 1.*

Nolite judicare ut non judicemini. *Matt. 7. 1.*

Quid mihi de his, qui foris ſunt, judicera? *1. Cor. 5. 12.*

Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo. *cap. 4. 5.*

Si verè utiq; juſtitiam loquimini: recta judicate, filii hominum. *Pſ. 57. 2.*

Etenim in corde iniquitates operamini.

11. *Contra vanam gloriam.*

NOn nobis, Domine, non nobis: ſed nomini tuo da gloriam. *Pſ. 113. 1.*

Extollentiam oculorum ne dederis mihi. *Eccli. 23. 5.*

Tibi, Domine juſtitia: nobis autem confuſio. *Dan. 9. 7.*

Væ, qui ſapientes eſtis in oculis veſtris. *Iſa. 5. 21.*

Amen dico vobis: receperunt mercedem ſuam. *Matt. 6. 2.*

Quid habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? *1. Cor. 4. 7.*

12. *Quando aliquid dicitur in Laudem noſtram.*

Ioan.5.34. NOn ab homine teſtimonium accipio.

Pſ.21.26. Apud te laus mea, Domine.

S. Franciſcus. Tantus ſum, quantus ſum apud te Domine.

Luc.6.26. Væ cum benedixerint vobis homines.

Gal.1.10. An quæro hominibus placere? ſi adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.

13. *Cum animus eſt in dubio quid agere debeat.*

Pſ.36.4. REvela Domino viam tuam.

Eccli.37.19. In his omnibus deprecare Altiſſimum, ut dirigat in veritate viam tuam.

Pſ.70.17. Deus, docuiſti me à juventute mea: & uſque nunc pronunciabo mirabilia tua.

ibid.v.18. Et uſque in ſenectam & ſenium, Deus, ne derelinquas me.

142.10. Doce me facere voluntatem tuam: quia Deus meus es tu.

118.135. Faciem tuam illumina ſuper ſervum tuum: & doce me juſtificationes tuas.

§. Multa alia levia certamina occurrunt in vitæ noſtræ decurſu, ſed quæ diximus, ſufficient ad inſtruendos Novitios, ut ipſi utiliter aliis ſacræ Scripturæ locis poſſunt uti ad reſiſtendum malo in omnibus occaſionibus. Idcircò cùm acquiſierint habitum attentionis ad ſeipſos in omnibus operibus & cogitationibus, poterunt uti majore libertate ſpiritus, ut poſſint converſari affectivè cum Deo ſuper mate-

materiis sequentibus, licet ab eorum occupationibus alienis.

PARS TERTIA.

Selectio succulentiorum versuum ex Psalmis sub diversis titulis, qui poterunt inservire pro interiori cum Deo conversatione.

1. De Vanitate hominis.

Sententiæ meditationi subjectæ.

HOmo vanitati similis factus est: dies ejus sicut umbra prętereunt. Ps. 143. 4.

Homo sicut fœnum dies ejus, tanquam flos agri sic efflorebit. 102. 15.

Quoniam spiritus pertransibit in illo & non subsistet: & non cognoscet amplius locum suum. ibidem.

Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. 48. v. 21.

Affectiones.

DOmine, quid est homo, quia innotuisti ei? aut filius hominis, quia reputas eum? Ps. 143. 3.

Quid est homo quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum? 8. 5.

Substantia mea tanquam nihilum ante te. 38. 6.

Iob.14.3. Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos?

Ps.93.18. Si dicebam: motus est pes meus, misericordia tua, Domine, adjuvabat me.

118.141. Adolescentulus sum ego & contemptus: justificationes tuas non sum oblitus.

2. De vanitate rerum terrenarum.

Argumenta meditationis.

Ps.4.3. Filii hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium?

36.35. Vidi impium superexaltatum & elevatum sicut Cedros Libani.

ibid.v.36. Et transivi & ecce non erat, & quæsivi eum, & non est inventus locus ejus.

38.6. Veruntamen universa vanitas: omnis homo vivens.

ibid.v.7. Verumtamen in imagine pertransit homo: sed & frustrà conturbatur.

ibidem. Thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea.

48.17. Ne timueris, cum dives factus fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria domus ejus.

ibid.v.18. Quoniam cum interierit, non sumet omnia: neque descendet cum eo gloria ejus.

145.4. Exibit spiritus ejus, & revertetur in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.

48.12.13. Simul insipiens & stultus peribunt: & relinquent alienis divitias suas, & sepulchra eorum domus illorum in æternum.

Dor-

Dormierunt somnum suum : & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. Ps. 75. 5.

Ad nihilum devenient, tanquam aqua decurrens. 57. 8.

Sicut cera, quæ fluit, auferentur. ibid. v. 9.

Affectiones.

BEatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus : & non respexit in vanitates & insanias falsas. Ps. 39. 5.

Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei : tu es qui restitues hæreditatem meam mihi. 15. 5.

Defecit caro mea & cor meum : Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. 72. 26.

Et nunc quæ est expectatio mea, nonne Dominus ? & substantia mea apud te est. 38. 9.

Bonum mihi lex oris tui super millia auri & argenti. 118. 72.

Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine. 117. 8.

Bonum est sperare in Domino : quàm sperare in Principibus. ibid. v. 9.

3. De vocatione ad Religionem.

Argumenta meditationis.

BEata gens, cujus est Dominus Deus ejus : populus quem elegit in hæreditatem sibi. Ps. 32. 12.

Anima nostra sicut passer erepta est, de laqueo venantium. 123. 7.

ibidem. Laqueus contritus est : & nos liberati sumus.

ibid. v.6. Benedictus Dominus ; qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.

93.17. Nisi quia Dominus adjuvit me, paulominùs habitasset in inferno anima mea.

65.9. Posuit animam meam ad vitam.

147.20. Non fecit taliter omni nationi ; & judicia sua non manifestavit eis.

90.3. Ipse liberavit me de laqueo venantium ; & à verbo aspero.

A verbo illo duro ; Recedite à me maledicti in ignem æternum.

Affectiones.

Ps.29.2. EXaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me : nec delectasti inimicos meos super me.

ibid. v.4. Domine eduxisti ab inferno animam meam ; salvasti me à descendentibus in lacum.

55.12.13. Reddam laudationes tibi ; quoniam eripuisti animam meam de morte, & pedes meos à lapsu : ut placeam coram Deo in lumine viventium.

85.13. Quia misericordia tua magna est super me ; & eruisti animam meam ex inferno inferiori.

70.23. Exultabunt labia mea cum cantavero tibi : & anima mea quam redemisti.

115.16.17. Dirupisti vincula mea : tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini invocabo.

In

In æternum non obliviscar justificationes tuas: quia in ipsis vivificasti me. 118.93.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei: magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. 83.11.

Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei, speravi in misericordia Dei. 51.10.

4. De rigore judiciorum Dei.

Argumenta meditationis.

COgitavi dies antiquos: & annos æternos in mente habui. Psl.76.6.

Dominum formidabunt adversarii ejus: & super ipsos in cœlis tonabit. 1. Reg. 2. 10.

Irruat super illos formido & pavor: in magnitudine brachii tui. Exod. 15. 16.

Sicut oves in inferno positi sunt: mors depascet eos. Ps. 48. 15.

Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt. 89. 5.

Calix in manu Domini vini meri plenus misto. Et inclinavit ex hoc in hoc, verumtamen fæx ejus non est exinanita: bibent omnes peccatores terræ. 74. 9.

Virum injustum mala capient in interitu. 139. 12.

Mors peccatorum pessima. 33. 22.

Nationis iniquæ diræ sunt consummationes. Sap. 3. 19.

Horrendum est incidere in manus Dei viventis. Heb. 10. 31.

Videbunt justi & timebunt, & super eum ridebunt, & dicent: Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum. Ps. 51. 8. 9.

49. 22. Intelligite hæc qui obliviscimini Deum, ne quando rapiat, & non sit qui eripiat.

Affectiones.

118.120. Confige timore tuo carnes meas: à judiciis enim tuis timui.

35. 7. Judicia tua abyssus multa.

118,21. Maledicti qui declinant à mandatis tuis,

ibid. v. 118. Spreviſti omnes discedentes à judiciis tuis; quia injusta cogitatio eorum.

ibid. v. 142. Justitia tua justitia in æternum.

129.3. Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit?

142. 2. Non intres in judicium cum servo tuo, Domine: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

118,155. Longè à peccatoribus salus: quia justificationes tuas non exquisiêrunt.

5. De Contritione.

Argumenta meditationis.

Ps. 39. 13. Circumdederunt me mala quorum non est numerus: comprehenderunt me iniquitetas meæ, & non potui ut viderem.

37.5. Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: & sicut onus grave gravatæ sunt super me.

39.13. Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei.

87. 4. Quia repleta est malis anima mea: & vita mea inferno appropinquavit.

72,22. Ad nihilum redactus sum, & nescivi.

Pec-

Peccavi super numerum arenæ maris, & non sum dignus videre altitudinem cœli, præ multitudine iniquitatis meæ. *Offic. Eccl.*

Affectiones.

REcogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ. *Isa 38. 15.*

Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. *Ps. 118. 136.*

Ego dixi: Domine miserere mei: sana animam meam, quia peccavi tibi. *40. 5.*

Reminiscere miserationum tuarum Domine: & misericordiarum tuarum, quæ à sæculo sunt. *24. 6.*

Delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris. *ibid. v. 7.*

Secundùm misericordiam tuam memento mei tu; propter bonitatem tuam, Domine. *ibidem.*

Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te. *16. 7.*

Domine, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me. *37. 2.*

Miserere mei Deus: secundùm magnam misericordiam tuam. *50. 3.*

Averte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele. *ibid. v. 11.*

Cor mundum crea in me Deus: & spiritum rectum innova in visceribus meis. *ibid. v. 12.*

Ne projicias me à facie tua: & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. *ibid. v. 13.*

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus, non despicies. *ibid. v. 19.*

34. 5. Die animæ meæ : salus tua ego sum.

Offic. Eccl. Qui cognoscis omnium occulta à delicto meo munda me : tempus mihi concede, ut pœnitens clamem : peccavi, miserere mei Deus.

Thren. 5. 21. Converte nos ad te; Domine ; & convertemur : innova dies nostros sicut à principio.

6. De Fiducia in Dei misericordia ad obtinendam veniam peccatorum.

Argumenta meditationis.

Ps. 106. 8. CONfiteantur Domino misericordiæ ejus & mirabilia ejus filiis hominum.

102. 8. Miserator & misericors Dominus ; longanimis & multùm misericors.

ibid. v. 9. Non in perpetuum irascetur : neque in æternum comminabitur.

ibid. v. 10. Non secundùm peccata nostra fecit nobis; neque secundùm iniquitates nostras retribuit nobis.

ibid. v 11. Quoniam secundùm altitudinem cœli à terra : corroboravit misericordiam suam super timentes se.

ibid. v 12. Quantum distat ortus ab occidente ; longè fecit à nobis iniquitates nostras.

ibid. v. 13. Quomodo misereretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se : quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.

ibid. v. 17. Misericordia Domini ab æterno : & usque in æternum super timentes eum.

Allevat

Allevat Dominus omnes, qui corruunt, & erigit omnes elisos. 144. 14.

Suavis Dominus universis : & miserationes ejus super omnia opera ejus. *Ibid. v. 9.*

A custodia matutina usque ad noctem : speret Israël in Domino. 129. 6.

Quia apud Dominum misericordia : & copiosa apud eum redemptio. *ibid. v. 7.*

Affectiones.

DIxi : confitebor adversum me injustitiam meam Domino : & tu remisisti impietatem peccati mei. *Ps 31. 5.*

Misericordias Domini in æternum cantabo. 88. 2.

Quàm bonus Israël Deus his qui recto sunt corde ! 72. 11.

Domine Deus meus clamavi ad te : & sanasti me. 29. 3.

Deus vitam meam annunciavi tibi : posuisti lacrymas meas in conspectu tuo. 55. 9.

Quoniam tu Domine suavis & mitis : & multæ misericordiæ omnibus invocantibus te. 85. 5.

Ego autem in Domino speravi : exultabo & lætabor in misericordia tua. 30 7. 8.

Ego sum pauper & dolens : salus tua, Deus, suscepit me. 68. 30.

Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis. *Hab. 3. 2.*

Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te : non expectabunt qui descendunt in lacum veritatem tuam. *Isa. 28. 18.*

Vivens

ibid. v. 19. Vivens vivens ipse confitebitur tibi: sicut & ego hodie.

7. Cùm versamur in tribulatione.

Argumenta meditationis.

1. Reg. 2. 6. DOminus mortificat & vivificat: deducit ad inferos & reducit.

Ps. 33. 20. Multæ tribulationes justorum: & de omnibus his liberabit eos Dominus.

Apoc. 7. 17. Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum.

Eccli. 2. 3. Sustine sustentationes Dei.

Ps. 33. 19. Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde: & humiles spiritu salvabit.

39. 18. Ego autem mendicus sum & pauper: Dominus sollicitus est mei.

Habac. 3. 16. Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat, ut requiescam in die tribulationis: ut ascendam ad populum accinctum nostrum.

Ad electorum societatem in cœlo.

Affectiones.

Ps. 118. 143. TRibulatio & angustia invenerunt me: mandata tua meditatio mea est.

69. 2. Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina.

37. 10. Domine ante te omne desiderium meum: & gemitus meus à te non est absconditus.

93. 19. Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo: consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.

137. 7. Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me.

Et

Et respondebo exprobrantibus mihi verbum : quia speravi in sermonibus tuis. 118. 42.

Ne derelinquas me, Domine Deus meus : ne discesseris à me. 37. 22.

Ne avertas faciem tuam à me : ne declines in ira à servo tuo. 26. 9.

8. De gaudio spirituali.

Argumenta meditationis.

QUis est homo qui vult vitam : diligit dies videre bonos? Ps 33 13.

Prohibe linguam tuam à malo : & labia tua, ne loquantur dolum. *ibid. v. 14.*

Diverte à malo & fac bonum : inquire pacem & persequere eam. *ibid. v. 15.*

Delectare in Domino : & dabit tibi petitiones cordis tui. 36 4.

Spera in Domino & fac bonitatem : & inhabita terram, & pasceris in divitiis ejus. *ibid v. 3.*

Renuit consolari anima mea. 76. 3.

Memor fui Dei & delectatus sum. *ibid. v. 4.*

Lætamini in Domino & exultate justi : & gloriamini omnes recti corde. 31. 11.

Affectiones.

BEatus homo quem tu erudieris, Domine : & de lege tua docueris eum : ut mitiges ei à diebus malis. 93. 12. 13.

Pax multa diligentibus legem tuam : & non est illis scandalum. 118. 165.

Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die : & in justitia tua exaltabuntur. 88. 16. 17.

Læta-

118.162. Lætabor ego super eloquia tua: sicut qui invenit spolia multa.

103.33. Cantabo Domino in vita mea: psallam Deo meo quamdiu sum.

91.2. Bonum est confiteri Domino: & psallere nomini tuo Altissime.

83.3. Cor meum & caro mea: exultaverunt in Deum vivum.

34.9. Anima mea exultabit in Domino: & delectabitur super Deo salutari suo.

Hab.3.18. Ego autem in Domino gaudebo; & exultabo in Deo Jesu meo.

Ps.85.11. Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

9. De Laudibus Dei.

Ps.68.31. LAudabo nomen Dei cum cantico: & magnificabo eum in laude.

34.28. Sed & lingua mea meditabitur justitiam tuam: totâ die laudem tuam.

29.5. Psallite Domino Sancti ejus: & confitemini memoriæ sanctitatis ejus.

65.16. Venite, audite & narrabo omnes qui timetis Deum: quanta fecit animæ meæ.

134.3. Laudate Dominum, quia bonus Dominus: Psallite nomini ejus, quoniam suave est.

65.4. Omnis terra adoret te Deus & psallat tibi: Psalmum dicat nomini tuo.

137.4. Confiteantur tibi, Domine, omnes Reges terræ.

ibid.v.5. Et cantent in viis Domini: quoniam magna est gloria Domini.

Confi-

Confiteantur tibi Domine omnia opera tua: & Sancti tui benedicant tibi. 144.10.

Laudent Deum cœli & terra: mare & omnia reptilia in eis. 68. 35.

Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandavit & creata sunt. 148. 5.

Statuit ea in æternum & in sæculum sæculi: præceptum posuit, & non præteribit. *ibid. v. 6.*

10. Querimoniæ affectivæ, cum nullam sentimus devotionem.

DOmine expandi ad te manus meas: anima mea sicut terra sine aqua tibi. *Ps. 142. 6.*

Aruit tanquam testa virtus mea. 21. 16.

Oblivioni datus sum tanquam mortuus à corde. 30. 13.

Factus sum tanquam vas perditum. *ibidem.*

Domine vim patior, responde pro me. *Isa. 38. 14.*

Dixi Deus meus es tu: in manibus tuis sortes meæ. *Ps. 90. 15.*

Tibi derelictus est pauper: orphano tu eris adjutor. 10. 14.

Numquid in æternum projiciet Deus? aut non apponet ut complacitior sit adhuc? 76. 8.

Usquequo Domine oblivisceris me in finem: usquequo avertis faciem tuam à me? 12. 1.

Quare oblitus es mei? & quare contristatus incedo dum affligit me inimicus? 41. 9.

11. De Confidentia in Deum contra immoderatum timorem.

Argumenta meditationis.

Pſ. 26. 1. DOminus illuminatio mea & ſalus mea: quem timebo.

ibidem. Dominus protector vitæ meæ: à quo trepidabo?

ibid. v. 3. Si conſiſtant adverſum me caſtra: non timebit cor meum.

ibidem. Si exurgat adverſum me prælium: in hoc ego ſperabo.

25. 1. In Domino ſperans non infirmabor.

27. 7. In ipſo ſperavit cor meum, & adjutus ſum.

61. 9. Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda veſtra: Deus adjutor noſter in æternum.

Affectiones.

3. 3. MUlti dicunt animæ meæ, non eſt ſalus ipſi in Deo ejus. Tu autem Deus ſuſceptor meus es.

ibid. v. 7. Non timebo millia populi circundantis me.

22. 4. Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es.

9. 11. Sperent in te qui noverunt nomen tuum: quoniam non dereliquiſti quærentes te, Domine.

70. 1. In te Domine ſperavi, non con confundar in æternum.

24. 1, 2. Ad te Domine levavi animam meam: Deus meus in te confido, non erubeſcam,

12. Su-

12. Suspiria ad vitam æternam.

Argumenta meditationis.

Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi : in domum Domini ibimus. Ps. 121. 1.

Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quę præparavit Deus iis, qui diligunt illum. 1. Cor. 2. 9.

Quis ascendet in montem Domini ? aut quis stabit in loco sancto ejus ? Ps. 23. 3.

Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam. ibid. v. 4.

Vox exultationis & salutis in tabernaculis justorum. Ps. 117. 15.

Vincenti daboedere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei. Apoc. 2. 7.

Affectiones.

Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei. Ps. 86. 3.

Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. 83. 5.

Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ : & torrente voluptatis tuæ potabis eos. 35. 9.

Quoniam apud te est fons vitæ : & in lumine tuo videbimus lumen. ibid. v. 10.

Replebimur in bonis domus tuæ : sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate. 64. 6.

Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum : concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. 83. 2. 3.

Dixi : tu es spes mea, portio mea, in terra viventium. 141. 6.

ibid. v.8. Educ de custodia animam meam ad confi tendum nomini tuo : me expectant justi, do nec retribuas mihi.

119.5.6. Heu mihi ! quia incolatus meus prolonga tus est : multùm incola fuit anima mea.

13. De sublimi æstimatione divinarum perfectionum.

Et 1. de omnipotentia.

Ps.105.2. QUis loquetur potentias Domini ? audit faciet omnes laudes ejus ?

Ps.134.6. Omnia quæcumque voluit Dominus fec in cœlo & in terra, in mari & in omnibus a byssis.

103.32. Qui respicit terram & facit eam tremere qui tangit montes & fumigant.

87.32. Quis Deus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum nostrum ?

Affectiones.

Ps.39.6. MUlta fecisti tu, Domine Deus meus, mirabilia tua : & cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi.

85.8. Non est similis tui in Diis, Domine, & non est secundùm opera tua.

88.10. Tu dominaris potestati maris : motum autem fluctuum ejus tu mitigas.

ibid. v 12. Tui sunt cœli, & tua est terra, orbem terræ
13. & plenitudinem ejus tu fundasti : aquilonem & mare tu creasti.

2. De æternitate Dei.

INcurvati sunt colles mundi, ab itineribus æternitatis ejus. *Habac. 3. 6.*

Dominus regnabit in æternum & ultra. *Exod. 15. 18.*

Affectiones.

REgnum tuum, regnum omnium sæculorum: & dominatio tua in omni generatione & generationem. *Ps. 144. 13.*

Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis: turbati sunt omnes insipientes corde. *75. 5. 6.*

Priusquam montes fierent aut formaretur terra & orbis: à sæculo & usque in sæculum tu es Deus. *89. 2.*

Initio tu, Domine, terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cœli. *101. 26.*

Ipsi peribunt tu autem permanes: & anni tui non deficient. *ibid. v. 27.*

Quoniam mille anni ante oculos tuos: tanquam dies hesterna, quæ præteriit. *89. 4.*

3. De immensitate Dei.

OPeruit cœlos gloria ejus: & laudis ejus plena est terra. *Hab. 3. 3.*

Replebitur Majestate ejus omnis terra. *Ps. 71. 19.*

Excelsior cœlo est, & quid facies? profundior inferno, & unde cognosces? *Job 11. 8.*

Longior terrâ mensura ejus & latior mari. *ibid. 9.*

Magnus Dominus & laudabilis nimis: & magnitudinis ejus non est finis. *Ps. 144. 3.*

Magnus Dominus noster & magna virtus est: & sapientiæ ejus non est numerus. *146. 5.*

Affectiones.

Ps.76.14. 15. QUis Deus magnus, sicut Deus noster? Tu es Deus, qui facis mirabilia?

138.7. Quo ibo à spiritu tuo? & quo à facie tua fugiam?

ibid.v.8. Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum ades.

4. De sanctitate Dei.

1.Reg.2.2. Levit.11. 45. Matt.5. 48. NOn est sanctus ut est Dominus. Sancti eritis: quoniam ego sanctus sum. Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est.

Ps.144. 17. Justus Dominus in omnibus viis suis; & sanctus in omnibus operibus suis.

110.9. Sanctum & terribile nomen ejus.

88.8. Deus qui glorificatur in concilio sanctorum.

33.9. Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus.

Affectiones.

Ps.5.5. ibid.v.6. NOn Deus volens iniquitatem tu es. Neque habitabit juxta te malignus, neque permanebunt injusti ante oculos tuos.

ibid.v.7. Odisti omnes qui operantur iniquitatem: perdes omnes qui loquuntur mendacium.

Exercitiũ II.

CAPUT XXXIII.

Quomodo mens in Deum per considerationem creaturarum sit elevanda.

Philo. Iud. lib. de vita contempl. VEteres authores qui de vita sanctorum Patrum nostrorum in Eremo scripsêre, *divi-*

nam

nam Philosophiam ipsam appellant: quia res humanas non considerabant ut humanas, neque solùm corporeis illis oculis intuebantur, sed inde occasionem arripiebant elevandi se in Deum, nunc potentiam ipsius admirando, nunc infinitam ipsius sapientiā recognoscendo, nunc ipsum de maxima ejus liberalitate benedicendo, nunc gratias agendo de bonitate, nunc sumendo occasionem seipsum excitandi ad exercitium virtutum ipsumque perdiscendi, uno verbo, cunctas res visibiles attrahendo ad sensum spiritualem. *D. Greg. Naz. orat. 5. sub init.*

Postquam igitur Fratres nostri in habitu actiones suas bene peragendi coram Deo; cum certis devotis mentis suæ subinde exercitis elevationibus, provectiores aliquantò fuerint, huic exercitio assuescere satagent, atque omnia in desiderii, quo ardent placendi Deo, eiq; perfectè se uniendi, nutrimentum convertere ediscent. *In quo consistat hoc exercitium.*

Illud erat exercitium magni Anachoretæ S. Antonii in deserto. Hunc enim cum aliquando interrogasset Philosophorum nonnemo, qui ad ipsum inviserat: Quomodo tempus suum posset absq; librorum lectione transigere? respondit ille, hoc in deserto esse sibi librum multò majorem amplioremque illis omnibus, quibus Bibliothecæ instruuntur, scil. universum mundum compositum ex tot foliis, quot sunt creaturæ, atq; in illo se ubi voluerit, legere mirabilia Dei, eaq; majori cum voluptate contemplari, quàm curiosa præbere Philosophia possit. *Histor. Tripart. lib. 8.*

Ea etiam fuit praxis Prophetæ Regii: *Domine*, ait, *Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universa terra?*

v. 4. *Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum, lunam & stellas quæ tu fundasti.* Atque alibi inspecto naturæ egregio ordine sumit occasionem hanc ad Deum vibrandi aspi-
Ps.103.24. rationem: *Quàm magnificata sunt opera tua Domine? Omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tuâ.*

Hujus generis exercitium tribus illis pueris Israëlitis usitatum erat, adeoque familiariter illi assueverant, ut etiam in medio fornacis ardentis, in quam conjecti fuerant, Deum in suis creaturis benedicere non intermiserint, singulas speciatim nominando; illic enim composuêre peregregium Canticum illud, cujus initium est: *Benedicite omnia opera Domini Domino.*

Vide totum caput 43. Ecclesiastici. Pluribus in locis nos monet Scriptura ex rebus quibusvis occasionem sumere corda nostra elevandi ad cœlum, quia hoc medium est animum habendi Deo semper unitum. *Vide arcum & benedic eum, qui fecit illum, valdè speciosus est in splendore suo.*

Exempla.

SEraphicus Pater S. Franciscus huic exercitio adeò assueverat, ut Deum in omnibus omninò rebus admiraretur: Creaturas enim omnes Fratrum ac Sororum nomine compellando, eo quod omnes habeamus eundem Deum pro Patre, illas ad laudandum Creato-
S. Bonav. in vita c. 8. rem suum invitabat. Quadam die (inter alia) juxta fenestram cellulæ suæ cantillantem audiebat cicadam, cumque interius ad benedicendum Deum animalculi hujus voce fuisset per-

permotus, illam admirabili simplicitate ac spiritus fervore ad se vocabat: Cicada miraculosè obediens in manum ipsius advolabat. Tum ipse ei ait: Canta, soror cicada, & benedic Creatorem tuum; mox illa cantillare cœpit, neque verò destitit, donec servus Dei ei veniam faceret redeundi ad priorem locum suum, ubi octo diebus consequenter absque interruptione cantillavit. Illis exactis sanctus Pater convocatis Fratribus ait: nunquid existimarent opportunum, ut sorori cicadæ venia fieret recedendi, postquam ipsos ad laudandum Deum continuis octo diebus tam bene excitasset? Aliâ vice idem sanctus iter faciens per loca palustria Venetiarum magnam invenit multitudinem avicularum in sylvula juxta viam cantillantium. Socio igitur suo ait: Ecce Fratres nostri alites, qui laudant Creatorem suum: illum igitur cum ipsis quoque collaudemus, horas nostras in eorum societate recitando. Verùm cùm ob nimium avium garritum se mutuo ipsi, sanctus videlicet ac socius, intelligere non possent, aviculis ait: desinite cantare fratres mei alites, quoad nos officium nostrum atque horarum pensum absolverimus. Dictum, factum, voci nimirum sancti obedientes cantillare desierunt, donec preces ipsi suas absolvissent.

Aliquot ante mortem suam annis mirabile compositit ac recitavit canticum, ex quo sequentia extraximus. *Inter opuscula S. Francisci.*

Laudetis, Domine, ob omnes creaturas tuas ac specialiter ob honorabilem Fratrem nostrum Solem, qui facit diem, & nos claritate suâ illuminat:

minat: pulcher est, & magno-illustris splendore, ac nobis egregiè repræsentat Fulgorem Majestatis tuæ.

Lauderis, Domine, pro sorore nostra Luna & stellis, quas adeò claras ac pulchras fecisti.

Lauderis, Domine, pro Fratre vento, pro aëre tam sereno quàm nubilo, proque omnibus tempestatibus, quarum beneficio omnibus creaturis tuis alimenta subministras.

Lauderis, Domine, pro sorore aqua, quæ vitæ nostræ tam utilis est.

Lauderis, Domine, pro fratre igne, qui noctem nobis illuminat, & pulcherrimus ac jucundissimus est.

Lauderis, Domine, pro matre nostra terra, quæ nos portat ac nutrit, atque ex sinu suo diversos fructus, flores ac herbas differentes producit.

Lauderis, Domine, pro sorore nostra Morte, quam nullus viventium evadere potest. Maledicti, qui moriuntur in peccato mortali. Benedicti qui in hora mortis integrè conformes extiterint tuæ sanctissimæ voluntati.

Huic argumento diutiùs ac fusiùs insistere non dubitamus, quia observationes nostræ totidem erunt sanctæ praxes; ex quibus Fratres nostri eximias instructiones ac methodum ex omnibus quæ oculis suis hauserint, proficiendi elicere poterunt. Quocirca hic apponemus id quod communiter enarratur de quibusdam Prælatis ad Concilium Constantiense proficiscentibus, qui in via invenerunt opilionem quàm amarissimè in aspectu turpis bufonis coram se reptantis plorantem. Prælatorum

rum unus consistens juvenem interrogabat, cur ploraret? cui adolescens singultiendo ait: Eheu! considero quantam mihi præstiterit gratiam Deus, me faciendo hominem, non verò huic infami animali similem. Ac nihilo tamen minus eum ego toties offendi, id quod hæc misera bestia nunquam fecit. Prælatus hujus opilionis conceptu vehementer commotus, meliori quo potuit modo ipsum est consolatus, atque ubi socios, qui ipsum præcesserant, attigisset, illis quid vidisset atque audisset enarravit, adjiciens: Ecce quomodo simplices atque idiotæ rapiunt cœlum; & nos cum omnibus scientiis nostris descendimus in infernum.

R. P. Ludovicus Granatensis in prima introductionis suæ ad Symbolum fidei parte peregregiè de hac eximia tractavit Philosophia, quam vehementer optamus à Fratribus nostris Provectioribus volvi ac revolvi, ut Deum in omnibus creaturis suis adorare illic discant.

Pro earum instructione animarum, quæ desiderio ampliore perfectionis ardent, recenset id quod oculis ipsē suis hauserat in ædibus cujusdam Nobilis. Huic erat vertagus seu canis venaticus adeò Hero suo affectus, ut ab eo divelli non posset. Quod si violenter àloco, ubi Herus erat, excluderetur, obnitebatur ac resistebat quantum poterat, atque interim, dum foris remanere cogeretur, ululatu suo satis contestabatur molestiam, quam ei inferebat ista separatio. Quodam die, inter alios, adultâ æstate Herum suum rus proficiscentem ille pro suo solemni sequebatur, atque ex cursu totus an-

helus linguam præ siti expromebat : verùm cùm pedissequorum nonnemo illum vi abduxisset ad proximum viæ fontem, ut biberet, canis vix linguam aquæ intingebat, quin confestim oculos ad Herum dirigeret, utrum adhuc in conspectu esset, moxque ubi è conspectu abierat, festinantissimè eum consectatus est, neque ullatenus, ut ulterius biberet, detineri potuit. Ex quo magnus hic Religiosus ac verus spiritualis vitæ Pater hanc elicit considerationem : Si hoc animal tantoperè diligebat Herum suum ob frustillum panis, quem ei quotidie porrigebat; quanto amplius diligere homo deberet Deum, à quo singulis momentis tot tantasque percipit gratias ac beneficia? Et si bestia ratione destituta tantoperè in deliciis habet præsentiam heri sui; quomodo homines, ac præcipuè Religiosi, non deberent ampliùs contendere, ut semper in Dei sui præsentia agerent? Ac deniq; si bestia illa inter bibendum intanto Solis æstu, cor, oculos & affectum semper habebat in herum suum tantopere defixum, ut plus de illo quàm potu cogitaret, nunquid & nos corda nostra & affectus in Deum semper habere deberemus defixos?

Hæc exẽpla sunt, quæ nos docere possunt, qua ratione fructum ferre queamus ex omnibus illis, quæ videmus, omniaque, quæ in hoc mundo inferiore sunt, in sensum spiritualem atque interiorem convertere.

Praxis istius exercitii in ipso Salvatore nostro.

REi hujus instructionem per seipsum nobis dedit Salvator ac Dominus noster Christus

ſtus Jeſus. Etenim quid nobis innuunt omnes illæ parabolæ Evangelicæ prorsùs admirandæ, niſi quod ipſe cunctas res creatas in ſenſum ſpiritualem attrahebat? Videtis, inquit, quo ardore homines inquirant theſauros: veri theſauri, quos inquirere vos debetis, in cœlo ſunt. Videtis in horto veſtro arborem infructuoſam, ipſamque ſuccidi jubetis, ut in ignem mittatur: ita & vos, niſi dignos æternæ vitæ fructus protuleritis, a terra viventium reſecandi, atque in flammas inextinguibiles mittendi eſtis. Videtis palmitem à vite præciſum non eſſe aptum, niſi ut in ignem mittatur, ita anima à Deo ſuo divulſa non eſt amplùs idonea niſi ut in igne infernali ardeat.

Videtis, qua ratione vitem ſuam amputet, ac ſuperflua reſecet agricola, ut fructum plus afferat: ita & vos circumcidere vos debetis, ac ſuperflua cogitationum, actionum atque affectuum reſecare, ut fructum omnis generis virtutum proferatis abundantiorem.

Videtis, qua diligentiâ & amore opilio ovem ſuam errabundam inquirat: multò ampliori curâ ac ſollicitudine Deus animam à via ſalutis aberrantẽ revocare, atq; ad gregem electorum ſuorum reducere ſatagit. Videtis, quantopere filium ſuum diligat pater, ut etiam poſt plures helluationum ac perditæ vitæ annos ipſum ambabus ulnis excipiat, atque inſtructo ſplendidiore convivio lætitiæ ex reditu ipſius conceptæ ſpecimina edat. Pater veſter cœleſtis omninò amore ardentiori proſequitur peccatores ex toto corde ſuo ad pœnitentiam ſe convertentes. Videtis, quantopere ſuum teneatur

neatur amare creditorem, qui ab ipso majorem recepit debiti remissionem. Ita vos eo debetis ampliùs amare Deum, quo pluta peccata remisit. Demum quis vobis sancta perlegerit Evangelia, ipsa scatere advertet excellentissimis documentis ex rebus sensibilibus deductis: Ubi videlicet divinus Magister & Salvator noster Jesus Christus considerationes spirituales circa ea omnia, quæ sub sensus cadunt, efformat. Id quod faciebat non solùm, ut nos ad divinam hanc Philosophiam, quasi manuduceret; sed & ipse pro seipso per scientiam acquisitam hoc exercitio utebatur, etsi modo infinitè ementiore ac divino. Quadam enim die Apostolis ipsum urgentibus ut manducaret, eo quod jam altæ in meridiem processissent horæ, atque ipse ex itinere multùm fatigatus esset, ille respondit: *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus.*

Ioan. 4. 32.

Methodus utendi hoc exercitio.

EX iis, quæ dixímus hactenus, facilè est unâ ex parte intelligere excellentiam hujus exercitii, quia ipse Dei Filius eo voluit uti; ex alia verò parte illius facilitatem, quia ad illius usum nullâ opus est violentiâ aut capitis contentione, sed sufficit habere propositum ex omnibus faciendi fructum, quo concepto, corde esse debemus suaviter recollecto. Deindeque in earum rerum, quæ occurrerint, occasione formare debemus devotum aliquem conceptum, simplicem, non distortum, suavem non violentum, affecti-

Quomodo fiat elevatio cordis

affectivum non curiosum, facilem ac quasi naturalem non à longè petitum. Conceptus hic ce simplex, suavis ac devotus tandem argumentum erit elevationis cordis. Atque ista est tota methodus, quam in hac sancta Philosophia tenere debemus. *per considerationem creaturarum.*

Diximus primò, conceptus ex creaturarum occursu formandos esse debere *simplices*, non distortos : alioquin enim insipidi forent ac sine fructu. Atque iste defectus est quorundam qui animum intendunt, nescio quibus sublimissimis speculationibus sine ratione ac fundamento conceptis, qui quidem defectus cavendus plurimùm erit : Hoc enim non est hac Philosophia uti sicut oportet. *Conceptus debent esse simplices, ac naturales.*

Non potest autem esse difficile formare conceptus simplices ac naturales, quia cùm nihil in mundo sit, quod non vel ad Deum referatur vel ei opponatur, nihil est facilius, quàm animum nostrum simpliciter in Deum inclinare, ubi ea occurrunt, quæ ad Deum referuntur ; vel concipere horrorem eorum, quæ nos ab ipso avocant, in contuitu eorum quæ ei opponuntur. Exemplum ejus quod ad ipsum refertur, accipe : *Quomodo facile queamus formare considerationes spirituales circa quamcumq; rem.*

S. Ignatius Loyola cùm nocte quadam illustriore cælum plenè stellatum conspicaretur : ait : *Quàm sordet mihi tellus, cùm cælum aspicio.* *Primum exemplũ.*

Exemplum ecce aliud illius, quod Deo adversatur.

In vitis Patrum refertur, Abbati Pambo ni aliquando cum aliis Religiosis civitatem versus iter instituenti occurrisse curiosiùs *Secundum exemplũ.*

exor-

adornatam levioris notæ mulierem. Illâ visâ sanctus Abbas plorare cæpit, qui cur ploraret à Fratribus interrogatus respondit : duo esse, quæ lacrymas ei cierent. Primum esse fœminæ istius perditionem, alterum suamet negligentiam, quia, inquiebat, tam sollicitè exornare animam meam virtutibus, ut placeat Deo, non contendo, quàm ista fœmina connititur exornare corpus suum, ut hominibus placeat. Ex istis duobus exemplis videri potest, qua ratione quibusvis in occasionibus formare quis possit conceptus simplices, faciles & absque ullo prorsùs artificio.

Vitanda coactio.

Diximus secundò, illos esse debere *suaves, non violentos*, neq; procul petitos. Fermè etenim nunquam velle debemus objecta ista quærere extra nos, ut illorum beneficio ad Deum attrahamur, hoc enim nimium esset in varia distrahi atq; extroverti potiùs, quàm internâ fovere recollectionem. Verùm satis est internam retinere dispositionem ad recipiendam instructionem atq; inspirationem Spiritus sancti ad sanctè circa illa, quæ nobis sponte suâ occurrunt, philosophandum. Quod si post maturam ac suavem animi applicationem nulla nobis oboritur cogitatio, nullatenus violentiam nobis inferre debemus, ut aliquam volentes nolentes concipiamus. Sed satis erit, si Dei haud immemores circa aliud quodpiam aspirationem aliquam ad ipsum eliciamus.

Vitanda curiositas.

Diximus tertiò, conceptus hujusmodi esse debere *affectivos non curiosos*. Id enim discriminis hanc inter Philosophiam divinam atque illam humanam intercedit : quod hæc sco-

scopum alium non habeat, quàm notitiam rerum, proindeque semper sit plena curiositatis; at illa, qua de agimus, non aliò collimat, quàm ut cor sancto quodam affectu permoveat. Eapropter satis ei quandoque est notitia objecti sui generalior, quin ad minuta descendat ac particularia, quia illa satis est animo in Deum inclinando. Exempli gratia intuendo pulchrum aliquem florem vel cœli arcum, animus non insistit distinguendis coloribus aliisve circumstantiis, quibus res istæ exornantur: sed satis ei est videre objectum hoc esse pulchrum: atque etiam esse opus Dei, pro quo ipse mereatur laudari atque amari.

Praxis istius exercitii.

VErùm enim verò ut omnia prædicta in praxin redigamus, supposito cor esse inflammatum desiderio Dei (sine hoc enim quidquid dicturi sumus, fructus omnis expers erit) ubi quis viderit cœlum tam pulchrum adeoque exornatum, potentiam admirabitur Creatoris: aut certè considerabit ipsum esse æternæ felicitatis nostræ locum, quò proinde affectuosè suspirabit.

2. Considerando motum illius adeò ordinatum atque uniformem, cursum solis, tempestatum variationem, atque uno verbo cunctarum creaturarum egregium illum ordinem dicere poteris:

Domine Dominus noster: quàm admirabile est nomen tuum in universa terra. Psal. 8. 2.

Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum; Lunam & stellas quæ tu fundasti. ibidem. v. 4.

Quia

91. 5. *Quia delectasti me, Domine, in factura tua: & in operibus manuum tuarum exultabo.*

103. 24. *Quàm magnificata sunt opera tua, Domine: omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tuâ.*

148. 6. *Statuit ea in æternum & in sæculum sæculi: præceptum posuit & non præteribit.*

65. 3. *Dicite Deo: quàm terribilia sunt opera tua, Domine.*

144. 4. *Generatio & generatio laudabit opera tua: potentiam tuam pronuntiabunt.*

Iob. 9. 7. *Præcepit Soli & non oritur: & stellas claudit quasi sub signaculo.*

Ps 146. 4. *Qui numerat multitudinem stellarum; & omnibus eis nomina vocat.*

Baruch. 3. 35. *Vocatæ sunt & dixerunt: adsumus & luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas.*

3. Videndo vastam illam oceani magnitudinem, cogitabis illum, qui ipsum fecit, longè esse majorem, ac dicere poteris:

Ps. 92. 4. *Mirabilis in altis Dominus.*

Ps. 94. 5. *Ipsius est mare & ipse fecit illud.*

103. 25. *Hoc mare magnum & spatiosum manibus: illic reptilia quorum non est numerus.*

4. Videndo arenam in littore maris, dices:

Eccli. 1. 2. *Arenam maris quis dinumeravit?* Tu es, Domine, qui numerum illius nosti, at laus illa, quam tu mereris, mille milenis vicibus hunc numerum arenæ excedit.

5. Audiendo tonitrua, diecs:

Ps. 76. 19. *Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ.*

Jer. 10. 7. *Quis non timebit te, ô Rex gentium?*

Tu terribilis es, & quis resistet tibi? Ps.75.8.
Quis novit potestatem iræ tuæ: & præ timore tuo iram tuam dinumerare? 89.11.12.

6. Videndo pluviam, grandinem, nivem, gelu atque alias tempestatum varietates, dices: *Hæc omnia faciunt verbum ejus.*

Hac enim ratione cunctæ insensibiles creaturæ obediunt Deo: cur igitur creatura rationalis in omnibus & per omnia voluntatem quoque ipsius non perficiat?

7. Audiendo avicularum cantillationes excitabis teipsum ad cantandas in corde tuo communis Creatoris nostri laudes. Neque hoc immortificationi oculorum tribuendum existimabis, si considerandis earum elegantissimis plumis intendas, ut Deum inde benedicas.

8. Videndo indefessum laborem formicæ, pulchrioremque Politiam Reipublicæ apum, sapientiam admirabere Creatoris, qui tam egregiis proprietatibus animalcula illa insignivit.

9. Mediocres considerando bestiolas nutrimento suo conquirendo intentas, elevabis mentem ad recognoscendum ineffabilem providentiam Dei, ne unam quidem ex ipsis deserentis, quin ei prospiciat, dicereque poteris cum Psalmographo.

Oculi omnium in te sperant, Domine: & tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam: & imples omne animal benedictione. Ps.144.15 16.

10. Videndo rivulum per rupes, nemora ac valles decurrentem, ut in mare delabatur, dices: Eâ quoque ratione conniti deberem, ego, ut in Deum meum, ex quo originem duxi, refluam ac relabar, quin ulla creatura cohibere me posset.

11. Videndo gnomonem nauticum magnete perlitum indesinenter ad septentrionem suum se convertentem, quin alibi conquiescat, dices: Hac ratione cor semel à Deo contactum sine intermissione ad ipsum suspirat, vehementerque aspirat, neque, nisi in illo, requiem invenit: *Fecisti nos ad te*, inquiebat S. Augustinus, *Domine, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.*

12. Sentiendo satisfactionem aliquam ac naturalem voluptatem, ex eo quod te calefacias, ubi frigueris; bibas ubi sitieris, cibo aliquo vescaris delicatiore, aut in simili aliqua occasione, voluptatem quantum poteris abdicando, gratias reddas Deo, quod nobis de cunctis necessitatibus nostris tam abundanter prospiciat, etsi voluntariam ob illius amorem elegerimus paupertatem.

13. Videndo mundanos homines in promovendis negotiis suis temporalibus tam ardentes, dices: *Prudentiores sunt filii hujus saeculi filiis lucis in generatione sua.* Luc. 16. 8.

14. Audiendo laudari aliquem ob suam magnitudinem, aut bona fortunæ, dices: *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt: Beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.* Ps. 143. 15.

15. Videndo milites, dices: Homines isti pro nescio quo temporaneo lucro morti se

expo-

" exponunt , & ego quàm parùm facio pro " Deo meo ?

16. Videndo aliquem objacturam aliquam temporalem afflictum , dices : " Parùm est " cuncta visibilia amittere; at maxima jactura " est peccato Deum ac cœlum amittere.

17. Audiendo discursus de scientia aliqua curiosiore, dices : " Heu ! Domine, si tanta " cum voluptate potentias nostras tui cogni- " tioni atque amori impenderemus.

18. Videndo mendicum aliquem ulceribus plenum, membris mutilum, aut aliâ quavis calamitate affectum, oculos ab eo minimè divertes, sed, ubi illum tenerâ cum compassione intuitus fueris Deo gratias ages, dicendo : " Gra- " tias tibi ago, Domine , quod omnium mihi " usum membrorum meorum concesseris : " Nunquid & me huic similem efficere po- " tuisses, si voluisses.

19. Audiendo recitationem vitiorum alicujus, aut videndo etiam ipsum peccatum aliquod admittentem, magnam inde tristitiam ob Deum offensum concipere satages , ac Deum pro conversione ipsius orabis.

20. Videndo denique mirabiles avium aliorumve animalium proprietates aç naturales industrias conservandæ vitæ suæ , nutrimenta sua congregandi, atque illis vescendi, evadendi retia , à morte se præservandi , dices cum S. Bernardo : *Pudet hoc, rationem non posse in homine, quod natura potest in volucre.*

CAPUT XXXIV.

De repræsentatione sacratissimæ Humanitatis Salvatoris nostri Jesu Christi.

Exercitium III.

NOn desunt qui hoc practicent genus præsentiæ Dei, magnam in eo reperientes facilitatem, fructumq; non modicum reportantes : diversi tamen in eo gradus reperiuntur. Juniores Novitii vagabundam suam imaginationem cohibere poterunt sensibili atq; imaginariâ Salvatoris nostri repræsentatione, in omnibus rebus ita se gerentes, ac si ab ipso sive in terris vivente, sive in cœlis regnante coràm viderentur. Eo fine ad ipsum omnes operum suorum directiones, omnes aspirationes, atque omnia interiora colloquia dirigent. Hoc perquam facillimum multumque tyronibus proficuum erit.

Praxis pro Incipientibus.

Praxis pro Proficientibus.

At Provectiores illic fistere non debent, sed formare pulchram, affectivam, ac Majestate plenam Humanitatis Jesu Christi sacratissimæ ideam, in illius continuo ambulare conspectu conatique, ut ipsi in illum transformentur per fidelem imitationem, suavi, cordiali ac sincera erga eandem humanitatem affectui sociatam.

Hoc proinde exercitium diversis modis practicari potest. Incipientibus sufficit sola repræsentatio imaginaria, quæ ipsos in timore contineat ac reverentia. Proficientes verò ulteriùs provecti illi sociant suavissimum, maximaque reverentia plenum affectum, quo connituntur indu-

induere ſpiritum divinum, in quo amantiſſimus hic Dominus noſter in terris converſatus fuit; ſuavi quadam atque affectivâ conſideratione ſenſus atque affectus illius penetrando, illiq; in omnibus agendi modis ipſius, quantum quidem poſſibile ipſis fuerit, ſe conformando.

Induimini Dominum Ieſum Chriſtum. Rom. 13. 14.

Perfecti denique ſunt, qui ob frequentatum hoc exercitium adeò perfectam acquiſierunt in tota vita ſua cum Salvatoris noſtri humanitate conformitatem, ut, illos ubi videris in actionibus ſuis, totaliter in ipſum transformati videri tibi queant. Veluti in ſemetipſo ſentiebat Apoſtolus, qui ait: *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Chriſtus.*

Pro Perfectis.

Gal. 2. 20.

Novitii mox à ſua receptione primum ex hiſce tribus gradibus uſurpare poterunt, ſi aliquam in ipſo perſentiſcant oblectationem ac facilitatem; ſin verò, nullâ utentur violentiâ, ut ſe in ipſum impellant. Provectiores contendant ad ſecundi gradus praxin ſe extendere; pro illis enim præcipuè hoc exercitium exponimus; quod ubi ipſi amoris pleno, ac fideli animo âmplexati fuerint, modico tempore deprehendent, ſeſe ſpiritu, vitâ, ac ſenſibus Jeſu Chriſti indutos, ac tandem perfectè in ipſum fuiſſe transformatos. Et verò, quid eſt in Jeſum per ſapidiorem illius ſanctiſſimæ vitæ guſtum, perque perfectam illius agendi atq; cum hominibus converſandi modi imitationem transfotmari, niſi jam perfectum atq; omninò evaſiſſe divinum? Noſtram etenim Dei Filius naturam induit, ut nos per ſenſibilia ad ſe attraheret, quia nos toti ſumus ſenſibiles, nosque in ſuam transformaret divinitatem,

ubi nos suæ sanctæ conformaret humanitati. Quis verò non videat vitam nostram futuram esse perfectissimam, si Salvatoris nostri vitæ perfectè foret conformis? Hoc sanè sufficere deberet Fratribus nostris ad eximiam hanc praxin amplexandam invitandis: non absretumen erit, porrò aliqua hic subjungere.

De Necessitate atq; Utilitate hujus exercitii.

Necessitas. EXercitium istud usque adeò necessarium est, ut rarò Religiosum reperire queas, qui in via perfectionis absque illo proficiat: ipse etenim Salvator ait: *Ego sum ostium. Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Quæ causa est, cur vitæ spiritualis Patres post S. Dionysium nunquam committere nos debere dicant, ut repræsentatione sacratissimæ humanitatis Salvatoris nostri Jesu Christi expoliemur; etsi omnibus aliis speciebus atque imaginibus in statu contemplationis nudari nos oporteat. Illa enim nocere minimè potest, quin potiùs illa colligit, tranquillat, ac modo prorsùs admirabili elevat animum, cùm ipsa materialis non sit, ut ceteræ. quia facta est valdè tenuis, pura, ac spiritualis propter amorem; qui ipsam sustinet, quo deficiente ipsa remaneret valdè crassa, purèque imaginaria, veluti reverà est in animis Incipientium, qui, quod cor Deo satis appropriatum, aut animum satis purificatum necdum habeant, repræsentationem Salvatoris nostri talem sibi efformare non possunt, qualem oportet, ut hocce exercitium dignè practicetur. Ubi attamen suo quivis id modo proque posse

Ioan. 10. 19. & 14. 6.

suo

suo practicaverit, magnos semper fructus inde reportabit.

Adhæc scitu dignissimum est, proprium exercitii istius effectum esse majoris vivacitatis naturalis ac vehementiæ, quæ apud complures in actionibus ipsorum animadvertitur, moderationem, Effectus quoque illius est, Religiosum efficere singularis in vita sua exempli, in verbis prudentem, in exterioribus suis bene compositum, in cunctis cogitationibus ordinatum, mortificatum in omnibus passionibus suis, ac magnâ in anima sua pace perfusum: quia simplex ac nativa sacratissimæ Salvatoris nostri personæ repræsentatio cuncta illa producit, cùm certum sit, quales fuerimus interius, tales quoque exterius nos futures, atque ubi noster animus divinâ istâ fuerit repræsentatione informatus, ordo ille, quem diximus, tam interius quàm exterius consequetur. Ut autem rem paucis expediam, divini istius exercitii proprium est, Religiosum in tota sua vita quasi manuducere, ipsum occultè, at magnâ cum illustratione, docendo, quanam se ratione in quavis actione sua gerere debeat: quia Jesus Christus erit ei quasi fax quædam admirabilis, in momento ei quidquid, ubi, atque in quavis occasione agere debeat, ostendens. *Utilitas.*

Hoc ipsum dicere voluisse ipsemet videtur in sancto Evangelio suo, ubi ait: *Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris.* Et quoniam in ipsa sua sacratissima persona cunctas vitæ nostræ actiones, illas exercendo, illisque seipsum subjiciendo, consectare voluit ac sanctificare, Religiosus verè amans *Ioan. 8. 12.*

spiritualis sui profectus, confestim ubi oculos mentis suæ in hoc divinum exemplar conjecerit, quonam se modo in actionibus suis ipse gerere debeat, animadvertet: Etenim si eximiæ virtutis Religiosi, quem cognovimus aliàs, recordatio, aut alterius insigniter modesti præsentia statim ad nosmet nos revocat, atque ad officium nos nostrum redire compellit, si ab ipso fortè descivimus, quanto fortior atque efficacior esse debebit repræsentatio Humanitatis ipsiusmet Filii Dei?

Regulæ hujus exercitii.

AGe, jam tradamus regulas, quas in hocce nobilissimo utilissimoque exercitio observare necesse est.

Supponendum primò est animam nostram tenerâ quadam erga sanctissimam hanc Humanitatem devotione affectam, jàm tum crassiores defectus exteriores studio ac praxi modestiæ resecuisse.

Quando idea de Christo efformanda.

Secundò connitendum nobis est, ut interius animo efformaverimus pulchriorem ideam Salvatoris nostri, utpote hominis infinitè modesti, summè affabilis, atque in omnibus, quæ agebat, Majestate quadam prorsùs divinâ conspicui, facie semper serenâ, oculis alliciente quadam pene illecebrosâ suavitate plenis, sermone blando, corde commiseratione tenerrimâ affecto, atque ad omnibus hominibus conferenda beneficia comparati, humilis ac patientis in injuriis, opprobriis & calumniis, uno verbo attenti & circumspecti in omnibus verbis atque actionibus suis, usque ad minimum

intui-

intuitum, ut nihil in illo reperiri queat, quod cor noſtrum neſcio qua occultâ virtute non abripiat. Atque ubi inveneris aliquam illius pulchriorem imaginem, utiliſſimum erit illam attentiùs inſpicere, ut inde concepta ſpecies aliquando in idea, quâ de agimus, efformandâ, auxilio eſſe poſſit. Hæc attamen repræſentatio nullatenus ſit oportet violenta aut coacta, ſed ſuavis ac voluntaria, plus in affectione, quàm in imaginatione: omninò enim violentum capitis dolorem ſibi conſciſcerent illi, qui hac in re uti vellent vehementia, uti faciunt nonnulli, qui ſibi imaginantur, quaſi Salvatorem noſtrum coràm intuerentur cum plena faciei, lineamentorum, greſſuum, aliarumque circumſtantiarum diſtinctione. Non deſunt, qui animo ſibi fingunt illius attactum; alii in ſacra illius vulnera ingreſſum; cuncta hæc expoſita illuſionibus, maximeque ſunt à ſuavitate, puritate, atque animi ſimplicitate qua exercitio huic inſiſtendum eſt, aliena. Tametſi etenim Humanitatem Dei Filii multis cum circumſtantiis peculiaribus deſcripſerimus, ut eximiam illius ideam ſuppeditemus, illam tamen animo fingere in momento debemus, & cogitationem noſtram omnibus prædictis circumſtantiis nudare, ut uni ſoli ſimplici ac nativo conceptu inſiſtamus,

Idea illa ſuavis ſit. ac ſimplex

Tertiò, ubi hac in re primarium exercitium noſtrum conſtituere voluerimus, contendemus continuò hanc repræſentationem in corde ac præ oculis habere, illam luce

Methodus iſtius exercitii.

prima concipiendo, Deo cunctas actiones nostras in unione actionum filii sui offerendo, & connitendo illas eodem spiritu perficere, quo novimus suas ab ipso fuisse peractas; identidem contuitus aliquos affectivos in ipsum conjiciendo, ac familiariter ipsi colloquendo.

Qui viâ hacce gradiuntur, frequenter legere debent sanctum Evangelium, ut verum Jesu Christi spiritum bene comprehendant, gustent, atque illi se conforment, agendo & patiendo in cunctis ad eum modum, quo ipse egit ac passus fuit. Ita nimirum, ut ubi conversati, locuti, progressi fuerint, ubi cibos sumpserint, ubi laborârint, ubi fuerint in Ecclesia, in cella, in publico, in privato semper annitantur interius æquè atque exterius se conformare modo, quo Christus, in terris cum ageret, actiones istas perfecit.

Praxis istius exercitii.

UT exercitii hujus praxis Fratribus nostris eò reddatur facilior, aliquot illius hic exempla apponemus.

1. Surgendo ad matutinas animo suo repræsentabunt Salvatorem nostrum totas in montibus noctes in orationibus transigentem, uti adnotavit S. Evangelista Lucas, ubi ait: *Et erat pernoctans in oratione Dei.* Quod si aliquam insurgendo persenserint repugnantiam, ipsum considerabunt in horto adversus ingentes repugnantias illas bibendi passionis calicis dimicantem, dicentque cum ipso: *Non quod ego volo, sed quod tu.* Atque iterùm: *Ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut man-*

Luc. 6. 12.

Marc. 14. 36. Ioan. 29. 31.

mandatum dedit mihi Pater, sic facio : surgite, eamus hinc.

2. Sub oratione sive vocali sive mentali ob oculos sibi proponent, quanta cum reverentia ipse in orationibus suis coram Patre suo æterno consistebat, quamque ei profundas adorationes offerebat.

3. In solitudine ipsum considerabunt in deserto solitarium, Deoque purè vacantem.

4. Actum aliquem obedientiæ exercentes, concipient, quantâ promptitudine, gaudio atque accuratione mandatis Beatissimæ Virginis ac S. Josephi paruerit.

5. Ubi ex obedientia Fratribus suis sive hospitibus, sive infirmis inservire ipsos contigerit, expendant, quanta ipse cum modestia, gaudio atque humilitate id obsequii aliis exhibuerit dicens: *Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. Et qui major est in vobis, fiat sicut minor.* Luc. 22.

6. Occurrente mortificationem aliquam, humiliationem, aut contradictionem subeundi occasione, dicent intra seipsos: *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini in ullo deficientes.* Hebr. 12. 3.

7. Ubi ob defectum aliquem reprehensi fuerint, quem tamen non admisêre, ipsum cònsiderabunt injustè accusatum, coram Judicibus, admirabili cum patientia, quin unquam excusare se voluerit, consistentem. Quin imò, si etiam ulteriùs procederetur, cogitabunt id quod ait S. Petrus: *Cùm malediceretur non maledicebat, cùm pateretur non comminabatur:* 1. Pet. 2. 23.

tur: tradebat autem judicanti se injustè. Hoc faciet, ut in omnibus & per omnia patientes existant.

8. Quod si quid è contrario audierint, quod vergat in laudem ipsorum, recordabuntur, quantum ille moderationis ac modestiæ exhibuerit, ubi populus ei, post sermones suos admirabiles, applaudebat, cuncta referendo in gloriam Patris ac dicendo: *Ego gloriam meam non quæro, sed honorifico Patrem meum.* Ioan. 8. 49.

9. Si quid eis ex paupertate defuerit, lætitia perfundentur non modica, considerantes etiam Salvatori nostro non rarò defuisse vitæ nedum utilia, sed & necessaria. Quod si è contra nihil eis deficiat de eo, quod ei se conformandi occasio ipsis desit, ingemiscent.

10. Quod si etiam videant virtutes impugnari; Regularem observantiam imminui, ac spiritum Ordinis adulterari, postquam rem Deo commendârint. eaque, quæ zelus ac prudentia in similibus casibus requirunt, præstiterint, in memoriam revocabunt, quàm ineffabili cum patientia perspicacissimus ille Salvator noster, cùm in terris ageret, viderit Dei Patris sui præcepta infringi atque contemni, etiam ab illis, qui ipsa alios docere debuissent, & tamen in corde dumtaxat suo vehementi istius rei sensu oppresso ingemuerit absque ulla inquietudine inde concepta.

11. Si quavis ex causa fuerint tristes, illi conformare se studebunt, quoad statum tristitiæ, quem in horto persentiscebat. Si infirmi, considerabunt cunctas infirmitates nostras

ſtras in ſanctiſſima fuiſſe perſona illius, propriis ipſius doloribus, ſanctificatas. Uno verbo, vivere annitentur, ac mori in perfecta conformitate cum ſacratiſſima Jeſu Chriſti Humanitate.

CAPUT XXXV.

Alius excellentiſſimus modus Deum ſemper habendi præſentem.

Exercitii IV.

ILle in eo ſitus eſt, ut Deum agnoſcamus in rebus omnibus operantem. Hoc eſt cuncta de manu ipſius recipiamus, neque creaturas, niſi tanquam ipſius inſtrumenta, conſideremus, ſed quæcumque nobis eveniant, illius in providentiam cuncta referamus, illique noſtram totaliter conformemus voluntatem. Hoc exercitium mirabilis eſt emolumenti, animum enim ſemper erectum, & cor noſtrum in magna conſervat quiete. Eſt etiam unum è nobiliſſimis, quæ in vita ſpirituali uſitari ſolent, quia conſiſtit in actibus trium virtutum Theologicarum, *Fidei*, *Spei* & *Charitatis*, quæ cæteris omnibus antecellunt. Particulatim id expoſitum imus.

Fidem hujus exercitii eſſe fundamentum.

ANte omnia neceſſe eſt firmiſſimam habere fidem iſtius veritatis, nihil videlicet in hac vita nobis evenire, quin expreſſa Dei

Dei providentia intercedat, ipsum vel decernendo vel permittendo. Quia ut ait Apòstolus: *Operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.* Neque proinde dici potest, quidquam fortuito casu evenire; si expenderimus ipsum in cuncta, quæ in hoc mundo inferiori eveniunt, oculos semper habere defixos, illiusque providentiam ad cunctos in universum homines ita extendi, ut cujusque in particulari nihilominus tantùm curam agat, quasi hic solus esset in mundo; uti dicere velle videtur Psalmographus ubi ait: *Qui finxit sigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum.* Ille est, qui immittit bonum ac malum, vitam ac mortem, tristia ac læta, *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt.* Idque verum est non de rebus dumtaxat majoribus, verùm etiam minimis: ab omni etenim æternitate cuncta, quæ vult in tempore ut nobis eveniant, annotavit, neque unicus ex capite nostro capillus defluit, quin ipse velit.

Ephes. 1. 11.

Ps. 32. 15.

Eccli. 11. 14.

Vestri autẽ capilli capitis omnes numerati sunt. *Matt.* 10. 30

Et capillus de capite vestro non peribit. *Luc.* 21. 18.

Praxis, quæ hanc firmam fidem consequatur necesse est, consistit in eo, ut cuncta recipiamus, non quasi ab hominibus, sed quasi procedentia à manu Dei; auspicata proinde ac grata acceptemus cum humili gratiarum actione; adversa verò amoris plena cum resignatione, annitendo ingredi in sanctam providentiæ ipsius intentionem, atque illum inde elicere fructum, quem ille intendit, ubi res hujusmodi nobis immisit. Nonnulli magno cum emolumento sæpiùs iterare solent hanc orationem jaculatoriam: *Domine sicut vis & sicut scis, sic fiat mihi.*

Praxis prædicto conformis principio.

Novi-

Novimus aliquos huic excellentissimo exercitio tantoperè assuetos, ut non solùm superioris, verùm etiam cujusvis hominis verba Dei verba ipsis videantur.

Ubi etenim eis aliquid imperatum fuerit, confestim ipsum exequi parant, non quia homo est, qui id dicit, sed quia Deus vult, ubi verò, etiam injustè, reprehensi fuerint, correctionem acceptant, tanquam à Deo, non verò ab hominibus.

Formulæ & exempla pro rebus prosperis.

Ad hæc cum illis in Refectorio cibi ministrantur intra seipsos ita ajunt: "Tu nobis "summe Pater de cunctis necessitatibus no "stris ita commodè prospicis: Panis iste tuâ "nobis paternâ manu donatur.

Similiter hyeme igni appropinquantes inquiunt: "Quàm suavis atque admirabilis in "cunctis est bonitas tua, Domine! Quid in "ista vehementia frigoris egissemus, nisi tu "ignem creasses, ac nisi hæcce nobis tu ligna, "quibus illum foveamus, subministrasses.

Quin etiam iter aliquando in maximo æstu faciens nonnemo vehementissima torquebatur siti, cum ecce juxta viam invenit limpidissimum fontem. Verùm de agendis gratiis Deo priùs cogitavit, quàm de potu, dicendo intra seipsum: "Heu me! Quàm bonus est Deus, "quamque providus erga cunctas creaturas, "quod etiam juxta regiam viam fontes pro via- "torum solatio collocarit? Ab initio prævi- "deras, Domine, futurum, ut hicce hodiè mi- "hi foret necessarius: Bibam ergò ex illo cum "debita benignissimæ providentiæ tuæ gratia- "rum actione.

Praxis

Pulchra suppositio. Praxis ista perquam facillima est, optimèque refertur ad suppositionem, quam facere possumus. Supponamus, inquiunt aliqui, miserum aliquem navicularium naufragio in oram aliquam ejectum à beneficio in pauperes Nobili recipi hospitio, qui etiam, ut bene ipsum habeant, promptè ei inserviant, cunctis suis domesticis præcipiat. Hic igitur occurrit, ut ignem accendat, ille mundum offert indusium, alius vestes, iste cibos ministrat, ille potum, alius lectum componit, atq; ita de cæteris. Hic homo non acceptabit hos actus charitatis dumtaxat à manu servorum, sed præcipuam obligationem habebit Patrifamilias, qui ista cuncta sic fieri jussit. Eodem prorsùs modo oportet ut omnes creaturas non consideremus nisi veluti domesticas domus Dei (quæ est universus hic mundus) omniaque, quæ ab illis nobis obveniunt, recipiamus, non tanquam procedentia ab ipsis, sed ab ordinatione ac decreto speciali Creatoris.

Applicatio. Ita ubi pium aliquid ex ore Fratris nostri, aut pulchrum sermonem vel ferventem audiverimus exhortationem, dicendum nobis erit: *Ecce quid Deus per os istorum tanquam nunciorum suorum mihi significet?* Si quis defectus nobis nostros ob oculos proponat, etsi hoc ex officio ei minimè incumbat, dicemus: *Deus est, qui mearum me imperfectionum commonefacit:* Quod si defectum, quem ille imponit nobis haudquaquam admisimus, dicemus: *Ecce quomodo Deus probare me vult, ut videat an habeam patientiam atq; humilitatem.* Atque ita de cæteris.

Quoad

Quoad ea, quæ molestiam pariunt, cùm eorum Deus æquè ac aliorum sit author, ea de manu ipsius humili cum resignatione ac patientia acceptare debemus. Quod si de suo quid admisceant creaturæ, persuasum habere debemus, id eas non facere nisi tanquam instrumenta ipsius Dei, prout ait Isaias: *Assur virga furoris mei & baculus ipse est. In manu eorum indignatio mea.* Tametsi verò creaturæ ex parte sua sine causa nobis malum inferre velint, non tamen fit sine causa ex parte Dei, quia multò amplius pœnarum vel unico peccato meruimus, quàm ipse nobis unquam in hoc mundo immittat. Quod si illi, quorum operâ hac in re Deus utitur, ex parte sua intermiscent peccata, uti fit in detractione aut injuria ex iracundia in nos conjecta; oportet ut in animo nostro peccatum à nostra afflictione abstrahamus, atque illo illic ubi est relicto, nos præcipuè intendamus ipsi rei, quæ ex Dei mandato nos affligit, ut illam tanquam à Dei manu procedentem æquo animo toleremus. *In adversis.* *Isa. 10. 5.*

Hac ratione se gessit virorum patientissimus Jobus, ubi omnibus bonis suis nudatus fuerat ab hominibus; horrendâ atque atrocissimâ plagâ à planta pedis usque ad verticem capitis à Dæmonibus afflictus, ac denique tanquam impientissimus hominum incusatus ab intimis amicis suis, qui ipsum consolari debuerant. A sola enim Dei manu afflictionem istam acceptavit, inquiens: *Manus Dei tetigit me*, neque ullatenus culpam conjecit in Diabolum vel etiam homines. *Iob. 19. 21.*

Exemplū Iesu Christi

Excellentius hujus rei exemplum nobis dedit ipse Salvator noster Jesus Christus. Cùm etenim S. Petrus passioni illius resistere contenderet ait ei: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Ubi observandum est, ab ipso culpam non conjici in Sacerdotes, qui mortem ipsius machinati fuerant: neque in Judam, qui ipsum prodiderat; neque in Judæos, qui ipsum accusabant; neque in lictores, qui ipsum discruciabant; neque demum in Diabolos, qui ipsos instigabant, sed in omnibus his unicè attendebat voluntatem æterni Patris sui. Idem quoque ad illius imitationem faciamus oportet quavis in adversitate, quæ nobis occurrit, ingrediendo, quantum possibile est, in Dei circa nos voluntatem.

Ioan.18,11

Quomodo hoc in exercitio virtus spei exerceatur.

ALter actus, quem hoc in exercitio intercurrere diximus, est firma *spes* in Deum, qua confidimus summam illius bonitatem peregregiè cuncta ad salutem nostram in quavis via, quam circa nos tenere voluerit, sicut *potest* ac *vult*, excellentissimè procurandam directuram.

Deus in omnibus rebus agit secundùm infinitam sapientiã.

Potest, quia cum in creatione mundi de tenebris lumen eduxerit, difficilius ipsi non erit profectum nostrum spiritualem, atque internam perfectionem ex quibusvis casibus istis, quantumvis differentibus, elicere. Econtrà cum in omnibus agat secundùm infinitæ sapientiæ suæ lumen; immensum in modum melius nobis cognoscit, quid utile nobis sit aut necessarium. Tametsi verò res videantur viis pure humanis

manis evenire: nihilominus in iis operatur Deus, ut causa principalis, tametsi id modo fiat invisibili: *Attingit enim à fine usq; ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter*, adeò nimirum suaviter, ut sponte suâ res fieri videantur absque ullo ipsius interventu. Sap. 8. 1.

Pulchrum rei hujus exemplum habemus in S. Paulo Eremitâ, quem metu mortis, quam Sororius bonorum ipsius avidus ei conciliare parabat, Christianæ Religionis ipsum eo tempore, quo adversum Christianos sæviebat persecutio, accusando, in desertum haud aliâ intentione, quàm necis effugiendæ causâ, se recipiebat. Quis obsecrò videndo quindecim annorum puerum in vastas illas solitudines sese conferentē dixisset, illic à Deo expectari ipsum, ut in magnum Sanctum evaderet? Ita tamen evenit. Neque profectò vel una dies elabitur, qua plures nobis occasiones non obveniant, in quibus peculiariter divina circa nos providentia agit, & si modi atque artificia nos lateant.

Neque potest dumtaxat, sed etiam vult hisce nos viis ad eximiam perfectionem deducere, modò nos ex parte nostra totaliter ei nos concredere ac resignare velimus. Non etenim cœco modo ille agit, quin potius è contrario perfectissimè novit ipse, quo quidvis casurum sit, uti luculenter testatur Vates Regius ubi ait: *In intellectibus manuum suarum deduxit eos.* Ps. 77. 72. Ac Sapiens etiam ait: Cum reverentia ab illo nos tractari haud secùs ac vasa chrystallina aut vitrea pretiosa magnâ tractare solemus cum circumspectione, quia servare ea volumus non distrumpere, *Tu autem Dominator virtutis* Sap. 12. 18.

cum magna reverentia disponis nos. Adeoque nil penitus nobis accidit, quin ipsum Deus simul composuerit, atq; ad salutem ac perfectionem nostram, modò ritè eo uti velimus, opportunum judicaverit. Hoc sanè nostram in illius amantem directionem augere supra modum confidentiam debet, ut in omnibus paternam illius providentiam per plenam nostræ cum illius voluntate conformitatem adoremus. Atque istud reverà est, in quo omnis consistit perfectio. Neque enim credendum est, ait S. Therèsia, in ipsâ alia arcana vel incognita mysteria delitescere. Hæc totius nostri boni summa est.

In castell. anim. mans. 2.

Duo exercitii istius fructus.

Duæ autem hinc peculiariter emanant prærogativæ. Prima est non exigua interior pax cum admirabili animi moderatione atq; æquitate, Altera est non mediocre virtutis ac meriti incrementum, cum radicatione cordis nostri in Deo adeò profunda, ut nullo inde casu revelli queat.

Ex duobus id elicimus Scripturæ locis, quorum alter est Isaiæ 48. ubi Deus ita ait: *Ego Dominus gubernans te in via, qua ambulas; utinam attendisses mandata mea: facta fuisset sicut flumen pax tua, & justitia tua sicut gurgites maris.*

Isa. 48. 17. 18.

Alter est Jobi 22. ubi dicitur: *Acquiesce Deo & habeto pacem, & per hæc habebis fructus optimos. Dabit pro terra silicem, & pro silice torrentes aureos.*

Job. 22. 21. 24.

Quanam ratione hoc in exercitio interveniat charitas.

COnsummatio atq; essentialis exercitii istius perfectio humilis est, atque affectuosa in ductu

ductu atq; auſpiciis Dei in omnibus tam proſperis quàm adverſis aſſenſio ac noſtri renunciatio. Hæc autem nihil aliud eſt, quàm actus charitatis, quo quidquid fit à Deo diligimus: ita ut res nobis non arrideant propter ſeipſas, ſed propter amorem Dei illas ita decernentis. Si quæ verò nobis contrariæ in ſeipſis diſpliceant, placent tamen ob Dei illis conjunctã voluntatẽ.

Hoc ſuppoſito permagni faciendus eſt Deus, magisque exoptandum, ut illius in omnibus voluntas fiat, quàm noſtra aut ullius creaturæ. In iſtâ etenim voluntatum unione propriè conſiſtit verus amor, quæ ſi disjungi inciperent, mox amor extingueretur aut ſaltem intepeſceret. At Scriptura ſancta ait, quod fideles in hoc amore Deo in cunctis rebus acquieſcent: *Fideles in dilectione acquieſcent illi.* Et S. Auguſtinus adjungit: Nihil à nobis offerri Deo gratius poſſe, quàm ſi illi dicamus: *Poſſide nos & diſpone de nobis*, uti de re, quæ tota tua eſt; adorando illius ductum, ipſiusque gubernationi in cunctis nos ſubmittendo. Sap. 3. 9. In Pſ. 131.

Actus, quos in hoc exercitio elicere debemus, eſſe poterunt ſimiles iſtis, quos ex ſacris Scripturis ac Sanctorum praxi deduximus.

O quàm bonus & ſuavis eſt, Domine, ſpiritus tuus in omnibus! Sap. 12. 1.

Tua autem, Pater, providentia ab initio cuncta gubernat. Sap. 14. 3.

Juſtus es, Domine, in omnibus viis tuis, & ſanctus in omnibus operibus tuis. Pſ. 144. 17.

Ego non ſum turbatus, te paſtorem ſequens. Ier. 17. 16.

Omnem ſollicitudinem meam in te projicio: quoniam tibi cura eſt de omnibus. 1. Pet. 5. 7.

S. Gertrud. *Æterna voluntas tua, Domine, fiat in nobis,*

In omni eventu contrario. *Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.*

Matt. 11. 26. *Obmutui & non aperui os meum, quoniam tu fecisti.*

Ps 38. 10.

CAPUT XXXVI.

Monita circa orationem aspirativam.

Monitum primum.

ASpirationum finem non esse dumtaxat, ut in bono conservemur, sed etiam, quin & amplius, ut in illo proficiamus, atque in Dei amore incrementa sumamus, superiùs à nobis dictum fuit. Eapropter nequaquam satis est, ut semper in animo simus comparati ad nos ad Deum in occasionibus occurrentibus elevandos (quò dumtaxat spectare videntur ea, quæ diximus hactenus) verùm insuper oportet, ad hoc ut nos ipsos excitemus, connitendo, bonum aliquem cogitatum in nostro semper corde ut habeamus; ex quo velut proprio argumento jaculatorias atque ardentiores orationes queamus efformare. Ob cujus rei defectum ait noster eximius contemplativus Frater Joannes à S. Sampsone, remanemus otiosi, quin sciamus, cui rei intendere debeamus. Non quod impossibile sit, ut nos occupemus, prout asserunt bene multi, sed quia voluntatem non excitamus, ut oportet, circa materias, quæ accendere possent atque inflammare. Atque ista continui atque ardentioris amoris occupatio vita esse deberet animarum, quotquot sunt ad Ordinem Carmeli-

melitanum electæ, ut Deum perfectè cognoscerent & amarent, veluti reverà hic finis est, ob quem creati atque ad istam sacram Religionem vocati sumus.

Monitum secundum.

TAmetsi aspirationum exercitium efficaciter excultum effectus sit ardentissimæ charitatis & cordis imprimis commoti opus, apeoque tametsi videatur proprium dumtaxat esse illis, qui jam in studio orationis progressus fecère non exiguos: quivis attamen juxta suam studere illi potest capacitatem. Etsi verò initio cor illius non multum excitetur aut inflammetur, exercitium nihilominus ipsius optimum ac sanctissimum erit. Deinde ubi exercitium hoc porrò continuaverit, efficaciter ad Deum in corde suo se trahi animadvertet, quod proinde quiescere nullatenus poterit, nisi continuò loquatur, unitumque se sentiat divinæ suæ Majestati. Quò ubi demum pervenerit, amor ipsius sibiipsi sufficiens erit, ait idem eximius contemplativus. Hoc est, ubi semel hoc fuerit quis assecutus, nullis ampliùs indigebit præceptis, aut industriâ occupationis, sive ut materiam habeat, cui intendat; quia temporis successu aspiratio per Dei gratiam ita facilis animæ, ac penè naturalis evadit, ac pulmoni naturalis & facilis est respiratio.

Monitum tertium.

EXercitium istud quibuslibet Religiosis aprimè quidem necessarium est, singulariter tamen illi studere debent, qui meditari non possunt, quique exterioribus exercitiis multùm

occupantur, qui hoc sancto exercitio resarcire debent modicum tempus illud, quod orationi impendunt mentali; Et quidem experientiâ comprobatum est, ubi semper cor habent elevatum ad Deum, absque tamen eo quod ab exterioribus exercitiis necessariis desistant, actionibus ipsorum inesse nescio quid divini, quin etiam ex eorum intuitu agendique ratione satis conspicitur, ipsos gubernari à Spiritu sancto. Quoad illos, qui frequenter voluntarias admittunt imperfectiones, in veritate nequaquam dici potest, illos exercitio huic, sive proximè, sive remotè, studere, cùm satis manifestò constet, impossibile esse cor ad Deum habere inclinatum, ipsumque tamen eodem quoque momento ab illo abstrahere.

Monitum quartum.

OPtimum factu erit, si illi qui non possunt adhuc multas ex proprio, ut ita dicam, fundo ac peculio, sive, quod ajunt, proprio marte elicere aspirationes, recursum habuerint ad scripta eximiorum nostrorum contemplativorum, qui rei hujus complura scripsere exercitia, atque ex illis delectum fecerint, eaque sibi velut propria asciverint ac digesserint, quasi ipsi illa suo marte composuissent. At curabunt eas potissimùm aspirationes sibi seligere, quæ verbis paucioribus constiterint, utpote, quæ cordi efficaciter movendo magis esse accomodæ soleant. Et quoniam diversimodæ sunt, aliæ nimirum humiliores, sublimiores aliæ, quilibet eas seliget, quæ veritates atq; affectus continebunt suo ampliùs statui, gustuiq; conformes.

V. P. Dominici ac F. Ioannis à S. Sampsone.

Mo-

Monitum quintum.

UTilissimum est, totâ die fovere affectus atq; in aspirationis exercitium reducere conceptus pios, quos quis habuerit in oratione matutina. Hac etenim ratione altiores agent radices, cumq; sæpiùs quasi masticatæ fuerint ac digestæ, in naturam transibunt. Si quis, exempli gratiâ, meditatus de horrore peccati affectu fuerit permotus compunctionis: hac ratione illum fovere, atq; in aspirationes redigere poterit. *Fovere affectus orationis matutinæ.*

1. Quid fui, Domine? Eheu! tuus per peccatum inimicus. Heu me miserum! quod adeò coram Deo meo abominabilis extiterim. *Formula.*

2. *Pater peccavi in cœlum & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus.* Eheu! filii tui conditionem, quam tua mihi gratia concesserat, meâ ego malitiâ amisi. Saltē, Domine, de numero servorum tuorum me ne rejicias. *Luc.15.21.*

3. *Deus propitius esto mihi peccatori:* Domine, indignus sum, qui cœlos aspiciam, misericordiam tamen tuam amarissimo cum dolore, quod te offenderim unquam, inclamo. *Luc.15.18.*

4. Utinam perversas actiones istas nunquam admisissem! Utinam Majestati tuæ ter venerandæ nunquā displicuissem! Utinā ex præceptis tuis nullū unquā violassem! Utinā, divinis tuis oculis semper ut placerem, allaborassem!

5. Agne innocentissime, qui peccata mundi delesti, dele ex tua memoria gravissima peccata illa, quæ adversùm te ego admisi.

6. Permitte, Domine, ut omnia peccata mea in tua sanctissima conjiciam vulnera, ut illic consumantur, atque in pretiosissimi sanguinis tui oceano demergantur:

ut nunquam in memoriam illa tibi redeant, ut illa castiges.

7. Non, Domine, non est hoc quod peto: Castiga me, puni me, prout tibi placuerit, in hac vita, dummodo in altera ignoscas & parcas.

8. Cur mors me non abripiebat eo momento, quo ad te offendendum comparatus eram: Prô! quanto melius fuisset mihi perdere hanc vitam corpoream, quam te, ô mi Deus, qui vita mea es, amittere?

9. O ineffabilem bonitatem ac patientiam, quæ me in peccatis meis sustinuit! Quis est inimicus qui hosti suo ignoscat, ubi in suam potestatem ipsum redegerit? Quid ergo te, rogo, hibuit, quo minus in peccato me meo occideres: Si verò in illo statu mortuus fuissem, ubi, quæso, modo essem, nisi in flammis sempiternis.

10. Heu me miserum! Ubi erat intellectus, quod non viderim, quod mihiipsi inferebam detrimentum, tibique ignominiam? Vah! satis est fuisse perversum ac Deo suo infidelem. Nunquam ampliùs, Domine, nunquam ampliùs peccare, potiùs mori, quam te offendere.

Ps. 50. 6. 11. *Tibi peccavi & malum coram te feci*: quo arrogantis impudentiæ deveni: Id quod coram homine vel tantillæ authoritatis ausus non fuissem, coram te facere non erubui. Domine, qui cunctis hominibus multò es formidabilior.

12. Animum & corporis membra, quæ à te, ut illis tibi servirem, receperam: (Eheu) ad te offendendum impendi. Malitias animus adin-

adinvenit, quas membra executa fuêre. Eheu! Ignosce, Domine, secundùm magnam misericordiæ tuæ amplitudinem.

13. Quoties divinis inspirationibus tuis obluctatus fui? quoties conscientiæ meæ remorsus conculcavi? quamdiu in vitiis meis, haud secus ac bestiæ in stercore suo, computrui? Ignosce, Domine, ignosce. Lava me ab istis immunditiis meis. Faciem tuam à peccatis meis averte. Dele iniquitates meas. Crea in me cor novum. Per sacra tua vulnera mihi medere. Innocentiam, quam amisi, mihi redde. Concede, ut per veram pœnitentiam adeò Majestati tuæ placere annitar, uti hactenus per meas præteritas abominationes displicui.

Computruerunt jumenta in stercore suo. Joël. 1. 17.

Juxta istud exemplar quivis alios formare poterit actus, juxta quod interius diversis contritionis affectibus permotum se senserit. Atque idem etiam exemplum super hoc argumento pro quibuslibet aliis servire poterit.

Monitum sextum.

UTilissimum quoque erit aspirationis exercitium sociare virtutis illius praxi, cui septimanâ aut mense illo præcipuè studere habuerimus: ut eâ ratione cor nostrum amplius erga illam afficiatur, actusque exteriores efficaciter animentur per interiores, quos animo concepimus. Si, verbi gratiâ, exercitium illius temporis est circa virtutem obedientiæ.

Circa virtutem quæ in communi practicatur.

Methodus hac in re observanda.

1. Luce primâ expergiscendo dices: *Domine, quid me vis facere?*

2. Ad

2. Ad singulos Regularitatis actus, imaginaberis tibi sonum campanæ, aut superioris vocem esse vocem Dei nos vocantis.

3 In omnibus, quæcumque superiores aut publici muneris administri jubebunt, dices: *Christus jubet, sufficit.*

4. Denique ubi expenderis, obedientiam esse humilem, & affectuosam voluntatis nostræ submissionem factam voluntati superioris, qui Dei locum obtinet, ut ab illo nos regi sinamus ac duci, quasi nos neque voluntate præditi essemus, neque ratione. Ubi præterea animadverteris, illam esse debere simplicem absque discussione, celerem absque desidia, hilarem absque tristitia, ac perseverantem absque fastidio. Denique ubi tibi proposueris obedire in omnibus ad exemplum Filii Dei, qui nunquam vel in minima re fecit voluntatem propriam; hac ratione interius in hujus nobilissimæ virtutis exercitio passim occupari poteris.

Formula.

1. Mi Deus, quàm felix est status iste, in quo tuam infallibiliter possumus voluntatem ex voce superioris agnoscere! Etenim nunquid ipse tu dixisti: *Qui vos audit me audit, & qui vos spernit, me spernit.*

2. Superior meus, mi Domine, mihi Deus quidam erit in terra, cui ubi obediero, tibiipsi obedire me firmissimè credam.

3. Homo est, qui loquitur, anima mea, at Deus est qui jubet. Tibi ergò ô Domine, hominique propter te me subjiciam.

4. O quando voluntas mea ita erit tractabilis atque in tuam ac meorum superiorum

trans-

transformata voluntatem, ut ampliùs quid velim, nolimve discernere non queam.

5. *Loquere Domine, quoniam audit servus tuus* Loquere, Domine, superior jubeat, in omnibus enim quæcumque placuerint tibi, obedire paratus sum. 1. Reg. 3. 9.

6. Nolo equidem, nolo imposterùm hominem attendere, tanquam hominem, sed tanquam Vicarium tuum, per quem tu oracula sanctissimæ tuæ voluntatis enuncias.

7. Quantam, ô Domine, conscientiæ quietem indulges vero obedienti, quòd ubi mandato superioris adhæresciť, peccare non queat? Ille etenim non peccat, qui propriâ non gaudet voluntate, quæ unica est peccatorum scaturigo.

8. Nihil à ratione alienum potest esse eorum, Domine, quæ jubet superior; quidquid enim dicit ille, æternæ vitæ verba sunt. Etsi verò res ipsa in se foret absurda, cunctis tamen Angelis tuis, tibique etiam ipsi, si simplici humilique peracta cum submissione fuerit, probatur.

9. Volo, Domine, voluntati ac rationi meæ totaliter renunciare, ut simpliciter voluntatem sequar ac rationem mei superioris; quoniam humanæ ubi rationi carnisque prudentiæ renunciavero, suprema me ducet ratio fidei, quæ certum me reddit propter te obedire hominibus esse ipsi tibi obedire.

10. Domine Jesu, simplicis ac perfectæ speculum obedientiæ, concede mihi hanc gratiam, te ut perfectè imitari queam. Absit exceptio, absit dilatio, abscedat fastidium

ab

ab omni eo, quod nomine mei Patris cœlestis mihi imperatum fuerit.

11. Prō ? Justissimum est, amantissime Deus, ut omnis creatura seipsam excœcet, ut tuam simpliciter sequatur voluntatem ; Quis enim ego sum, qui Dei voluntatem examinare præsumam ?

12. In me integerrimè regna, Domine, voluntasque tua mihi superioris mei voce denunciata in me tam perfectè compleatur atque exactissimè ab Angelis in cœlo tibi obtemperantibus perficitur.

Monitum septimum.

NIl obstante præcedenti monito; majorem æquo violentiam in formandis hujusmodi conceptibus, ac producendis actibus adhibere nemo debet ; si motiva non suggerit intellectus, sed satis eo casu erit, Deum orare simpliciter, atque cum affectu, ut nobis concedere dignetur illam virtutem, eo fine simpliciter & ingenuè exponendo desiderium illius, quo flagramus, obtestandoque, ut ipsum, si infirmius fortè fuerit, adaugescat.

Monitum octavum.

Excellens modus præsentiæ Dei.

PRæter ea ; quæ diximus, omnia, superest alius excellentior in Dei præsentia ambulandi modus, qui situs est in eo ; ut ipsum quæramus atque inveniamus in nobisipsis ; ubi fidei certitudine ipsum novimus esse per suam immensitatem, atque ubi confidimus, quantum quidem de justificatione nostra certi esse possumus, ipsum per gratiam suam residere.

Con-

Consequenter ad istam fidem anima, quæ cunctas potentias suas colligit, eas ab omni cogitatuum atque objectorum exteriorum genere abstractas intra seipsas, atque ad attendendum quod Deus illic facit, revocando, solet in seipsa experiri dispositionem quandam valdè tranquillam, sub qua Deum persentiscit præsentem, ac nescio quid cælestis operationis ipsius degustat. Cuncta sua colloquia in intimis penetralibus suis ad ipsum dirigit, ad illum audiendum quàm loquendum ipsi paratior, illum in omnibus consulit, sollicitèque cunctos cordis sui aditus observat, ne fortè quid subingrediatur, contristare ipsum quod possit.

Hinc ordinariè plus ultrà attrahitur in Regionem summè pacificam, intimæque quietis pleniſſimam, desiderio tamen efficaciſſimo totis viribus amandi eum, cujus persentiscit suaviſſimam, potentiſſimamque oblectationem atque attractionem, stipatam.

Istud est initium vitæ mysticæ, quà de in secundo directorii nostri tomo acturi sumus. De illa pro nunc sufficiat dicere, etsi status iste præcedentibus multò minùs videatur activus, non minus tamen, imò multò magis esse sanctum. Simplex porrò Dei intuitus occulto quodam affectu ac desiderio, quo anima fervet ei se totam uniendi illum amandi, illique in omnibus satisfaciendi absque hujus aut illius distinctione, comitatus plus dicit mille aliis actibus, cæteris in statibus elicitis. Adeò ut quod purum videtur esse silentium, reverà sit plenum vivaciſſimis expreſſionibus atque mirabi-

Initium vitæ mystica.

rabilibus eructationibus illis, quas Scriptura sacra æquè ac mystici tantopere collaudant.

Huc qui pervenerint, semper ambulant in profundissima recollectione, tanquam Deum in seipsis portantes, tantâ cum reverentia ac modestia, ut satis appareat, illos à Deo, ac Deum possideri ab ipsis. Adhæc internâ suavitate potiuntur omninò admirabili, deque illis dici potest, quod David inquiebat: *Domine,* Ps. 88. 17. *in lumine vultus tui ambulabunt & in nomine tuo exultabunt totâ die. Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum.*

Ista sunt Regionis confinia, cujus possessionem spectant omnia orationis ac præsentiæ Dei exercitia, de quibus hactenus locuti sumus, quibusque si seriò & constanter Fratres nostri se addicant, promittere illis possumus aliquando futurum, ut per felicem ad sanctum contemplationis montem accessum videant Deum Deorum in Sion. Faxit hoc Deus.

FINIS.

SPIRITUS ACTIONUM RELIGIONIS,

Complectens pias Considerationes, quibus illæ debent animari: interiores Directiones, quæ ipsis debent præmitti: ac devotas quasdam aspirationes sub ipsis magno cum fructu eliciendas.

Si Spiritu vivimus, spiritu & ambulemus. *Galat. 6.*

PRÆFATIO.

EX libelli istius titulo prima fronte judicare quis posset facile, exiguæ illum fore utilitatis, quandoquidem complures id hactenus suis scriptis illustraverunt argumenti, verùm æquus rogatur lector, ut suum tantisper suspendat judicium, atque consideret, unum ex illis, qui melius hac de re tractaverunt, esse ipsum Authorem, qui proinde hic brevem duntaxat exhibet Synopsin & epitomen eorum, quæ pluribus ac stylo ampliori prosecutus fuit in aliis libris superiorum ipsius jussu pro institutione Novitiorum sui ordinis impressis, quos quotquot legerunt, ex illis profecisse se profitentur.

Ut igitur istam inde compilaret epitomen, haud pauci illum orarunt vitæ sanctioris amantiores, ut in compendiosiori atque ad quovis secum comportandum commodiori libello haberent omnem spiritum interiorem actionum religionis, qui in Tractatibus de vita regulari ac de ordinariorum religionis officiorum explendorum methodo pluribus explicatur. Nempe stylum ampliorem atque extensiorem, quem in prioribus libris in gratiam Novitiorum adhibuit, illis, qui provectiores jam essent, tædio fore aut saltem esse supervacaneum existima-

runt illis, qui methodi exterioris alibi præscriptæ habitu imbuti jam essent, opus esse duntaxat illis, ut refricaretur memoria bonorum incentivorum, quibus eadem actiones animarentur, ac familiariores redderentur directiones illis præmittendæ, ac devotæ quædam illis interserendæ aspirationes. Ingens profectus sui spiritualis desiderium has illis reperit cogitationes, & charitas impulit Auctorem, ut ad majorem Dei gloriam in hoc eorum faceret satis inclinationi ac propensioni.

Ordo, quem sibi præstituit, in eo consistit, ut primò stabiliat generalia, atque ad omnes actiones communes, & particularia quævis Religionis officia ritè, ac virtutis cum merito peragenda principia. Tractat deinde de qualibet actione in particulari juxta ordinem diei, septimanarum ac mensium. Posthæc proponit pios ac devotos sensus qui minima religionis officia commendant, atque ad illa cum aliqua interiori lætitia, spiritus elevatione atque omnibus virtuosæ actionis adjunctis, atque, ut vocant, circumstantiis peragenda impellunt. Primo porro loco loquitur de officiis domesticis, ac deinde de illis, quæ pertinent ad chorum & altare.

Pluribus paulò, quam initio sibi proposuisset, exponit bina exercitia, quæ recens professis præscribit, ut illos in primo earum fervore contineat, uti etiam studentibus, ut hi in suorum prosecutione studiorum de spiritu devotionis omninò nihil imminuant. Verùm id eo secus liberius, quod hucusque nullo alio loco argumenti id genus tractaverit, cum tamen haud exigui ponderis sit ac momenti, cum & recens professos ab omnibus re-

laxa-

laxationis præveniat periculis, & studentes eruditat, qua ratione studio pietatem ita conjungere deberent, in uno ea ratione ut proficiant, ut de altero nihil omnino amittant.

Ubi Synopsin hanc auspicabatur, terminare illam constituerat Tractatu loquodam de confessione & communione, inserendo copiosius examen conscientiæ circa peccata, quæ in conditione religiosa frequentiùs admitti consueverunt, quod à pluribus desideratur. At librum satis amplum esse inde deprehendit, ut nihil esse porrò censuerit addendum, ac proinde istud genus argumenti in tempus aliud differendum existimat, si Deo illi vitam eo usque servare placuerit.

Fructus porrò istius libelli, sicut & authoris intentio in eo sita est, ut in recens professis non modò, sed etiam in provectioribus conservet ac promoveat Spiritum devotionis, quem in suo suxerunt ac degustaverunt Novitiatu, ut etiam in illis conservet, ac renovet & instauret existimationem, quam habere oportet de omnibus & singulis, quæ in religione fiunt, atque ob oculos ponat illis incitamenta, quibus omnes eorum actiones ut animentur est necesse; illas ut faciant modo quadam elevatiore, id est ratione illuminata per fidem, uti fieri viri sancti requirunt, ut in omnibus, quæ agunt, sibimet aliqua incitamenta supernaturalia præfigant, ut Deo ferventi atque attenta quadam illa offerant cum directione, atque sub illis in præsentia Dei quibusdam devotis aspiratuonibus se contineant.

Verissimum equidem est, prædicta omnia animabus haud obtingere in sola libri lectione, quantumvis bonus ac methodicus ille sit, quin

potiùs supponi debet attactus ipsius Dei, ac sancta cordis sollicitudo, ut in merito & gratia quis proficiat : id quod Prophetarum nonnemo ap-

Mich. 6. 8. *pellat* Sollicitum ambulare cum Deo. *Opus etiam est fame ac siti illa Justitiæ, quam in Sancto Evangelio ipse Salvator noster com-*

Matth. 5. 6 *mendat, atque, ut sic loquar, canonizat, ubi ait,* Beati qui esuriunt & sitiunt Justitiam : quoniam ipsi saturabuntur. *Opus nihilominus est illo Spiritus servore, ad quem Romanos suos exhortatur Apostolus, ut omnem ab illis*

Rom. 12. 11. *arceat negligentiam & acediam, ubi inquit:* Spiritu ferventes : sollicitudine non pigri. *Opus etiam est zelo, qui respondeat fervori, quo mundani prensant pecunias ac terram effodiunt, ut thesaurum, quem ibi delitescere norunt, inveniant & quidem vero verius est, cordis mereri devotionem, ut simili perquiratur cum*

Prov. 2. 4. *ardore.* Si quæsieris eam quasi pecuniam, & sicut thesauros effoderis illam. *Etenim si à recto deviare censentur illi, qui nimium in res temporaneas propendent, haud minus deviare est si quis parum nimis spirituales desideret.*

Ex istis de fame & siti, & mundanorum hominum ardore, ut in mundo proficiant, comparationibus colligere omninò est, quanto religiosus profectus sui spiritualis ardere debeat desiderio, quo qui carent, næ illis cuncti libri hujus mundi parùm proficient. Ast illo qui exarserit, non solùm in via hac se conservabit, verùm etiam eximiè proficiet, si libro quodam instructivo ac methodico juvetur. Hanc interiorem dispositionem exopto omnino in illis, in istum qui inciderint. Istis adjunge, quod sicut in

mundo

mundo qui aliquid studiosiùs prensaverit, aliud omninò nil cogitat, & si quando aliæ animum subeant cogitationes, illas omnes refert ad hoc suum desiderium ac molimen, quod in ipso prædominatur: unde ab omnibus cavet, quæ illius præpedire possent executionem, atque econtrariò cuncta exequitur, illam promovere quæ queant, atque ex omnibus, quantum quidem illius fieri poterit, quoad suum sibi propositum pertingat, facere contendit compendium: ita, inquam, religiosus, qui majori exæstuaverit perfectionis suæ desiderio ac studio, interius ita illi intendit, ut ad illam potissimùm suas dirigat cogitationes omnes, & prout illius attactus magis minusque violentus ac fortis extiterit, voluntas fertur in illas, quæ illi occurrunt illius obtinendæ rationes, indeque cunctas alias animæ potentias impendit, ad optatum ut finem demum perveniat.

Porrò inter omnes perfectionis acquirendæ rationes primum facile locum obtinet, si professionis suæ exercitia in Spiritu perficiat universa, quoniam ea ratio illi familiarior est, atque in illa tota continetur perfectio, quin alibi illam quarere sit necesse. Non defuere, qui plurimum fuerint decepti in eo, quod actiones prensarint heroicas, cùm interea virtuosè actiones communes & ordinarias negligerent exercere. Unde factum fuit, ut & has & illas, pro ut decuit, non expleverint: etenim heroicarum exercendarum virtutum occasiones non nisi rarissimè, & quasi omnino procul & eminus occurrunt, cum vitæ communis actiones quotidianæ existant. Minora porrò nos disponunt ad majora, & gratiam à

Deo obtinent ista ritè exequendi, atque ubi occurrerint, ex illis faciendi compendium. Nunquid in omnium vita adverti potest sanctorum, illos ad bene peragendas actiones majores per solam pervenisse in exequendis minoribus fidelitatem?

Verùm enimvero quandoquidem in his aquè atque in illis divina relucet voluntas, omnes & singulas solo illius intuitu expleamus oportet. Majestas ipsius Dei ubique est adoranda, veluti potentia & providentia illius in cunctis apparet. Muscam aquè ac reavit atque elephantem, minimam Sardiniam aquè ac cete grandia: ita quoque Providentia ipsius non solum intendit cœlorum, statuum, & notabiliorum mundi partium conservationi, verùm etiam se eousque demittit, ut vel ipsos capitum nostrorum pilos dinumeret, veluti ipsemet fidem facit Dei filius, ubi ait: Capilli capitis vestri omnes numerati sunt. *Igitur & a nobis in omnibus sive parvis sive magnis, absque ullo discrimine aut exceptione vult glorificari.*

Luc. 12 7.

Ita quoque sicut Spiritus ipse est, sic honorari, serviri, atque adorari in Spiritu desiderat, ut magister cœlestis nos docet, cùm ait: Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in Spiritu & veritate oportet adorare. *Quisquis igitur exteriùs duntaxat ac sine spiritu religionis exercitia perficeret, ne ille valde modicùm Deum honoraret, ac pro se ipso omninò nihil promereretur. Fieri quidem posset, ut dexteritate ac industria exteriori utilis communitati cum foret, laudem reportaret ab hominibus, anima tamen ipsius pro gloria cœlesti nil penitùs obtineret emo-*

Ioan. 4. 14.

lumenti

lumenti. Siquidem coram Deo non sufficit actiones facere bonas, nisi & virtuosè atque in Spiritu illas perficiamus. Unde Seraphicus Doctor S. Bonaventura author est, non verba, sed adverbia esse, quæ à Deo remunerabuntur. Non bona *inquit* fecisse, sed bona bene fecisse.

Facies ac species exterior operum nostrorum nil est, nisi quædam inanis apparentia, ni succus interior, quæ anima ac spiritus illorum est, illa vivificet. Illa comparatur arborum folijs, at spiritus interior fructus est. Velut i idcirco arbor eo fine non est ut folia sed ut fructus progerminet, quos ubi vel nullos omninò vel minus bonos producit, velut i inutilis succiditur atque in ignem conijcitur: ita sane timendum est, ne religiosus secundùm Spiritum interiorem atque ex bonis incentivis agere qui negligeret, indignationem Dei incurreret, velut i arbor infructuosa horti domini incurrit, ubi præter umbram nil commodi conferret. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. *Matth. 7. 19.*

Et verò seipsum & gloriam in se Dei hujusmodi religiosus ubi negligit, nunquid istud infœlicitatis metuere habet, ne & negligatur à Deo, nec illi amabilis & specialis providentiæ suæ curam impertiatur? etenim nunquid æquius quidquam est, quam ut ea nobiscum ratione Deus agat, qua cum ipso nos agimus, ac talem erga nos ille se habeat, qualem erga ipsum nos habemus? negligere est non curare, qui ergo actiones suas non curat ea intentione perficere, Deo ut placeat, omninò meretur, ut nec ipsum Deus curet, ac simili indifferentia ipsum ut habeat, gratiis nimi-

rum & illustrationibus suis illum privabit, ut sicuti ignavia hactenus ac malitiâ fuit, ita deinceps in pœnam indevotus perseveret: & quantumvis professionis suæ porrò indumentis convestiatur, à singulariter bene faciente summi numinis protectione exclusus remanebit.

O tristem ac verè luctuosum animæ religiosæ, à Deo amabiliter electa, vocata atque ad sanctitatem destinata quæ fuerat, epilogum! quam igitur necessarium est, nosmetipsos in nostris ut exercitiis ne negligamus, sed in cordibus nostris fervorem Spritus ac spiritualis profectus nostri curam ac sollicitudinem ut conservemus, quæ interius nos, ut agamus, impellat? Sollicitum ambulare cum Deo. Spiritu ferventes, sollicitudine non pigri. *Idque eo verius, quo certius est, nos statui religioso non solum nos mancipasse, ut ibi salvemur, sed ut Deum glorificemus ac nosmetipsos ut sanctificemus.*

1. Thess. 4. 3. Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.

SPI-

SPIRITUS Actionum Religionis.

Elicitus ex Directorio Religiosorum Reformatorum Ordinis B.V.M. de monte Carmelo.

CAPUT I.

Rationes, ob quas magni facere debeamus actiones Communes religionis.

BOni religiosi est, actiones communitatis suis semper anteponere peculiaribus, quantumvis istæ excellentioris ac majoris esse videantur virtutis. Ab illis ergo abesse non debet, nisi jubente expressa, quæ cum illis consistere non queat, obedientia: quin potius omnem quam poterit diligentiam, ut has ita adimpleat, illas ut ne negligat, adhibere: ut illarum existimationem ac studium conservet, cogitabit

1. Quod illis Deus noster præsideat, ac sua præsentia singulari honoret, juxta id quod pollicitus fuit: *ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Illic ipse abundantiùs gratias & benedictiones suas impertitur, illum ubi agnoscunt ac præsentia regis cœlestis recreantur, quotquot oculis spiritualibus & interioribus orbati non fuerint, veluti dictum in Psalmo 149. *Filii Sion exultent in rege suo.* Matth. 18. 20. Psal. 149. 2.

2. Co-

2. Cogitabit à Deo in istis actionibus ipsi suppeditari certas salutis ac perfectionis illius, qui finis vocationis ipsius est, rationes: uti revera omnes sancti sui ordinis alias non disquisierunt, quin potius exacta observantiarum religionis suæ communium praxi ad sanctitatis apicem pervenerunt: cum econtrario ab illis abesse non queat, quin protinus finem vocationis suæ negligat, ubi illius obtinendi rationes prætermittit. Etenim ibi si Deus illum esse velit, atque ibi ineffabili bonitate atque providentia sua inscrutabili suas gratias dispertiri constituat, alibi futurum ut illas obtineat non oportet ipsum præsumere. Ubi ergo extra voluntatem Dei constiterit, & gratia ipsius orbatus remanserit, quid aliud quam suum expectare interitum habebit? Sanè in vitium incredulitatis Sanctus Thomas Apostolus incurrit, ubi reliquorum Apostolorum Societatem reliquit. Granum tritici peribit, ubi solum remanserit, at ubi cum cumulo fuerit, servabitur. Carbo extinctus reaccendetur ac denuò inflammabitur, ubi aliis ardentibus conjungetur.

3. Denique cogitabit, quòd membrum communitatis cum existat, si ibi, ubi congregata illa fuerit, ille defuerit, defectuosam illam constituet, veluti difforme corpus est, cui vel una partium ipsius defecerit. Adhæc actionibus communibus ubi præsens fuerit, istæ multò amplius illi proficient. Etenim imperfectus si fuerit, aliorum fervor defectum ipsius supplebit; Deus actionem ac preces ipsius non accipiet, veluti actionem ac preces

ces unius solius, quod parum omnino foret, sed veluti actionem ac preces plurimorum, qui merito suo multum illis emolumenti adjicient. Ut ergo ab actionibus abesse nequaquam communibus constituat, apud semetipsum dicet cum Salvatore nostro; *In his quæ patris mei sunt oportet me esse.* Luc. 2. 49.

CAPUT II.

Incentiva ad ritè obeundas communes religionis actiones.

EVenire omnino poterit, ut è duobus religiosis, quorum uterque a què diu in religione perstiterit, atque eadem exercitia obierit, alter ingentem meritorum sibi thesaurum accumulet, ubi alter pauperrimus remanserit. Discriminis istius causa erit, quod ille, non hic, actiones suas in Spiritu perfecerit. Illas in Spiritu ut perficiamus, ista esse nobis poterunt incitamenta. Primum est, ut cogitemus, in illis & per illas placere nos Deo. Prô quanta felicitas! dicere Deum glorificari velle ab hominibus, quanquam isti in præsentia illius minus quid sint quovis vermiculo ac minutissimâ formicâ. *Deus qui glorificatur in consilio sanctorum.* Ps. 88. 8.

Alterum est, ut cogitemus conscientiâ plenæ obligationis esse cuivis Religioso, honorare suum Ordinem, qui adeo misericorditer ipsum in suorum filiorum numerum adoptavit, potissimum illius honorem in eo consistere, ut exacta minimorum religionis exercitiorum observatione bono cunctis exemplo præ-

Præluceat. Etenim extranei, videntes agendi methodum omnino uniformem, admirantur, ac Deo gloriam & sexcentas communitati, cujus religiosi adeo egregium ordinem observant, laudes attribuunt, unde S. M. Magdalena de Paz is dicebat, *unum ex maximis servitiis, quæ a religiosis Majestas divina expectat esse boni exempli.*

Tertium est, ut meritum attendamus, quod ex omnibus actionibus ritè factis exoritur, quia ea ratione gloriæ gradum peculiarem in cœlo promeremur. Et Sanctus Bernardus ait: *non transeunt opera nostra, ut videntur, sed ut æternitatis semina jaciuntur.* Verum ex obedientia quæ fiunt, duplex meritum obtinent. Etenim præclara virtus ista quod ex se ipso bonum jam est, melius constituit: bonum, quod indifferens est, reddit: ac pene nihili quod est, mirum in modum sublimat. Instat lapidis est pretiosissimi, qui quidquid contingeret, in aurum converteret, & si aurum contingeret, ipsius duplicaret valorem. Consilium est Spiritus Sancti: *pone thesaurum tuum in præceptis altissimi, & proderit tibi magis quam aurum.*

Eccl. 29. 14.

Quartum incentivum erit, ut cogitemus, quod si actiones nostras inviti aut imperfectè aut negligenter peragamus, modicum aut nullum fructum inde reportabimus, juxta illam divinam veritatem: *unus ædificans, & unus destruens, quod prodest illis, nisi labor.* Incurrere illud est illam infelicitatem, quam proponit Aggæus Propheta, ubi inquit: *Seminastis multum, & intulistis parum: & qui mercedes con-*

Ccl. 34. 28

Agg. 1. 6.

congregavit, misit eas in sacculum pertusum. Atque istud est, quod vidit Sanctus Arsenius, hominem videlicet, qui à mane ad vesperum aquam hauriebat è puteo, atque illam effundebat in vas à parte inferiori apertum. Quod si nostræ religionis actiones nil minus promerentur, quam gloriam Paradisi, næ jactura haud exigua illa est, quam facimus, ubi negligentes extiterimus: magnarum enim rerum jactura exigua esse non potest.

CAPUT III.

De directione interiori, quam cunctis nos operibus nostris præmittere oportet.

ANima operum nostrorum est bona ac pura Deo placendi intentio, sine qua illa mortua sunt. Illa aliquando peragimus ex usu, absque ulla animi ac Spiritus elevatione. Aliàs natura suimetipsius amantior in illis, ex parte saltem, suam propriam quærit satisfactionem: id quod minimè animadvertit, quî animi sui sensus studiosè non disquirit, ut suas agnoscat prensationes, quæ sæpe sunt admodum subtiles, atque interim vel omninò evacuant, vel meritum saltem plurimùm imminuunt. Bonus vero religiosus hac in re sequentia animadvertit.

Primum est, ut quamlibet actionem suam Deo non leviter ac tenuiter, nec festinatò & oscitanter, sed magna animi offerat cum attentione. Vitæ igitur spiritualis tyrones huic rei assuescant oportet, ut videlicet satis non habeant, quod opera sua faciant generali quadam

dam intentione placendi Deo, sed & illa animo peragere satagant, quem quælibet actio speciatim requirit.

Alterum est, ut directio actionum nostrarum triplicem complectatur actum interiorem, quorum alter alterum proximè consequitur, & qui omnes uno penè momento eliciuntur, etsi paucis haud semper verbis exprimantur. 1. Ut bonam illius actionis peragendæ sibi causam quis præstituat. 2. Ut Deo illam offerat ac 3. ut gratiam illam ritè peragendi ipsum oret. Ut bonam sibi proponat causam aut incitamentum bonum, minimè oportet uti nimia sollicitudine, multiplicatione aut animi conturbatione, ut causas exquirat extraordinarias aut æquò sublimiores, sed simplicitate, pace & libertate cordis, adeo ut, ubi quis ad seipsum & actionem, quam facere constituit, adverterit, si aliunde animo ipsius incitamentum non occurrat, aliquem ex actibus sequentibus, at sincerè & attentè, eliciat.

1. *Ad majorem Dei gloriam.*

2. *Doce me facere voluntatem tuam: quia Deus meus es tu.*

3. *Non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me*, id est ad Sanctam professionem istam vocavit.

„ 4. Domine Deus meus, puer ego sum, &
„ qua ratione honorare te debeam ignoro;
„ attamen actionem istam eosdem ob fines
„ atque ad easdem intentiones, quas tu ipse
„ à me requiris & expectas, perficere desidero.

Ut actionem suam quis Deo offerat, id faciat oportet cord. libero ac simplici, renunciando

Ut actionem suam quis Deo offerat, id faciat oportet corde libero ac simplici, renunciando quibusvis prensationibus, & propriis commodis sive rationibus, atque in animo contestando, se illam ex solo ipsius amore, atque ad obedientiæ faciendum satis obiturum.

Oblatio ista & majoris omninò meriti erit, si fiat in unione actionum ac tormentorum Domini nostri Jesu Christi. Erit etenim hac ratione instar aquæ guttæ in vini dolium immissæ, ubi illa, colore ac sapore mutato, in vinum transformatur.

Patrum nostrorum traditione, ac sanctorum quoque ordinis nostri exemplo docemur, ut quidquid agimus, Deo per purissimas Illius sacratissimæ Genitricis manus offeramus; quia divinæ majestati longè acceptissimum est, quidquid à manibus ipsius aut per illas procedit.

Gratiam actionis ritè secundum omnes circumstantias perficiendæ oramus, illam ardenter desiderando, & agnoscendo, absque divino nil omninò nos posse auxilio, juxta id quod Salvator noster ait: *sine me nihil potestis facere.* Unde & ipsius merita interponere jubemur, uti facit Ecclesia, ubi cunctas, quas dirigit ad æternum patrem, orationes hisce concludit: *per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum.* Joan. 15. 5.

CAPUT IV.

Directionis operum nostrorum praxis,

QUisquis longo usu pio quodam animi sensu affectus penitùs fuerit, eo omnes animare actiones suas poterit, quamdiu in ipso gustus iste perstiterit.

1. Quod si, exempli gratia, affectus fuerit sensu *compunctionis*, sive de suis doloris peccatis, in operum suorum directione Deo sic loqui potest: Te ego, Domine, malitiosissimè peccatis meis, quorum, eheu, horrorem me longè melius tu agnoscis, offendi atque ad iracundiam provocavi. Actione ergo ista me gratum atque acceptum tibi reddendo justam tuam adversus me indignationem placare desidero: atque idcircò, in signum doloris ac pœnitudinis meæ, tibi offero *exempli gratia* istam orationis horam, in satisfactionem atque expiationem oblivionis divinæ majestatis tuæ, quæ tamdiu me tenuit; *aut* istam Psalmorum cantationem, ob tot ac tanta verba malitiosa, quæ protulit lingua mea; *aut* istam solitudinis horam, ob frequentem temporis jacturam, licentiorem mentis evagationem, ac perversorum sociorum consuetudinem: *aut* tempus istud, quod sacro ministrando aut coram diviniſſimo Sacramento assistendo impendere habeo, in agnitionem tot irreverentiarum atque impietatum illic aliàs â me admissarum. &c.

2. Quod si affectus fuerit pœnarum peccatis

tis debitarum luendarum desiderio, dicet: Ingens, Domine, meorum multitudo pec- „
catorum debito me obstrinxit, cui solven- „
do non sum, nisi tu, cui sum obligatus, „
magna in me usus misericordia fueris. Oro, „
Domine, ut pro tua in me benignitate acci- „
pias modicum hoc, quod ex mea pauper- „
tate atque impotentia tibi offero, quantum- „
vis non sit nisi minimus obolus, si cum ma- „
ximo, quo tibi devinctum me agnosco, de- „
bito comparetur.

3. Si affectus fuerit desiderio proficiendi in gratia, & merita sua cumulandi bonorum operum multitudine, juxta id quod monet Apostolus: *In omni opere bono fructificantes. Abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino*, aut id quod ipse Dominus noster ait: *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo*, dicet: Domi- „
ne Deus, qui veluti benignissimus pater mo- „
do mirabili crescere facis bonum spirituale „
eorum, quos in numerum filiorum tuorum „
adoptare voluisti: volo, quia ita placitum „
est tibi, actione ista proficere in gratia tua, „
& amplius promereri, non tam in propriam „
meam utilitatem, quàm ut oculis tuis acce- „
ptior, ac dignus evadam, qui te diligam & „
perfectiùs in cœlis in altiori gradu gloriæ „
collaudem. „

Coloss 1. 10. 1. Cor. 15. 58. Matth. 6. 20.

4. Si sanctæ obedientiæ affectum se ad- „
vertit incentivo, dicet: Quoniam, Domi- „
ne, statum sum religiosum amplexatus, non „
ut meo illic vivam arbitratu, sed ut meo- „
rum obediam voluntati superiorum, accipe „

„ actionem istam, quam obedientia â me re-
„ quirit, una cum desiderio, quo teneor tibi
„ per illam placendi, & salutem ac perfectio-
„ nem animæ meæ promovendi,

5. Si in quapiam actione cor illius suavem spirat in fratres suos charitatem, dicet: Do-
„ mine Jesu Christe, qui nostri amore frater
„ noster fieri & esse voluisti, ac nobis, ut
„ nos invicem diligeremus, veluti tu nos di-
„ lexisti, commendasti: fratribus ego meis in
„ ista actione servire cupio, in memoriam
„ amabilissimæ charitatis illius, qua tu omni-
„ bus subvenire voluisti, quotquot tuum im-
„ ploravêre subsidium. Precor ut cedat ad
„ majorem tuam gloriam, atque animæ meæ
„ salutem.

6. Quod si honoris religionis zelo succen-sum se compererit, dicet: Domine Deus, qui
„ permagnâ misericordiâ tuâ religionem
„ hanc subire me voluisti, noli, quæso te, si-
„ nere, ut scandalo aut opprobrio sim pien-
„ tissimæ matri meæ, quæ tanto me amore
„ inter brachia sua suscepit, adeoque me san-
„ ctè educavit: quin potius mihi gratiam
„ tuam largire, ut illius splendorem ac bo-
„ nam, quam hucusque palàm habuit, existi-
„ mationem pro parte quoque mea adau-
„ geam: quoniam honor iste ad tuum velut
„ ultimum finem suum referetur.

7. Si exemplo Salvatoris nostri conforma-
„ re se voluerit, dicet: Domine Jesu Christe,
„ qui mundo te ipsum ut omnis perfectionis
„ exemplum exhibuisti, actione hac mea con-
„ formare cupio me sacratissimæ humanitati

tuæ,

„ tuæ, ut eodem illam ſpiritu faciam, quo tuas „ tu in terra exiſtens perfeciſti, quoque etiam „ iſtam perficeres, ſi etiam nunc inter homi- „ nes eſſes.

8. Attenta magnitudine Dei & magna Majeſtatis illius exiſtimatione, dicere quis pote- „ rit: Domine Deus ſummæ Majeſtatis, „ quantumvis infinitè amplius tu merearis, „ quam cœli terræque creaturæ tibi reddere „ queant univerſæ; oculos tamen meos ele- „ vare ad te audeo, ut iſtam actionem, quam „ regula aut obedientia â me requirit, tibi „ conſecrem. Per illam & in illa gl riam „ tibi dare cupio, quam â me expectas, illam- „ que ſolo tui amore perficere. Propterea ex „ nunc renuncio cunctis propriis prenſatio- „ nibus & commoditatibus, quas mea ſui- „ metipſius æquo amantior natura fortaſſe „ ſuggerere mihi poſſet.

Juxta formulas iſtas alias formare directiones perfacile erit: unde illæ ſufficiunt, ut oſtendant methodum ſemper initio operum noſtrorum concipiendæ atque etiam exprimendæ rectæ intentionis.

Verùm ubi tempus nos improviſos occupat, & actio urget, quid facto tunc opus erit? Reſpondeo directionem etiam verbis pauciſſimis expreſſam eſſe poſſe bonam, modò cor ipſum ſit ſincerum. Etenim coram Deo unico verbo ſæpe plus ſignificatur, quam liberiori ac latiori oratione. Breviter ergo quis dicere poterit: Mi Deus actione iſta honorare te volo, quantum ipſe deſideras ac paucis tibi exprimere verbis omnes, bonas intentio-

nes, quas digniores ſancti tui ullo unquam tempore habuerint.

Verùm ſi nihil prohibentibus omnibus iſtis, quæ expoſui, adhuc animos reperire ſit in rebus ſpiritualibus adeo rudes, ut intentionem ſuam, quantumvis bonam habeant, exprimere non queant, quid illi facient? illis ſuadetur, ut memoriæ mandent aliquas ex formulis ſupradictis, atque aliquos Pſalmorum verſiculos, aut alias breviores, at affectivas, orationes vocales, quibus ſuam ſuppleant imbecillitatem.

At verò quid facient, ubi acediæ aut faſtidii ſtimulis agitabuntur, ut neque actionem ipſam adoriri, neque proinde præmittere auſint directionem? violentiam illi ſibi inferre debebunt, non modò ut actionem aggrediantur, ſed etiam ad majorem Dei gloriam illam offerant: nimiam tamen capitis ſtomachique contentionem non adhibebunt, ſed quibusdam tantummodò devotis & affectivis ratiocinationibus enitentur, dicendo verbi gratia aut ruminando quia *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

Matth. 11. 12.

Quod ſi in ſimili caſu directionem prætermitterent, ex hoc ipſo adverſarius eorum emolumenti plurimum colligeret, quia, ut penè omnem actionis ſuæ amiſiſſent mercedem, obtinuiſſet. At vero ſi corde ſincero & animo ſedato ſaltem dicerent *Gloria Patri & Filio* &c. ſuo muneri ſatis abunde feciſſent

Uſu ipſo docente didicimus, animam in iſto ſtatu occulto quodam adverſus ſemetipſam robore communitam victricem evadere,

dere, ore dicendo & corde: *Domine Jesu in despectum dæmonum te adoro.* Quoniam maligni hi Spiritus velut Jesu Christi omniumq; bonorum operum, quibus ille honoratur, capitales inimici, plerumque istarum gravedinum ac repugnantiarum sunt authores: at mox ubi nos ad ipsos, divinum Jesum nostrum, qui ipsos devicit, in eorum despectum adorando, superandos comparatos esse vidēt, fugâ se subducunt, eaque ratione novam divinam virtutem anima recuperat. Ipsemet devotus lector, ubi ipsi placuerit, non modò in istis occasionibus, sed etiam in quibusvis tentationibus ac naturalibus repugnantiis, haud absque insigni suo emolumento, id poterit experiri.

CAPUT V.

De bonis actionum religionis communium conditionibus.

DE praxi hic agemus actionum, quarum prima conditio est, ut ad illas diligenter ac ferventer accedamus: Secunda, ut interiori cum gaudio & animi lætitia illas peragamus: Tertia, ut illas integrè perficiamus: Quarta, ut magna cum accuratione omnes illarum exteriores circumstantias, nullâ prorsus neglectâ, observemus: Quinta, ut aliquam attentionis nostræ partem reservemus, ut vanæ gloriæ, aliisque imperfectis, deinceps exoriri qui possent, motibus renunciemus.

1. Ergo diligenter ad primum campanæ

sonum absque ulla vel momentanea dilatione adeundi sunt actus regularitatis, exemplo illius sancti religiosi, de quo in vitis patrum refertur, quod inchoatam literam O reliquerit imperfectam, quam postea miraculosè aureo invenit colore perfectam. Diligentia ista effectus est animi fervoris, de quo loquitur Salvator ubi ait: *ignem veni mittere in terram & quid volo nisi ut accendatur?* hoc igne cœlesti ultra modum ardebat Jeremias Propheta, de quo etiam dicebat, illum à Deo ipsi immissum ad ipsas etiam medullas ossium penetrasse, *De excelso misit ignem in ossibus meis.*

Luc. 12. 49.

Thren. 1. 13.

Actus hujusmodi interiori quodam cum gaudio atque animi lætitia sunt peragendi, qui etiam illius animi fervoris atque ignis cœlestis effectus erit, dicendo cum regio vate: *Voluntariè sacrificabo tibi.* Et complendo Sanctorum Machabæorum, magnorum Dei servorum, pro fratribus suis votum istud: *det vobis Deus cor omnibus, ut colatis eũ, & faciatis ejus voluntatem corde magno & animo volenti.* Causam S. Paulus assignat, cum ait: *hilarem datorem diligit Deus.* Atque illum econtrariò execratur, qui opus ipsius facit invitè ac negligenter: *Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter.*

2. Mach. 1. 3.

2. Cor. 9. 7.

Jerem. 48. 10.

3. Actiones nostras oportet esse integras, quin etiam vel minima illarum particula resecetur, uti faceret v. g. qui è choro egrederetur prius, quam divinum ex integro esset persolutum officium, aut qui vel temporis orationi destinati momentum præscinderet, aut opus ab obedientia injunctum imperfectum relinqueret,

queret. Hæc enim qui faceret, actionis, quæ Deo consecrata esse tota debuisset, epilogum cacodæmoni consecraret.

Sæpe sæpius etenim usu venit, ut ille animarum nostrarum inimicus in fine actionis nos aggrediatur, ubi in principio nos expugnare non potuit, quando, ubi totam actionem ut relinqueremus nobis persuadere non potuit, aliquam saltem illius partem sibi præripit. Nunquid vero sacrilegii quædam species foret, si quis istum Dei hostem cum ipso in partem vocaret.

Acedia sive fastidium, quo inter agendum afficimur, non rarò nos, actionem ut abbreviemus, impellit. Alias id facit nimia quæ nescio in agendo sollicitudo naturæ, quæ ab isto se opere citius expedire contendit, ut aliud aggrediatur, qua in re animus angitur cura actionis secuturæ, ubi cogitare solummodò deberet de ritè peragenda præsenti: quo ad verò una actione occupamur, multo cum judicio cogitatione de secutura, veluti tentatione aliqua aut saltem distractione, expedire nos debemus. Magna nimirum animi cum tranquillitate sic nostras actiones distribuamus oportet, altera suo ordine ut alteram excipiat, quo ea ratione viginti quatuor horas diei adimpleamus, exemplo eorum, de quibus dicitur, *Dies pleni invenientur in eis.* Psal. 72. 20.

4. Decentia religiosa requirit, ut omnes actiones nostras, imprimis verò communes, ad eorum, qui nos vident, ædificationem aliqua cum venustate, dexteritate, magna quo ad omnes circumstantias cum diligentia ac modestia

destia peragamus. Hoc ut consequamur, suavi quadam ac vigilanti animi applicatione opus est, ut sensus nostros & corporis nostri motus decenter componamus: neque igitur æquò festinantiores, neque tardiores, neque operosiores, neque nimis ambigui simus, sed in modesta quadam in agendo celeritate medium teneamus oportet. Huic rei obtinendæ imprimis inserviet, si ob oculos nobis proponamus sacratissimam Salvatoris nostri, quasi eandem, quam nos tum peragimus, actionem perficientis, humanitatem, considerando videlicet non solum sublimes, ad quas æterno patri cunctas suas actiones offerebat, intentiones, verùm etiam diligentiam, dexteritatem ac modestiam prorsus obstupescendam, quam in illis exhibebat, omninoque illam ut, quantum quidem possumus, imitemur, connitendo: nostra siquidem agendi ratio eò erit perfectior, quo ad illam, quam divinus magister ac Salvator noster, qui exemplum semetipsum nobis præbuit, observabat, amplius accedet. Atque aliunde plerumque quales cogitationes habemus, tales ipsi efficimur.

5. Adhæc omni cura ac sollicitudine cordi nostro advigilemus oportet, ut sensus abdicemus philautiæ sive proprii amoris in optimas quasque actiones irrepentis, atque optimam non rarò intentionem, quam operi ipsi præmisimus, depravantis: qua ratione v. g. contingere posset, ut ubi ex sola cibum sumere necessitate cœperimus, sensim sine sensu insinuante sese oblectatione voluptariè refectionem absolveremus.

Attentio

Attentio ista non tam in eo consistit, quod re ipsa de Deo cogitemus, quam quod nos in certa quadam pace atque interiori contineamus tranquillitate, ut ea ratione animus ad considerandas ac dijudicandas omnes suas cogitationes & cordis commotiones sit semper comparatus. Extra omne quidem dubium est, insignem fore præsumptionem, si quis futurum putaret, ut ea in re errori aut peccato obnoxius nulli foret: at verò ubi culpas admissas, quas advertimus, sarcimus, atque aliqua ubi oblivio obrepserit, ad priorem attentionem nosmet suavi quadam ad Deum elevatione revocamus, sensim eò devenimus, ut absque ullo pene labore ac difficultate animum in ipsius præsentia fixum ac firmum, atque ad nosmet contineamus attentum.

CAPUT VI.

Finita actione quid facere nos oporteat.

UTilissimum penitùs est, ut simplici quodam illam contuitu perlustremus, ut si quos in illa admiserimus defectus, illos agnoscamus, aut ubi nullos animadverterimus, Deo laudem omnem atque gloriam tribuamus. Hoc monitum peculiariùs observent oportet incipientes, ut religionis exercitiis cum fructu peragendis assuescant, ubi admissa errata animo versant, ut emendent.

Quicunque in exigua hac recensione deprehenderint actionem à se bonis omnibus cum circumstantiis atque affectionibus ritè fuisse

fuisse peractam, sollicite curabunt, ut omnem gloriam Deo tribuant, nihilque omninò sibi vana elatæ mentis oblectatione ausint arrogare. Sanctus Gregorius præclarè omnino ait, ubi cuncta quæ agimus non præcedit, comitatur & consequitur humilitas, fore, ut superbia furis instar omne nobis meritum surripiat. Diaboli idcircò non raro in fine actionum nostrarum vanâ gloriâ nos tentare conituntur, ut omne nobis meritum suffurentur, instar piratarum, qui naves mercatorias nequaquam adoriuntur, ubi è portu solvunt, ut vela ad loca mercationis faciant, sed illas in reditu expectant, quando opulentis mercibus fuerint onustæ.

Ut ergo omnem Deo soli gloriam tribuamus, dicere poterimus.

Psal. 113. 9. 1. *Non nobis, Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam.*

Isa. 26. 12. 2. *Domine omnia opera nostra operatus es in nobis.* Confiteor equidem, quia ex meipso præter peccatum, ignorantiam & infirmitatem, nil habeo.

3. *Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, ô beata, & benedicta, & gloriosa Trinitas; Pater & Filius, & Spiritus Sanctus.* Tu enim o-
„ mnis boni atque omnium virtutum fons es
„ & scaturigo, omniaque sua tibi in acceptis
„ referre habet omnis creatura, sicut rivulus
„ fonti debet omnem aquam, sine qua totus
„ exaresceret.

Isa. 10. 15. 4. *Nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? aut baculus, qui utique lignum*
„ *est?* Equidem Domine, instrumenti instar mor-

mortui sum, cui motum omnem præstas : „
atque ideo si quid boni per me forte fiat , „
tibi soli sit gloria. „

5. Benedic, anima mea. Dominum Deum tuum, qui adeò suaviter ac delectabiliter cor „ tuum ad sanctæ religionis vitæ exercitia „ peragenda inclinavit. „

6. Gratias ago tibi, Domine Deus, quia „ gratiam tuam mihi dedisti, ut ista in actione „ fideliter, quidquid in illa à me requirebatur, „ observarem , tuum enim omnino hoc do- „ num est. Quotquod econtrariò in sua re- censione deprehenderint in actionem suam quendam irrepsisse defectum veniam à Deo petent, ac fore promittent, ut imposterum sol- licitius sibi ipsis invigilent, dicentes cum Da- vide: *Observabo me ab iniquitate mea.* Culpæ *Psal.* 17. agnitionem & confessionem ista vel alia si- 24. mili ratione elicient ; Domine Deus meus, „ veniam peto, quod in ista actione adeo ma- „ lè me habuerim , & quod talem aut talem „ defectum voluntariè sive per occupationem „ admiserim contra majestati tuæ debitum „ honorem, contra illam quam præsentiæ tuæ „ reverentiam & quam meæ debebam con- „ scientiæ fidelitatem , firmiter propono ac „ sanctè tibi promitto fore, ut alia vice fide- „ lior existam, ac majori cum diligentia & „ circumspectione cuncta perficiam. Oro te, ut „ istam mihi gratiam tu concedas. „

Ea sunt generalia monita, qua ratione reli- gionis actiones in spiritu sint peragendæ. Deinceps vero de singulis in particulari age- mus: & primùm quidem de illis quæ fiunt quotidie.

CA-

CAPUT VII.

Qua ratione surgendum ad matutinas atque illis assistendum.

PErfectionis amans ac bonus religiosus in votis quidem haberet, necessitati dormiendi subjectus ut neutiquam esset, quò sic orationem & cum Deo colloquium nullo unquam tempore interrumpere cogeretur. Ferventer itaque surgit, ut magna cum diligentia divino in choro officio assistat, omninoque adesse primus omnium contendit, ut ea ratione ab Angelo, qui ibi præsidet, benedictionem obtineat. Locum illum suspicit ut Paradisum terrestrem, ubi suis laudibus audiendis oblectatur, atque ubi Christus Jesus in divinissimo Eucharistiæ Sacramento semper est præsens.

Ubi primum campani æris sonitum, vel crepitaculi strepitum fratrum expergefaciendorum ergò excitatum inaudierit, humi prostratus atque utroque nixus genu Deum ado-
Psal. 107. 2. rans ait: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Paratum, inquam, cor meum ad canendas tuas laudes. Gratias ago tibi, quod me ad adeò sanctum exercitium appellare voluisti. Reple cor meum devotione, & os meum voce lætitiæ, ut dignè præstare id queam.

Quod si natura illico è strato exurgere horruerit, neutiquam repugnantiæ huic succumbit, sed istis se ipsum trium Magorum verbis exstimulat: *hoc signum magni regis est, eamus*

& inquiramus eum: uti & illis, quibus ipsemet Salvator noster utebatur, ubi suam naturalem moriendi repugnantiam oppugnabat: *ut cognoscat mundus, quia diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio: surgite eamus hinc.* Ioan. 14. 31.

Adhæc interiori vi ac virtute dicit versus sequentes: *Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum effunde cor tuum sicut aquam ante conspectum Domini.* Thren. 2. 19.

In die mandavit Dominus misericordiam suam, & nocte canticum ejus. Ps. 41. 9.

In noctibus extollite manus vestras in sancta: & benedicite Dominum. 133. 2.

Toga se induens orare vocaliter pergit: Induc me, Domine, divini tui Spiritus fervore.

Domine, nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio animæ meæ. Anima mea desideravit te in nocte: sed & spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. Isa. 26. 8. 9.

Media nocte surgebam ad confitendum tibi: super judicia justificationis tuæ. Psal. 118. 62.

Memor sui nocte nominis tui, Domine & custodivi legem tuam. v. 55.

Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam tota die magnitudinem tuam. Gloria Patri &c. sicut erat in principio &c. 70. 8.

Egrediendo è cella, atque eundo ad chorum submissa voce istos orat versiculos:

Benedic, anima mea, Domino & omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus. 102. v. 1.

Benedic, anima mea, Domino, & noli obliviscì omnes retributiones ejus.

Qui

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia & miserationibus.

5. & 137. Ingrediendo Chorum: *Introibo, Domine, domum tuam: adorabo ad templum sanctum tuum & confitebor nomini tuo.*

Aspergendo se aqua lustrali: *Asperges me Domine, &c.*

Genu coram Sanctissimo Sacramento flectendo: *Tu rex gloria Christe* &c. vel: *Ave salus mundi, verbum patris, hostia sacra, viva caro, Deitas integra.*

Terram deosculando: *loquar ad dominum meum, cum sim pulvis & cinis.*

Directionem pro officio facit hac ratione:
„ Equidem non ignoro, Domine Deus meus,
„ quod peccatoris, qualis ego sum, non est
„ cantare laudes tuas; *quia non est speciosa*
„ *laus in ore peccatoris*: sed quoniam secun-
„ dùm magnam misericordiam tuam ad istud
„ angelicum admittere me vis exercitium;
„ illud cunctis mentis meæ affectionibus in
„ unione perfectissimæ attentionis ac pro-
„ fundissimæ reverentiæ, qua Dominus no-
„ ster Jesus Christus hic in terris vivens te
„ laudavit & oravit, peragere desidero. Re-
„ ple, obsecro, cor meum devotione ac fer-
„ vore, gratiamque magnæ hic animi mei re-
„ collectionis conservandæ mihi concede.
„ Ex nunc improbo atque abdico omnes
„ distractiones, quæ evenire mihi poterunt,
„ protestans fore nunquam, ut in illis con-
„ sentiam. Virgo Sacratissima, mihi patroci-
„ nare, ut gratiam mihi istam obtineas. Aut

Aut brevius. *Aperi, Domine, os meum ad benedicendum nomen Sanctum tuum: munda quoque cor meum ab omnibus vanis, perversis & alienis cogitationibus, intellectum illumina, affectum inflamma, ut dignè, attentè ac devotè hoc officium recitare valeam, & exaudiri merear in conspectu divinæ Majestatis tuæ per Christum Dominum nostrum Amen.*

Domine, in unione illius divinæ intentionis, qua ipse in terris laudes Deo persolvisti has tibi horas persolvo.

Magna psallit cum gravitate ac reverentia, tam ob infinitam Dei, cui loquitur, magnitudinem, quam multitudinem Angelorum, quos circum Thronum ipsius præsentes considerat, dicens intra se ipsum cum Regio Psalte: *In conspectu Angelorum Psallam tibi.* Atque in super: *Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine.* Psal. 137 118. 108.

Voci non parcit, quin potius econtrario habere optaret fortiorem, ut per quatuor orbis angulos resonare faceret sui laudes conditoris. Novit enim, infinities plura illum mereri, sequens id quod Ecclesiasticus ait: *Exaltate Deum, quantum potestis, major est enim omni laude.* Quod si dimidiata voce cantaret, conscientia ipsius non modo illi exprobraret suum in rebus ad pietatem pertinentibus torporem & languorem, verùm etiam fastidium, quod fratribus suis moveret, & pernicioſum exemplum, quod in aliis quibusdam sequi posset, magno cum detrimento gravitatis, qua divinum peragendum officium est. Eccli. 43. 33.

In amore ac deliciis habet Ecclesiæ cantum

Psal. 118. 103. dicens cum Davide: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo!* Afficitur ac movetur in corde illis, quæ pronunciat: atque si quando naturali levitate animo distrahitur, id modico durat tempore, etenim ad devotionem & attentionem revocare seipsum consuevit, quoties dicitur *Gloria Patri* &c.

In fine Officii.

„ Suscipe, & acceptum habere dignare, Do-
„ mine Deus, hoc officium, quod ad æter-
„ nam tuam laudem jam nunc decantavi: ob-
„ secro te, ut accipias omnes orationes illas
„ quas Dominus noster Jesus Christus un-
„ quam ad te fecit, ut illis suppleatur & satis-
„ fiat pro cunctis defectibus, quos ego hic ad-
„ misi, atque ut cuncta ad majorem tuam
„ gloriam, atque animæ meæ cedant salutem.

CAPUT VIII.

De aliis noctis exercitiis.

ILla sunt 1. Orare devotè officium B. Virginis parvum. 2. Obire aliquas devotas Stationes coram Sanctissimo Sacramento, in sacello beatissimæ virginis & alibi, juxta cujusque devotionem. 3. Brumali tempore se calefacere. 4. Præparare materiam pro oratione mentali matutina.

Directio pro recitatione officii parvi B. Virginis.

„ Domine Deus meus, qui me elegisti, ut
„ specialiter serviam Sanctissimæ matri tuæ

in

in hoc ei singulariter sacrato ordine, te per „ Sanctissimam voluntatem illam, qua ipsam „ ab omnibus creaturis tuis dignissimè honorari desideras, oro, ut hanc mihi gratiam „ modò concedas, ut tenera & reverenti pietate, qualem supremæ dominæ meæ debeo, „ hoc ipsius officium recitem. Tuque ò Sacratissima Virgo, quæ mea es liberatrix, quoniam per te mundi pericula evasi, meque in „ singularem tutelam tuam recepisti, accipe „ honorem & modicum servitium, quod tibi „ exhibere constituo.

Stationes piæ post Matutinas.

Istud devotionis exercitium illis, qui corde pio illud obeunt, multas gratias, ac specialiter orationis, conciliat.

Preces in hujusmodi Stationibus fundendæ cujusvis permittuntur optioni: actus tamen præcipui sunt adorationis, gratiarum actionis atque ad Christum Jesum in Sanctissimo Sacramento orationis, ad Virginem Sacratissimam laudis atque invocationis. Recitari hic poterunt devotæ quædam litaniæ, prosæ, hymni aut aliæ pulchræ precationes, quales sunt illæ, quæ continentur in operibus devotissimi P. Blosii & aliorum quorundam ejusdem Spiritus Authorum, quorum simplex & affectivus stylus interiorem animis præbet saporem ac gustum, eosque sensim ad veram recollectionem perducit. Aliquas quilibet pro gustu suo selectas congerere ac memoriæ mandare poterit, ut illis pro nata occasione, uti queat.

Frequentius tamen coram Altari primario dici solet Antiphona, versus & oratio de Sanctissimo Sacramento, quod teste D. Thoma, *est amor amorum, & dulcedo omnium dulcedinum.* Superaddi poterit ex missali sequens desumpta oratio ad honoranda tormenta, humiliationes ac Sanctissimam Passionem Domini nostri Jesu Christi, qui in eorundem memoriam Sanctissimum Sacramentum istud instituit, atque ista eorum commemoratio multo amplius meritoria erit, quam forent complures etiam cujusvis quantumvis heroicæ virtutis actus, uti Seraphicus author est Sanctus Bonaventura.

Devota Oratio.

Domine Jesu Christe fili Dei vivi, qui pro redemptione nostra nasci, & circumcidi voluisti: à Judæis reprobari, à Juda osculo tradi, capi, ligari, & cum vinculis Annæ, Caiphæ, Herodi, & Pilato offerri, ac coram eis illudi, colaphis, alapis, flagellis, & arundine cædi, facie velari, sputis conspui, spinis coronari, à falsis quoque testibus accusari, à malis Judicibus judicari, & ut agnus innocens, crucem tuam ferendo, ad victimam duci, clavis perforari, felle & aceto potari, atque in crucem levari, inter latrones deputari, morte turpissima mori, & lancea vulnerari; tu, Domine, per has Sanctissimas pœnas, quas nos indigni famuli tui recolimus, & per sanctam crucem tuam libera nos à pœnis inferni, & perducere digneris nos miseros peccatores, quo perduxisti crucifixum tecum latronem pœnitentem. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiri-

Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

In Sacello Beatissimæ Virginis.

Devotæ Salutationes.

Ave Maria, Filia Dei Patris.

Ave Maria, Mater Dei Filii.

Ave Maria, Sponsa Spiritus Sancti.

Ave Maria, Templum totius Divinitatis.

Ave Maria, candidum lilium fulgidæ semperque tranquillæ Trinitatis.

Ave Maria, rosa præfulgida cœlicæ amœnitatis.

Ave Maria, virgo virginum, virgo fidelis, de qua nasci & de cujus lacte pasci Rex cœlorum voluit.

Ave Maria, Regina Martyrum, cujus animam doloris gladius pertransivit.

Ave Maria, Domina mundi, cui data est omnis potestas in cœlo & in terra.

Ave Maria, cordis mei Domina, Mater, vita, dulcedo & spes mea charissima.

Ave Maria, Mater amabilis.

Ave Maria, Mater admirabilis.

Gratia plena, Dominus tecum.

Benedicta tu in mulieribus.

Et benedictus fructus ventris tui Jesus.

Et benedictus Sponsus tuus Joseph.

Et benedictus pater tuus Joachim.

Et benedicta Mater tua Anna.

Et benedictus filius tuus Joannes.

Et benedictus angelus tuus Gabriel.

Et benedictus Pater æternus qui te elegit.

Et benedictus Filius, qui te amavit.

Et benedictus Spiritus Sanctus, qui te Sponsavit.

Et benedicti in æternum omnes, qui benedicunt tibi & diligunt te.

Ad Dominum nostrum & Sanctissimam Virginem simul.

Miserere mei, pie Jesu: consolare me Maria, Mater Dei humillima. Auferte à me quidquid oculis vestris displicet. Commendo me nunc & in hora mortis meæ. Ecce Domine mi, ego resigno me totum in tuum beneplacitum: fiat semper in me, & de me gratissima voluntas tua. Effice me hominem secundùm cor tuum: redde me tibi placentem: da mihi, ut diligam te toto corde, tota anima, tota virtute, Amen.

O Domina mea, ora pro me misero peccatore. Impetra mihi cor secundùm cor Dei. Impetra purum amorem erga Filium tuum & ergate. Amen.

Alia oratio ad beatissimam Virginem.

Memorare, ò piissima Virgo Maria, non esse auditum à sæculo quenquam ad tua currentem præsidia, tua implorantem auxilia, tua petentem suffragia esse derelictum: Ego tali animatus fiducia ad te, virgo virginum, Mater, curro: ad te venio: coram te gemens peccator assisto: noli quæso, Mater verbi, verba mea despicere, sed audi propitia & exaudi. Amen.

Directio ante Calefactionem.

„ Domine Deus meus, obedientia jubet, hic
„ me ut calefaciam, idque levamenti recipiam,

piam, cum tamen quavis indignus quiete, „
acerbiore pœna ſuſcepta eluere mea debe- „
rem peccata. Hanc mihi, ſi placet, oro, gra- „
tiam concede, ut meæ ſenſualitati ne ſer- „
viam, ſed intra limites neceſſitatis me con- „
tineam. Eandem gratiam, Virgo glorioſiſ- „
ſima, te oro.

Animi interius inter calefaciendum colloquium.

Cogitando ardores ignis infernalis dicet intra ſe: *quis poterit habitare de vobis cum igne* Iſai. 33.
devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis? Ea tamen infeliciſſimorum damnatorum ſors miſerrima eſt. Verùm illam & ego æque atque ipſi, imò multò amplius, quamplures ex ipſis, peccatis meis ſæpius iteratis promerui, atque ſi flammis illis reverà addictus non ſum, infinitæ id Dei in me miſericordiæ tribuere habeo.

Cogitando de Martyrum ignibus: Ani- „
ma mea, nunquid comparati nos eſſemus „
ad ſubeunda ſimilia illis, quæ generoſi illi „
pertulerunt Chriſtiani? Nunquid pro Deo „
& pro fide vel aliquem iſtius ignis conta- „
ctum perferre vellemus? Heu! quanta „
nobis cauſa eſt nos deprimendi & confun- „
dendi! attentâ ignaviâ noſtrâ cum genero- „
ſo & conſtanti magnorum illorum ſancto- „
rum amore comparatâ. Interea quia eadem „
mihi fides, idemque Deus eſt, quia eandem „
cœli gloriam ſpero, atque animam haud „
minus pretioſam ſalvare habeo, nunquid „

„ æque atque ipsi ad subeundum Martyrium „ esse meritò deberem comparatus?

Morale documentum ex ignis operatione „ hauriendo dicet: Itane verò ad materialem „ ac sensibilem ignem istum approximatio „ corpora gelu stupentia excitat & concale- „ facit, atque nos tamen Deo, qui multo vi- „ vacior, quia *Deus noster ignis consumens*, „ est, approximantes adeò parum illius persen- „ tiscamus effectus; Ubi quæso fervor est, „ quo succensus ire deberem ab oratione? ubi „ ardores, quibus à sacra communione ex- „ æstuare me oporteret.

Elevatio mentis ad Deum lectioni meditationis materiæ præmittenda.

„ Aperi, Domine, mentem meam materiæ, „ quam lecturus sum, ut durante oratione cum „ divina occupare me possim tua Majestate. „ Etenim hic tu nisi egeris inde ego elicere ni- „ hil potero: sed gratiam illam mihi con- „ cede, ut ædificationi meæ accommodatio- „ ra, atque quibus amplius me movere atque „ ad serviendum tibi inflammare tibi placu- „ erit, cuncta observem: Illam per merita & „ intercessionem beatissimæ ac glorioſissimæ „ Virginis te oro.

CAPUT IX.

Exercitia temporis matutini.

SOmno excitatus ubi quis fuerit 1. Signo crucis se muniens in genua provolutus Deum adorabit dicens: *benedicta sit sancta*

& in-

& individua Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, nunc & semper, & per infinita sæcula sæculorum. Ac proinde

2. Superabit omnem surgendi difficultatem, ore simul & corde dicens: *Qui mane vigilant ad me, invenient me.* Prov. 8. 17

Justus cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conspectu Altissimi deprecabitur. Eccli. 39. 6.

3. Festinato vestibus se induet, recitando versus sequentes:

Deus Deus meus: ad te luce vigilo. Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea? Psal. 62. 1.

Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua. 118. 148.

Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, quia in te speravi.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam.

Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Gloria Patri & Filio, &c.

4. Ad orationis locum se conferet dicens intra se:

Quærite Deum, & vivet anima vestra. Ps. 68. 33.

Accedite ad eum, & illuminamini: & facies vestræ non confundentur. 33. 6.

Cum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum: si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ. Deut. 4. 29

Apud me oratio Deo vitæ meæ: dicam Deo susceptor meus es. Psal. 41. 9. 10.

Intret in conspectu tuo oratio mea: inclina aurem tuam ad precem meam, 87. 3.

5. Faciet generalem totius diei directionem hoc modo.

1.

Adoratio.

Superadorabilis divina Majestas, Pater & Fili, & Spiritus Sancte, Dominus meus, ac Deus meus, unicum ac summum bonum meum, in quo tota felicitas mea consistit, te ex intimo pectore meo adoro, te toto corde laudo: te omnibus viribus meis & animæ meæ facultatibus benedico.

Te Creatorem ac Deum meum agnosco, tibique omnia, quæ infinitæ magnitudini tuæ debeo, obsequia exhibere desidero.

2.

Gratiarum actio.

Gratias tibi ago pro omnibus & singulis, quæ usque modo à liberalitate ac paterna bonitate tua recepi, beneficiis (*gratias hic agere poteris de beneficiis creationis, vocationis ad veram fidem, quodque tamdiu in statu peccati fuerit toleratus, vocationis ad statum religiosum*) speciatim verò pro vigilantia, quam pro me nocte ista habuisti, quodque etiam mihi tempus ulterius peccata mea expiandi, atque in virtutibus, meritis, ac perfectione proficiendi indulges.

3.

Oblatio.

Offero tibi quidquid sum, quidquid habeo, & quidquid possum semper atque in perpetuum. Peculiariter verò hodie divinæ Majestatis tuæ honori consecro omnes meas cogi-

tatio-

tationes, verba, & opera, omnes motus, sensus atque animi mei affectiones. Cupio, ut omnia ista cedant ad æternam tuam gloriam, sintque totidem actus laudis, adorationis ac tui amoris.

In veritate atque ex toto corde meo tuo sancto & amabili servitio me devoveo, omnino desiderans, ut omnia diei istius momenta per fidelem observationem Regulæ, Constitutionum, obedientiæ & generatim divinæ voluntatis tuæ executionem tibi soli impendam. Gratiâ age tuâ, Domine, ita ut fiat, & quidquid in me fuerit sine ulla intermissione te glorificet.

Offero etiam tibi, & affectione atque intentione accedo ad omnem amorem, omnem gloriam, atque omnes laudationes, quas hodie in cœlo & in terra recipies.

Atque ut omnes diei istius actiones tibi gratiores efficiam, illas tibi offero in unione earum, quas Salvator meus, Christus Jesus, hic in terris cum ageret, fecit, ut ex illis meritum ac valorem suum recipiant. Illas enim, si mihi possibile foret, eadem intentionis & amoris puritate, qua sancta humanitas illius suas perficiebat, & ego perficere vellem.

Nunc jam amore tui gratas habeo omnes adversitates, contrarietates, atque animi ægritudines, quas mihi immittere volueris. Tibi etiam pœnas omnes piaculares offero, quas subire ac sustinere habebo.

Jam nunc nihilominus tentationibus atque perversis hostium salutis meæ suggestionibus renuncio. Omnes quoque superbiæ, vanæ gloriæ,

riæ, proprii amoris, cupiditatum, aliarumque perversarum inclinationum & affectionum in me fortasse nascituros motus improbo ac rejicio.

4.

Bonum propositum.

Omninò constituo adeò mihimetipsi invigilare, atque in tali aut tali animi motu sive passione cohibenda ita me fidelem exhibere, tantamque nativæ propensioni meæ inferre violentiam, ut mediante gratia tua in consuetas culpas meas non relabar. Quod si per imprudentiam aut oblivionem quid admisero, quod huic adversetur proposito, jam tum illud execror ac detestor, veluti etiam improbo ac rejicio omnia verba, cogitationes atque actiones, quæ puro tibi placendi desiderio animata non fuerint.

5.

Petitiones.

Dignare, Domine, accipere & gratam habere hanc oblationem ac bonum propositum meum, meque in via sanctorum mandatorum tuorum conservare. Deduc me, quæso, illustrationibus & occultis attractibus tuis per virtutum ac Sancti amoris tui exercitium. Inspira & suggere mihi quid cogitare, facere & dicere me oporteat, tibi ut placeam. Cor meum omninò ad te converte, illique ingentem eorum omnium, tibi displicere, aut te offendere quæ possunt, imprime horrorem.

Curam mei pro immensa misericordia tua gere, & peccata, quæ ullo unquam tempore contra celsissimam Majestatem tuam admisi, gratiarum tuarum contemptum, qui toties mihi

mihi obrepsit,& innumeras in divino servitio tuo infidelitates clementissimè Ignosce.

De omnibus necessitatibus meis spiritualibus & corporalibus in misericordissima bonitate tua penitus acquiesco. Singularissimè verò à te peto gratiam hanc, ut in hujus vel illius virtutis, quæ commendata mihi est, quaque imprimis indigeo, exercitio fidelis existam. Esto mihi murus impenetrabilis contra inimicos meos, corrobora me, ut Cacodæmonis tentationibus ac mundi cogitationibus, quæ impetere me possent, queam resistere.

6.

Invocatio Beatissimæ Virginis.

Virgo sanctissima, cœli, Angelorum & hominum Regina, gratiarum Thesauraria, ac spes omnium hujus ordinis Religiosorum, tibi specialiter intimo ac sinceriſſimo serviendi, teque in omnibus, quæ hodierna die cogitaturus, dicturus, & facturus sum, honorandi desiderio me consecro ac devoveo, supplex oro te Mater amantissima, ut sub tua sanctissima omni tempore tutela me serves, in omnibus hujus sanctæ religionis exercitiis me dirigas ac deducas, & felicem in illis ad ultimum usque vitæ meæ diem perseverantiam mihi obtineas.

7.

Ad Angelum Tutelarem.

Angele Dei, qui custos es mei, te etiam supplex rogo, ut omnis administrationis & gubernationis meæ curam agas, & misero & ingrato huic peccatori tuum auxilium ac præsidium semper exhibere portò pergas. 8.

8.

Ad Sanctos Patronos.

Et tu glorioſiſſime Sancte Joſeph & cæteri patroni mei N.N. (*ſpecialiter ille cujus nomine quis inſignitur, menſis hujus patroni, & de quo illa die fit officium,*) vos obſecro, & obteſtor, ut veſtram ſpecialem mihi gratiam præſtare nunquam deſiſtatis. *Pater noſter. Ave Maria. Credo.*

Directio pro inchoanda oratione Mentali, atque in præſentia Dei in illa ſe conſtituendo.

„ Domine Deus infinitæ Majeſtatis, ecce „ hic præſentem me ſiſto, ut loquar magni- „ tudini tuæ ego inops ac miſer peccator, „ omni dignus contemptu, quique à tuo ar- „ ceri conſpectu potius mererer, quam tibi „ approximare ut auderem. Te, ſupreme Rex „ regum, adoro, atque ante divinam Majeſta- „ tem tuam omni, qua poſſum, humilitate, „ veneratione ac profundiſſima reverentia „ me proſterno. Pœnitet me omnium inſi- „ delitatum mearum, & ſpecialiter hujus & „ illius, ob quas meritò, ne à te modò repel- „ lar, formido. Illas mihi, oro te, per infinitam „ miſericordiam tuam, ſi tibi placet, condo- „ na. Promitto tibi fore, ut deinceps mihi „ metipſi ſtudioſius attendam, & gratiis ac ſe- „ cretis inſpirationibus tuis fideliorem me „ exhibeam. Offero tibi hanc orationem, „ quam ad majorem tuam gloriam atque „ animæ meæ ſalutem facere volo, proteſtans

ullum

ullum alium finem à me nequaquam iri in- „
tentum, veluti etiam jam tum omnibus di- „
ſtractionibus, quæ hic contra voluntatem „
meam obrepere mihi poſſent, renuncio. Re- „
ple memoriam meam cogitationibus ſan- „
ctis, illuſtrationibus tuis intellectum, atque „
vel exiguâ amoris tui flammulâ voluntа- „
tem, ut hinc abeam totus in alium mutatus, „
atque ad ſerviendum tibi multò, quam ha- „
ctenus unquam, amplius comparatus. Hanc „
gratiam te oro per merita Domini mei Jeſu „
Chriſti & per interceſſionem glorioſiſſimæ „
ac Sanctiſſimæ Matris ipſius.

Redeundo ad cellulam poſt primam.

Convertere, anima mea, in requiem tuam : quia Dominus benefecit tibi. Unam petii à Domino, hanc requiram : ut inhabitem in domo ejus omnibus diebus vitæ meæ. Pſal. 114. 7. 26. 4.

Illam ingrediendo.

Domine Deus meus, gratias tibi ago ex „
toto corde meo, quod matutini hujus tem- „
poris exercitiis meis tuam impertiri benedi- „
ctionem voluiſti. Tu enim es, qui ſanctas „
illuſtrationes & ſenſus, quos expertus in illis „
fui, inſpiraſti : Illa, oro te, in anima mea to- „
ta die hac conſerva, mihique gratiam, ut na- „
ta occaſione illa in praxin redigam, indul- „
ge. Fac, Domine, ut earum interventu ab „
omni diſſipatione atque in actionibus meis „
extroverſione me ſervem. Quod ſi ex „
parte mea adfuerit aliqua ſocordia ac negli- „
gentia, rogo te, ut illam mihi remittas, neque „
me

„ me in pœnam tuis gratiis prives : quin po-
„ tius illas mihi exhibere porrò pergas, ut ho-
„ die in sancta præsentia tua semper ambula-
„ re valeam.

Cellulam ordinatè componet.

Bonus, ac virtutis & perfectionis amans religiosus cellulam suam considerat, ut locum sacrum, ac Deo orationibus ac bonis operibus ab illis, qui eam hactenus ante ipsum inhabitarunt, factis sanctificatum : ut locum in quo Spiritus Sanctus interioribus visitationibus suis non ratò illi ad cor loqui consuevit : locum, quem mundum & compositum tenere semper debet, ob reverentiam, quam debet Angelo suo tutelari, qui semper illi adest. Dicere intra semetipsum poterit.

Exod. 3. 5. *Locus, in quo stas, terra sancta est.*

Psal. 25. 8. *Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.*

Apoc. 21. 3. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis.*

Baruch. 6. 6. *Angelus meus vobiscum est.*

CAPUT X.

De opere Manuali.

Directio ista erit : Domine Deus meus, ad laborem obedientia me vocat, da mihi gratiam, ut in illo tibi placeam, ut te præsentem mihi semper habeam, ad inspirationes atque interiores visitationes tuas animum intendam, atque in omni hoc opere debito cum fervore & modestia, ad majorem tuam glo-

riam,

tiam, animæ meæ profectum, fratrum meorum ædificationem atque ad imitationem Salvatoris mei Christi JESU, qui unà cum patre suo Josepho laboravit, ut exemplum mihi præberet, me geram. Rogo te, ò Virgo Sacratissima, tuis mihi intercessionibus opem ut feras.

Interior occupatio.

Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Ioan. 6. 27

Quodcunque facitis, ex animo operamini, sicut Domino. Col. 3. 23.

Dum tempus habemus, operemur bonum. Galat. 6. 10.

Operamini dum dies est, venit nox, quando nemo potest operari. Ioan. 9. 4.

Bonum facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes. Gal 6. 9.

Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. Psal. 125. 6.

Labore finito.

Recipe Domine, si placet, exiguum hunc laborem, quem volui & conatus sum facere ex sancta obedientia ad majorem gloriam tuam. Fac, ut ille mihi ad meum spiritualem profectum conducat. Virgo Sanctissima hanc mihi tu gratiam ora & exora.

Vbi in vicem laboris manualis rei cuipiam describendæ vacatur.

Scriptionis hujusmodi argumenta plerumque sunt exercitia quædam spiritualia ac devota, quæ quis sive pro aliis, sive pro se ipso de-

scribit, cui rei qui vacat, eorum dulcedinem interea etiam dum scribit, gustare contendit.

Semetipsum considerat, veluti Spiritus Sancti Secretarium, qui id, quod scribit in manus cujuspiam amicorum ac fidelium servorum suorum ut deveniat, disponit: peregregia ac divina illa lumina sunt, quæ de cœlo ab eo, illi qui scribit, submittuntur.

Fore etiam cogitat, ut particeps evadat meriti bonorum operum, quæ ex eorum, quæ describit, lectione consequentur. Scriptura enim illius idem, quod magistrorum spiritualium dissertationes bonæ, efficiet: ac fructus ipse fortasis eò amplior erit, quòd sermo prolatus transeat ac depereat, ubi Scriptura post plurimos annos perseverat.

Directio. Mi Deus, ut sanctè & fructuosè tempus meum impendam, cum obedientiæ sanctæ merito ad ea, quæ mihi & pluribus aliis, pii ac devoti ut evadamus, usui esse queant, describenda animum intendo. Toties in ista scriptione mea glorificare te desidero, quot lineas incipiam, imo quot literas pingam. Oro te, ut acceptam habeas actionem istam, veluti per Sanctissimas ac purissimas glorioſissimæ virginis manus illam tibi nunc offero.

CAPUT XI.

De solitudine ac lectione Spirituali.

UBi in cellulam sese suam denuò recipiet, mentem ad Deum hac ratione elevabit: Ecce tempus, Domine, quod religio mihi permittit,

mittit, ut tibi ac mihi soli extra omne hominum commercium vacem. Gratiam hanc mihi concede, ut illud utiliter transigam, atque in eo Spirituales delicias, quas fideles servi tui experiri tum solent, deguſtem. Virgo gloriosa, quæ Mater Dei fieri tum meruisti, cùm in tuo cubili sola recluſa consisteres, hanc ab ipso mihi gratiam obtine.

Piæ considerationes de seceſſu ac solitudine.

Vade populе meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum. Isa. 26. 20.

Deducam eam (animam) *ad solitudinem, & ibi loquar ad cor ejus.* Oſe. 2. 19.

Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. Psal. 131. 14.

Cella continuata dulcescit, & male custodita tædium generat. Thomas à Kempis. *In omnibus requiem quæsivi, & nusquam inveni, nisi in angulo cum libello.* Idem

Elevatio ad Deum ante lectionem Spiritualem.

Sanctiſsime Spiritus, qui luminibus tuis Authorem hujus libri illuſtrasti, quique illius operâ divinam tuam intelligere me facis doctrinam, gratiam mihi concede, ut ea, quæ in illo continentur, probè intelligam, adeò bene deguſtem, tamque profundè imprimam cordi meo, ut in praxin ea redigam ad majorem tuam gloriam, atque animæ meæ in perfectione profectum. Virgo Sacratiſsima, mecum, quæso, communica ſuaviſſimam

devotionem illam, qua sacram tu scripturam legebas, ubi in templo cellulæ tuæ inclusa morabaris. Hoc ego à te profundissima peto cum humilitate ac te imitandi desiderio.

Devotæ Cogitationes atque aspirationes.

Sap. 7. 7. *Optavi, & datus est mihi sensus, & invocavi, & venit in me Spiritus Sapientiæ.*

Psal. 118. 18. *Revela oculos meos: & considerabo mirabilia de lege tua.*

Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem Sapientiam, ut mecum sit, & mecum laboret, & noli reprobare me à pueris tuis, quoniam

Sap. 9. 4. 5. *servus tuus ego sum & filius ancillæ tuæ.*

v. 10. *Emitte illam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, ut sciam, quid acceptum sit apud te omni tempore.*

CAPUT XII.

De Missa Conventuali, vel quavis alia, cui interesse quis habet.

Directio præmittenda prius ad ipsam quam accedat. Pater æterne, qui mundum sic „ amasti, ut illi unigenitum tuum filium da„ res: Et tu Domine Jesu Christe, qui pro „ immenso, quo in nos ferebaris amore, satis „ minimè habuisti, quod semel in cruce sa„ crificium pro peccatis nostris temetipsum „ obtuleris, verùm etiam iter adorandum al„ taris sive Eucharistiæ Sacramentum insti„ tuisti, in quo toties æterno Patri tuo te of„ fers, quoties Sacerdotes missam faciunt:

huic

huic equidem divino jam adesse sacrificio, „
teque illic una cum beatis Spiritibus, qui „
illic præsentes tibi sunt, adorare desidero. „
Purifica, quæso, cor meum, meque adeo sub- „
limi mysterio dignum constitue. Hanc et- „
iam mihi gratiam concede, ut inde multò, „
quam hactenus unquam, ad tibi serviendum „
ferventior recedam. Et tu, Virgo Sacratis- „
sima, quæ cruento crucis sacrificio præsens „
adfuisti, & maxima in mortem tui filii re- „
signatione in illo consummando ei coope- „
rata fuisti: fac modò, ut attentus ac devo- „
tus huic sacrificio adsim ad majorem Dei „
gloriam, in exhibitam Redemptori meo „
gratiarum actionem atque in perpetuam „
tuam laudem.

Quod si Missa canatur, optimum exercitium erit interius, si quis respondeat, & pia quadam cum alacritate cum choro ipso concinat, cordeque hoc dicere, quod ore profert, connitatur, exempli gratia: *Kyrie eleison*, Domine miserere. *Laudamus te, benedicimus te* & reliqua ex hymno Angelico *Gloria in excelsis*, &c. Quid Domine? itane tu per mittere „
non dedignaris, ut te laudem, te benedicam, „
te adorem, te glorificem? Te magne Deus „
ac summe Rex cœlorum, qui es ante omnia „
sæcula? Te, Jesu Christe æterni Patris Fili, „
Dei agne, qui in mundum venisti tollere „
peccata illius: Te Spiritus Sancte, qui in „
eadem cum Patre filioque gloria adoraris. „
Tu, inquam, non dedignaris vocem laudis, „
quam inops ac misera creatura tua depro- „
mere conatur in hoc sacro loco, atque in il- „

„ lorum celebratione mysteriorum, quæ ipsi
„ angeli absque terrore non possunt conspi-
„ cere. *Quod angeli videntes horrescunt, nec*
„ *liberè audent intueri propter emicantem inde*
„ *splendorem.* S. Chrysost.

Similiter ad *Alleluja & Sanctus* satis est, si illa sanctâ quadam cum lætitia quis concinat, uniendo vocem & intentionem suam ad *Alleluja* Sanctorum in cœlo, & ad *Sanctus* Seraphicorum Spirituum, nec non ad *Osanna* puerorum Hebræorum, qui elata voce Domino nostro, ubi cum triumpho introibat in Jerusalem, ad extremum urbem illam ingrediens illic ut moreretur, gloriam decantabant.

Epistolam & Evangelium magna cum attentione & reverentia auscultare debemus, quin frivolam hanc prætexamus excusationem, quòd, cùm toties illa audiverimus, memoriâ jam teneamus. In illis enim audiendis maximum comparare nobis meritum possumus.

Symbolum cum affectu pronunciemus ac voce elata nostræ fidei professionem decantemus oportet, gloriantes, Christiani atque Ecclesiæ filii quod simus.

Oramus unà cum Sacerdote, ubi hic dicit orationes, & ubi cantat præfationum: in illis enim loquitur in plurali ac nomine omnium assistentium, quos prævie salutavit dicendo: *Dominus vobiscum*, quæ ipsi responderunt: *Et cum Spiritu tuo*. Deinde dixit: *Oremus*, ut illos ad cor suum applicandum ad ea, quæ linguâ ille suâ pronunciat, invitaret.

Suadendum non est, ut aliæ dicantur hic

preces

preces vocales, sed solum modò ut quivis suam conjungat cum intentione Sacerdotis, atque unà cum ipso ad eosdem fines, eodem modo, quo Dominus noster pro toto mundo illud obtulit, offerat sacrificium. Ut finibus sacrificii quis se conformet, oblatio erit:

1. In gratiarum actionem pro omnibus & singulis beneficiis, ac specialiter pro beneficio nostræ cruentæ Jesu passione consummatæ redemptionis.

2. Ut dignissimâ, esse quæ possit, hostiâ atque excellentissima adoratione supremum divinitati debitum cultum exhibeamus.

3. In expiationem omnium noxarum tam nostrarum, quàm omnium hominum, sive in terris qui etiamnum existunt, sive eorum, quorum animæ in ignibus sive pœnis purgatorii detinentur.

4. Ad obtinendas per merita Jesu Christi æterno suo Patri oblata omnes gratias & nobis specialiter, & toti generatim Ecclesiæ necessarias.

Oblatio Sancti Missæ Sacrificii.

I. Celsissima & infinita Majestas Dei mei, offero tibi per manus Sacerdotis, omniumque aliorum, qui hodierno die toto orbe terrarum sacrum faciunt, sacrificium unigeniti Filii tui in gratiarum actionem incomparabilis beneficii redemptionis meæ, propter quam ipsum crudeli atque ignominiosæ morti permisisti. In recognitionem quoque aliorum beneficiorum sive generalium, sive specialium, quæ ab immensa bonitate tua ab ortu ac nativi-

nativitate mea usque modò recepi, ac singulariter meæ vocationis ad sacram hanc Religionem, sine qua reliqua omnia inutilia mihi fuissent.

II. Per ipsum summæ tuæ atque infinitæ Celsitudini exhibeo omnes laudes, omnemque quem meretur honorem, quoniam exse ipso infiniti est pretii & valoris. Agnosco in te Majestatis abyssum omnes puratum creaturarum laudes exhaurientem. Nostræ adorationes coram te omnino esse nihil videntur. Quidquid Angeli & homines possunt in tuo conspectu, nisi atomus quædam non est. Quod si vel millies me ipsum destruxissem, te ut honorarem, nihil dignum consideratione egissem, atque orbis universus tuæ gloriæ ergò in nihilū si recidisset, id quod tua meretur magnitudo, neutiquam adæquaret. Verùm in filio tuo Domino nostro in Altari immolato invenio, unde meam suppleam impotentiam, omnibusque meis desideriis satisfaciam. Solus enim ille pluris est, quàm mundi infiniti, quoniam illius persona tuæ æqualis existit: per illum ergo satisfacio officio dignè adorandi te, ô Deus infinite, illum enim dum tibi offero, hostiam offero tui instar infinitam.

III. Respice, Pater cœlestis, oculis pietatis tuæ amabilissimum hunc filium tuum. Ignosce in gratiam hujus agni immaculati omnia peccata, quæ tanta cum indignitate in mundo contra tuam Divinam Majestatem admittuntur. In gratias ac benedictiones æquissima supplicia illa quæ pro meis ego pro-

merui.

merui, converte. Miserere pauperculæ animæ meæ languenti, atque imperfectionibus, *tali* præsertim ac *tali*, quæ tibi in me maximè displicent, oppressæ. Potentes atque efficaces mihi gratias tuas concede, ut illas ad æternam tuam gloriam castigem atque emendem.

IV. Te etiam per ingentem amorem illum, qui te impulit, ut mundo tuum filium dares, quique etiam ipsum incitavit, ut victimam pro nobis se daret, obsecro & obtestor, ut digneris sanctam Matrem nostram Ecclesiam exaltare; Religionem nostram in Sanctitate conservare atque amplificare, curam agere Nationum infidelium, omniumque populorum, qui in hæresi aut Schismate versantur: plurimorum etiam perversorum Christianorum, qui salutis suæ immemores vivunt, uti & egomet aliàs feci, omnium illorum, quibus malo sive exemplo sive consilio scandalo fui, omnium etiam eorum, pro quibus orare debeo, quique ut pro illis orem desiderant, ac tandem paupercularum animarum in purgatorio detentarum, imprimis Parentum & Consanguineorum meorum, atque ordinis hujus Religiosorum, quibus solatium & requiem ut indulgeas, etiam atque etiam oro. Amen.

Ad Elevationes.

Ave verum Corpus natum,&c. sive *Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui.*

Christum Jesum Dominum nostrum in SSmo Sacramento tam pro nobis, quam pro incredulis & infidelibus, qui ipsum in hoc Mysterio non agnoscunt, adorando specialiter ab ipso petemus æternam salutem nostram & bonæ mortis postremam gratiam, dicentes v.g. *ô bone Jesu, ne separari à te unquam ne permittas. Tuus sum ego, salvum me fac.*

1. O mi Deus, super omnes gratias hanc mihi concede, ut è gratia tua nunquam excidam.

2. Nostratum Pastor divine animarum, fac de ovibus ut tuis semper existam.

„ 3. Quoniam, mi Deus, tuus proprius filius „ est, qui totus in hostia ista existit, per omnia „ ea, quæ fecit, per omnia, quæ pertulit, ut „ tuam gloriam restitueret ac meam operare„ tur salutem, te obsecro & obtestor, ut mi„ serculam animam meam infelici morte pe„ rire ne permittas.

„ 3. Quod si Salvator noster Jesus Chri„ stus, qui hic in Altari præsens existit, nihili „ tibi esset, ægrè ferre non possem, quòd mi„ nimè à te respicerer: si sanguis illius longè „ pretiosissimus infiniti valoris non esset, non „ haberem utique quod contradicerem, si „ gratiam, quam te oro, denegares. Verùm „ cum tuus ille filius sit, & sanguis illius pretii

sit

sit infiniti, illam per merita ipsius certissimè spero & expecto.

Ad Agnus Dei.

Hic incipiunt præparationes ad Communionem spiritualem, quam quotidie quis faciat oportet, ubi Sacramentaliter ad sacram Communionem non accedit. In eo illa sita est, ut eosdem sibi optet effectus, quos ex re ipsa sumpta hostia sacra perciperet.

Utinam, Domine, tantæ virtutis essem, ut „ dignus forem, re ipsa temetipsum qui reci- „ perem: veruntamen oro te, ut fructus illius, „ illarumque gratiarum, quas in isto Sacra- „ mento dignè ipsum recipientibus impartiris „ me participem efficias.

Me ipsum dum probo, adeò peccatis me „ plenum, adeò in officio meo negligentem, „ adeoque in amore tuo frigidum me depre- „ hendo, ut qui te intra me ipsum recipiam in- „ dignissimum me agnoscam. Conscientia „ mea tot infecta corruptionibus, quot mihi „ sunt perversæ inclinationes, adeò fœtidum „ odorem exhalat, te rogare ut non ausim, ad „ me ut ingrediaris. A planta pedis usque ad „ capitis verticem miseriis amor proprius me „ cooperit, instar miserorum illorum, quibus „ nulla pars corporis sana jam consistit. Ve- „ rùm, Domine, si vis, potes me sanare, quin „ tuæ potentiæ aut bonitati, ad me Sacramen- „ taliter ut venias, necessarium sit.

Tantum dic verbo, & sanabitur anima „ mea: *Dic animæ meæ salus tua ego sum.* „ Fac me experiri, quia tu Deus meus, unicum „ bonum,

„ bonum, atque unica salus animæ meæ es,
„ Sensibus & operibus meis sacerrimæ hu-
„ manitati tuæ omnino me conformem con-
„ stitue, meque gratiâ tuâ, uti desidero, homi-
„ nem effice secundùm cor tuum.

CAPUT XIII.

Methodus compendiosa audiendi Missam privatam.

QUI, Sacro decantato cùm non adsit, audit privatum, eandem facit oblationem atque sub Elevationibus adorationem, nec non actus eosdem pro spirituali communione. Suum ibi non persolvit pensum horarium, nisi fortè extraordinariis præpediatur occupationibus. Quin potius interiùs occupatur, Missam in tres partes distribuens. Prima est ab initio usque *ad Sanctus*, quæ est ei loco præparationis: Altera est *à Sanctus* usque ad *Agnus Dei*, quæ sacrificii habet oblationem: ac Tertia est ab *Agnus Dei* usque ad finem, in qua fit communio spiritualis.

Quantum attinet ad primam, initio præmittit directionem, ut habetur Capite præcedenti. 2. Cùm Ministro dicit *Confiteor*, intenùs agnoscens peccata sua, eorumque petens veniam per intercessionem Beatissimæ Virginis & omnium Sanctorum. 3. Intentioni Sacerdotis quoad orationes, cæterasque preces suam adjungit. 4. Reliquum temporis impendit Memoriæ Passionis Domini nostri

Jesu

Jesu Christi, & effusionis sanguinis ipsius, cujus ipse Salvator continuam usque ad finem mundi Altaris Sacrificium esse voluit commemorationem. Quam proinde obliviscì nulla debet quis ratione.

Quantum ad secundam, sacrificium offert ea ratione, quæ etiam habetur capite superiore. 2. Exhibet ad Elevationes adorationem pro omnibus illis, qui Dominum nostrum in isto mysterio non agnoscunt, neque adorant. 3. Petit suam propriam salutem atque omnium errantium conversionem. 4. *Pater noster* recitat unà cum Sacerdote.

Quantum ad tertiam, facit communionem spiritualem, rogando Dominum nostrum, ut ipsum illius virtute Sacramenti gratiâ suâ coroboret. 2. Gratias agit suam uniendo intentioni Sacerdotis, orationes in gratiarum actionem dicentis. 3 In fine benedictionem illius, ut filius à patre suo, recipit, fore confisus, ut cum illa ac per factam super illum Sanctissimæ Trinitatis, Patris, Filii ac Spiritus Sancti invocationem gratias è cœlo accipiat, ut suis stet promissis, futurum videlicet, ut totus sit Dei.

CAPUT XIV.

Brevis conscientiæ discussio ante prandium.

DUabus de causis discussionem istam instituimus. Prima est, ut renovemus bonum

bonum propositum circa virtutem, quam per illam hebdomadam aut mensem colendam selegimus: Secundò ut, num fortassis in matutini temporis exercitiis nostris aliquid relaxaverimus, agnoscamus. Conscientia sanè illa semper optima non est, quæ pauciora errata agnoscit, id enim provenire quandoque potest ex eo, quòd luminis parum habeat, aut quòd adeo ad illa, quæ facit, non animadvertat. Quin potius Conscientia optima illa est, quæ minimis etiam in rebus sibi ipsi invigilat. Versus sequentes animæ, ad seipsam ut revertatur, usui erunt, eamque ad istam disquisitionem disponent.

Eccli. 21. 7. *Qui timet Dominum, Convertetur ad cor suum.*

Thren. 3. 40. *Scrutemur vias nostras, & quæramus, & revertamur ad Dominum.*

Psal. 18. 13, 14. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, & ab alienis parce servo tuo.*

Directio simplici animi elevatione fiet „ hac ratione. Immitte, mihi Domine, vel „ modicum luminis tui radium, ut agnoscam, „ qua in re in officiis nostris, & istius dimidiæ „ diei occupationibus deliquerim, malo ut „ consulam.

Deinde in memoriam nobis revocabimus omnes horas, & omnes præteritæ noctis ac temporis matutini actiones, ut videamus:

Primò circa virtutem, quam colendam accepimus.

1. Utrum mane bonum circa illam propositum elicuerimus.

2. Utrum actus illius, quos Deo polliciti sumus,

mus, exercuerimus, utrum hac in re infideles aut negligentes extiterimus.

3. Num aliquid dixerimus, fecerimus aut cogitaverimus, quod illi adversetur.

4. Utrum exercitii istius memoria, velut importuna, molestiam nobis aliquam attulerit.

Secundò circa noctis ac matutini temporis actiones

Videbimus.

1. Utrum ad surgendum ad matutinas & orationem expediti fuerimus.

2. Utrum cogitationum primitias Deo dederimus.

3. Utrum inviti, vel tardiùs & post alios ad chorum nos contulerimus.

4. Utrum illic tædio affecti non fuerimus, aut officium ut brevius esset optaverimus.

5 Utrum aliò mente evagati non fuerimus.

6. Utrum, quæ nobis agenda erant, præviderimus, vel culpâ nostrâ evenerit aliqua confusio, quæ cultus divini gravitatem turbaverit, aut fratrum nostrorum devotionem interruperit.

7. Utrum ad orationem nos ritè præparaverimus.

8. Utrum pro debito in illa nos occupaverimus, vel potiùs negligentes ac fastidiosi extiterimus.

9. Qualem ex illa fructum perceperimus.

10. Qua devotione sacrum vel audierimus, vel fecerimus, vel illi ministraverimus.

11. Utrum omiserimus, vel neglexerimus aliquas in illo, veluti momenti haud adeò magni, cerimonias.

12. Utrum

12. Utrum omnes actiones noſtras ad Deum aut finem debitum direxerimus.

13. Utrum quampiam fortaſſis ob reſpectum humanum fecerimus.

14. Utrum tempus extra cellam divagando, aut minus ſtudiosè in illa fructuoſo quodam opere nos occupando inutiliter tranſegerimus.

15. Utrum ſpeciales preces noſtras vocales feſtinatò, ac modica vel nulla cum devotione perſolverimus.

Fructus diſquiſitionis iſtius in eo ſitus eſt, ut in nobismetipſis de noxis noſtris coram Deo ruborem eliciamus, ſerioque conſtituamus, in easdem toto reliquo diei tempore neutiquam relabi, dicentes cum Davide: *Obſervabo me* „ *ab iniquitate mea.* En meam, mi Deus, ingra„ titudinem atque in divino cultu tuo oblivio„ nem, quam fore promitto, ut emendem, at„ que exactâ circa meipſum vigilantiâ ea, „ quæ inconſiderantiâ aut infidelitate mea „ amiſi, reſarciam.

CAPUT XV.

Mortificationes atque humiliationes in Refectorio.

„ *Directio:* Domine Deus meus, gratias „ ago tibi, quod ſuperiori meo inſpiraveris, ut hanc vel illam Mortificationem pu„ blicè ſubeundam mihi injungeret. Inde in„ telligo, quantumvis in te deliquerim, non„ dum tamen meâ te repudiari, quin potiùs „ tibi probari meum pro noxis admiſſis tibi faciendi

faciendi satis desiderium ; Offero tibi hanc „
mortificationem sive humiliationem ma- „
gno cum dolore, te unquam quòd offende- „
rim, atque ingenti sancti odii & contemptus „
meimetipsius concipiendi desiderio. Da „
mihi, te oro, animum ac vires, ut omnem re- „
pugnantiam, verecundiam, metum alios- „
que depravatæ naturæ meæ defectus, quos „
in illa subeunda expugnare habebo, exupe- „
rem, ut ea ratione divinæ Majestati tuæ ac- „
ceptum me constituam. Virgo Sacratissima, „
tui mihi sis præsto protectione.

Piæ Cogitationes atque aspirationes.

Bonus Religiosus humiliatione lætatur, juxta id quod ait Jeremias Propheta :

Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis. Thren. 3. 30.

Improperium expectavit cor meum, & miseriam. Psal 68. 21.

Quoniam propter te (Domine) *sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam.* v. 8.

Exeamus ad eum (Christum) *improperium ejus portantes.* Heb. 13. 13

Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Act 5. 41.

CAPUT XVI.

Refectio.

REfectorium sacrum repræsentat Cœnaculum, ubi superior vicem agit Domini nostri Jesu, & Apostolorum cæteri Religiosi.

Sancti nisi coactè & inviti cibum non capiebant, sed ea ratione, qua pharmacum capiunt ægroti, atque idcircò dicebant: *Accede ad alimentum, tanquam medicamentum.* Ita Jobus aiebat: *Antequam comedam suspiro.*

„ *Directio*; Domine Deus, quoniam voluntatis tuæ est, modò cibum ut adhibeam, „ eo duntaxat animo huc accessi, ut faciam satis necessitati, non verò ut corpoream ex„ pleam voluptatem. Sanctifica actionem „ istam, eamque gratam habere dignare, in „ unione refectionum, quas aliàs Dominus „ noster Christus Jesus cum Sacratissima Vir„ gine ac Sancto Josepho, sive cum suis sume„ bat Apostolis. Gratiam mihi concede, ut „ modestiâ hic utar ac temperantiâ. Animum „ meum erige supra gustum & oblectamen„ tum ciborum, fac ut anima mea Divinam „ tuam persentiscat præsentiam: ut animam „ æquè ac corpus ita reficiam, ut deinceps „ majori tibi serviam cum alacritate. Virgo „ Sacratissima, Mater amantissima ac singula„ ris patrona, tuo sub nomine, & quoniam „ specialiter consecrati sumus tibi, eleemosy„ næ, quibus nutriamur, nobis erogantur. „ Tuus ergo panis est, quo jam nunc, velut „ tuus filiusfamiliàs, vescar. Noli ergo per„ mittere, ut voluptatis aut divinæ offensio„ nis mihi sit occasio.

Spiritus istius actionis erit. 1. Ut magna cum attentione cantemus preces, quibus mensæ benedicitur. 2. Ut abstractè, absque voluntaria ad voluptatem vel etiam ciboriorum discretionem reflexione comedamus.

3. Ut

3. Ut illa cum gratiarum actione, quantum satis erit necessitati, & non ultra illam, sumamus, dicentes cum illo Seniore: *Non vivo ut edam, sed edo ut vivam*: permodici temporis experientia nos docebit, quid cuique sit necessarium. 4 Ut devotè & cum animi applicatione, non verò ex solo usu gratias Deo agamus.

Interioris occupationis præter lectionem Materia.

Beatus, qui manducabit panem in regno Dei. Luc. 14.

Meus cibus est, ut faciam voluntatem patris 15.
mei, qui in cœlis est. Ioan. 4. 34.

Cibabis nos pane lachrymarum, & potum Psal. 79. 6.
dabis nobis in lachrymis in mensura.

Quod si alimenta gustui arrideant, ibi sisti non debet, quin potius dici poterit: *Non est regnum Dei esca & potus, sed justitia, & pax &* Rom. 14. 17.
gaudium in Spiritu Sancto.

Si verò econtrariò illa desipiant, cogitandum erit de felle porrecto Domino nostro, dicendo intra se: *Dederunt in escam meam fel,* Psal. 68.
& in siti mea potaverunt me aceto. 22.

CAPUT XVII.

Recreatio.

HOra recreationis non modò ordinata fuit, ut animus nonnihil relaxaretur, ut inde æquali cum fervore continuetur ordinis ac Religionis custodia: verùm etiam ut hac ratione mutuæ conversationis suavitate serve-

tur unio & charitas fraterna, atque ut fratres invicem Religioso colloquio bono sint exemplo atque ad amorem Dei inflamment.

Directio. Domine Deus, quoniam voluntas tua fert, ut modò nonnihil me recreem, ut ea ratione ad tibi serviendum comparatior evadam, oro te, ut istam mihi gratiam concedas, ut ea ad me ipsum attentione, eaque hîc modestiâ me geram, ut fratribus meis bono sim exemplo, hincque recedens idem, quod modò, tibi placendi desiderium sentiam. Virgo ter Sancta, quæ in Templo cum aliis sacratis Deo virginibus conversata fuisti, tua mihi protectione hic adsis, meque illius admirandæ humilitatis & modestiæ à te illic exhibitæ imitatorem constitue.

Fundus illius interioris dispositionis facili negotio sequentibus poterit conservari ac sustentari sententiis.

Judith. 16. 24. *Erat populus jucundus secundùm faciem Sanctorum.*

Psal. 132. 1. 3. *Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum. Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, & vitam usque in saculum.*

Ubi est caritas & dilectio, ibi Sanctorum est congregatio. Offic. cœnæ Dom.

Joan. 13. 35. *In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem.*

CA-

CAPUT XVIII.

Instructio circa Cerimonias & modum cantandi.

UT Ecclesiæ Cerimonias ac divini officii cantandi peritiam eo, quo oportet, habeamus loco, satis erit, si cogitemus ea esse, quibus altissimam Dei Majestatem immediatiùs atque expressiùs honoramu. Pro eo igitur, in quo erimus, æstimationis Dei ac virtutis Religionis, qua ipsum honoramus & colimus, gradu, perdiscendis ac ritè exercendis cerimoniis studebimus. Addi poterit sequentium ex sacris literis depromptorum contextuum consideratio.

Quæ est alia gens sic inclyta, ut habeat cerem- Deut. 4. 8.
monias & universam legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros?

Mandavit mihi Deus, ut docerem vos cere- v. 14.
monias, & judicia, quæ facere debetis.

Pone cor tuum, & vide oculis tuis, & auribus Ezech.
tuis audi omnia, quæ ego loquar ad te de univer- 44 5.
sis ceremoniis domus Domini.

Si quis ignorat, ignorabitur. 1. Cor. 14. 38.

Directio pro addiscendis ceremoniis. Deus, Dominus ac Rex meus, quoniam elegisti „ me, è numero servorum ac ministrorum „ divinæ Majestatis tuæ ut essem, oro te, ut „ eam mihi gratiam concedas, ut rectè perci- „ piam & addiscam ea, quæ hic docebor, ut „ ad tuum servitium idoneus evadam. Et tu, „ ô virgo Sacratissima, in qua specialiùs fidu- „ ciam omnem meam repono, hanc à filio „ tuo gratiam mihi obtine.

Directio pro addiscenda arte cantandi. Do-
„ mine, cupio idoneum me reddere ad tuas
„ in choro canendas laudes, quoniam ad
„ eum Religiosum me statum vocasti, in
„ quo teneor imitari vitam antiquorum Pa-
„ trum nostrorum, ac primorum Religioso-
„ rum, qui Psalmis & Hymnis tuæ gloriæ de-
„ cantandis diu noctuque vacabant. Gra-
„ tiam itaque, rogo te, da mihi, ut artem hanc
„ adeò benè addiscam, ut pro parte quoque
„ mea ad antiquum conservandum divini of-
„ ficii splendorem, qui nunquam in hoc Or-
„ dine nostro quæsitus non fuit, contribuam.
„ Tu, virgo Sacratissima, vosque sancti & ele-
„ cti Dei, in quorum honorem toto anni cur-
„ riculo, & speciatim per hebdomadam
„ istam, in Ecclesia divinum decantatur offi-
„ cium, vestro mihi hic adeste atque opem
„ ferte interventu.

CAPUT XIX.

De tempore pomeridiano ritè transigendo.

SAncti Spiritus consilium per Salomonem nobis suggestum audiamus: *Mane semina*
Eccle. 11. 6. *semen tuum, & vespere ne cesset manus tua: quia nescis, quod magis oriatur, hoc aut illud, & si utrumque simul, melius erit:* atque si diceret: incipe à summo mane per bona opera seminare semina piorum ac devotorum exercitiorum, neque ab illis sub vesperum desiste, quoniam ignoras, utrum hæc an illa tibi magis

magis sint proficua, atque ad obtinendum à Deo benedictionem idonea: quod si ista æquè atque illa sint Deo accepta, ac tibi utilia, eò melius erit tibi.

Istius consilii usus in eo situs erit. 1. Ut quis fastidio, quod sæpius Religiosis conciliat dæmonium meridianum, ut è cellulis suis illos egredi faciat, ne succumbat. Etenim sibi ipsis inferre vim debent, ut in illis constanter persistant, dicentes cum illo, quo de mentio fit in vitis patrum: *Propter Deum hic sedeo, & parietes istos custodio.*

2. Ut repugnet somnolentiæ, scriptioni aut alteri cuipiam occupationi, somnum arcere quæ queat, vacando, veluti hocce disticho exprimitur.

Nunc lege, nunc ora, nunc cum fervore labora.
Sic erit hora brevis, sic labor ipse levis.

3. Ut nulli omninò, quisquis ille sit, accessum permittat, qui temporis causare posset jacturam colloquendo, sive ad cellulæ januam, id quod aliàs prohibitum quoque est, sive aliò quopiam cum ipso sese conferendo ad confabulandum de illis, quæ reverà necessaria non sunt. Ad hoc plurimùm conducet, si consideret

1. Id quod dicebat beata Britanniæ Ducissa Franciscа de Ambasia nostri ordinis Religiosa: fore nimirum, ut nulla de re Deus ita exactam repetiturus ab animabus Religiosis sit rationem, atque de temporis jactura,

2. Singula illius momenta esse perquam pretiosa, quoniam nullum est, in quo novum cœlestis gloriæ gradum promereri non queamus.

3. Tempus nunc esse misericordiæ, quo recto tramite incedendo ac dignos pœnitentiæ fructus faciendo pacem cum Deo nostram constituere possimus.

4. Fore, ut in hora mortis lætemur, quòd in meritis pro æternitate nobis conciliandis fideles extiterimus.

5. Satis esse, quod multum vitæ nostræ temporis vanitati atque inutilitati mundi impenderimus, jamque nobis amissi temporis jacturam esse resarciendam, veluti Apostolorum vertex ait: *Sufficit præteritum tempus ad voluntatem gentium consummandam.*

1. Pet. 4. 3.

6. Negligendam nequaquam nobis gratiam esse, quam Deus nobis concedit, quamque pluribus, qui in inferno jam agunt, denegavit, concedendo nobis tempus vitæ nostræ emendandæ ac nostrarum expiandarum noxarum.

7. Denique quod si animabus damnatis vel temporis, quod nos culpâ nostrâ amittimus, quadrantem horæ indulgeret, converterentur, atque in gratiam cum Deo ut redirent, conniterentur. Eapropter in die judicii Justitiam exacturæ sunt contra illos, qui rem adeò pretiosam ita liberè dilapidarunt.

Omnes istæ considerationes depromptæ sunt ex Divo Bernardo, cujus egregia ac sententiosa verba sunt ista: *Nemo vestrum par-*

vi

vi æstimet tempus, quod in verbis consumitur otiosis: volat verbum irrevocabile: volat tempus irremediabile, nec advertit insipiens, quid amittat. Licet fabulari, dicunt, donec hora pratereat. O! donec pratereat hora, quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam, miseratio conditoris indulget. Donec transeat tempus, quo divinam propitiare debueras pietatem, properare ad Angelicam Societatem, suspirare ad amissam hæreditatem, excitare remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem. Serm. ad Schol.

CAPUT XX.

Exhortatio sive lectio Spiritualis.

EX illa ut proficiamus, simplicem ac docilem animum adhibeamus est necesse, illis enim, qui hujusmodi sunt, cœlestis Doctrinæ gustum impertiri Deus consuevit. *Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Cor etiam habere debemus affectum desiderio addiscendi veritatem & placita nostri status Religiosi, illa ut ipso opere perficiamus: scriptum est enim, verum ac sincerum discendi desiderium esse primum gradum, qui nos ad sapientiam deducat. *Initium sapientiæ verissima* Matth. 11. 25. Sap. 6. 18.

est disciplinæ concupiscentia. Atque iterum:

Matth. 5. 6. *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.*

Directio. Domine Deus, Religio me in „ hunc locum conferre me jubet, ut isthic in „ viis perfectionis ac sancti amoris tui eru- „ diar. Me, obsecro te, dignum Sanctâ Scho- „ lâ tuâ discipulum constitue, & simplicita- „ tem ac docilitatem animi mihi impertire. „ Gratiam mihi concede, ut attentum me „ præbeam, quò sic intelligam ac memoriâ „ retineam ea, quæ Magister *aut* Director „ meus verbis tuis dicturus est mihi, ut meas „ obligationes ubi magis magisque cogno- „ vero, magna illas fidelitate adimpleam. „ Te etiam oro, Sacratissima Virgo, hanc „ mihi gratiam ut obtineas.

Monita ex Literis sacris deprompta.

Iac. 1. 22. *Estote factores verbi, & non auditores tantum fallentes vos metipsos.*

Rom. 2. 13. *Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.*

Deut. 24. 8. *Facies quæcunque docuerint te Sacerdotes.*

Ioan. 14. 23. *Si quis diligit me, Sermonem meum servabit.*

c. 13. 17. *Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea.*

CA-

CAPUT XXI.

Completorium.

„ *Directio.* En iterum, Domine Deus
„ meus, transactum vitæ meæ diem,
„ quem mihi indulseras, ut agerem pœniten-
„ tiam atque in virtute ac tui amore profi-
„ cerem. Heu me! id quomodo feci? fi-
„ nis istius diei vitæ meæ quoque finis me
„ commonet. Tibi præsentem me hic si-
„ stam, rationem tibi ut reddam, atque eo
„ me in statu ut constituam, in quo mori
„ peroptarem. Gratiam mihi istam conce-
„ de, ut isti extremæ officii parti dignè inter-
„ sim ad æternam tuam gloriam, atque ut
„ sancto fine totius diei actiones omnes con-
„ cludam. Virgo Sanctissima, tuus honor
„ bonam istius postremæ actionis partem
„ constituit, quoniam in ea majori cum so-
„ lemnitate laudes tuæ decantantur. Oro te,
„ tuis mihi intercessionibus ut assistas.

Spiritus actionis istius in eo est, ut ad noctis nos quietem ita comparemus, atque crastinam visuri diem si non essemus. Noxas nostras dicendo *Confiteor* generatim agnoscimus: Deo specialiter nos commendamus, præcipuè dicendo: *In pace in idipsum dormiam & requiescam. In te, Domine, speravi* &c. *In manus tuas, Domine, commendo Spiritum meum.* In Dei fidem ac tutelam nos committimus in Psalmo: *Qui habitat*, in Præsidium Angelorum

lorum bonorum nos recipimus versu illo. *Quoniam Angelis suis mandavit de te* & sequentibus. Canticum *Nunc dimittis* mortis nostræ nobis memoriam refricat. Solemni ritu cantamus Antiphonam *Salve regina* vel *Regina cœli*, Sacratissimam Dei matrem orantes, ut filium suum dilectissimum nobis ex isto vitæ hujus exilio commigrantibus exhibeat, dicendo: *Et Jesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende.* Benedictionem à superiore accipimus, atque aqua lustrali conspergimur, ut armis istis propugnantibus adversùm invisibilium inimicorum nostrorum insultus protegamur. Verumtamen majoris momenti magisque proficua nobis actio est examen conscientiæ, quod hic à quibusdam, ab aliis ante dormitionem instituitur.

CAPUT XXII.

Examen conscientiæ.

DIvinus Apostolus S. Paulus Author est, quod si nos metipsos accuratè dijudicaremus, severum Dei judicium effugeremus.

1. *Cor.* 11. 31. *Si*, inquit, *nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* Si nos ipsi noxas nostras æquo supplicio castigaremus, timere porrò non haberemus, ut Deus illas ulciscatur, quoniam nemo bis punitur pro eodem delicto.

Hoc adversùs nos ipsos judicium quovis vespere exercemus, atque in nos sententiam pronunciamus, ubi conscientiæ examen instituimus. Cujus istud est emolumen-

mentum, ut Religiosus, qui ipsum seriò, & non obiter & ex usu duntaxat, institueret, citò perfectus evaderet. Etenim qua ratione fieri posset, ut ubi quis imperfectioni cuipiam subjectum sese comperiret, ac Deo quotidie fore promitteret, ut illam corrigeret, quin insignem inde fructum reportaret? Quomodo imperfectio ista altiores radices ageret, si quis illam, qua proportione nascerentur, extirparet? Quis immoderatæ cupiditati studeret, de qua usu ipso futurum nosset, ut rubore suffunderetur, & coram Deo ac judice suo pœnas daret?

Exercitium istud quinque puncta complectitur.

Primum est, ut meminerimus strictissimæ obligationis, quam contraximus cavendi peccata, atque ne Deo displiceamus, post tot ac tanta ab ipso percepta beneficia, veluti sunt ista, quod in gente Christiana ex parentibus nati simus Catholicis, qui nos adeò studiosè instituerunt atque educarunt: quod è mundo, ubi nos ipsos perdituri eramus, educti fuerimus: quod actione quadam divina etiam ipsum Angelorum meritum exuperante (si sumus Sacerdotes) ad altare sacrum accedimus: quod fortè eadem ipsa die per sacram communionem ad mensam cœlestem admissi fuerimus: quod divina bonitate simus hactenus conservati: quod gratia à Deo quadam peculiari fuerimus cumulati.

Alterum est, ut cœli lumen imploremus, quo illustrati noxas nostras agnoscamus.

Etenim

Etenim absque illo cor nostrum abyssus est, cujus fundum penetrare non possumus, veluti Jeremias Propheta capite decimo septimo fidem facit, ubi ait: *pravum est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscet illud?* in conscientiis nostris plicaturæ ac latebræ sunt adeò obscuræ & absconditæ, ut Deus dicat seipsum usurum candela, ut illas visitet atque agnoscat, atque si ipse rei ipsius exitum, qualem vellet, habere non posset, quin mutuato hoc lumine uteretur: *Scrutabor* ait, *Jerusalem in lucernis.* Quod si quod jubar Spiritus Sancti in conscientias nostras illapsum non fuerit, nunquam in ipsis deprehendemus millenas occultas cupiditates ex proprio amore profectas, millenas vanas complacentias, millena supervacanea desideria, millenas animi levitates, millenos motus exacerbationis, suspicionum, temerariorum judiciorum, proximi contemptus, neque alios innumeros defectus nostros, ad eum modum, quo pulveris nubeculam aut atomorum in cubiculo volitantium multitudinem non percipimus, nisi ubi sol radios suos per fenestram infundit. Elevatio animi eo fine elicita ista erit: Istam, ô Domine, gratiam reliquis superadde universis, quas à te quamplurimas percepi, ut queam intelligere, qua in re hodie tibi displicuerim, atque ne ullum peccatorum meorum oblivione relinquam, quin à te de illo veniam petam, ac pro eo satis tibi faciam. Etenim quis obsecro est, ô mi Deus, numerum suorum qui noverit pec-

Ier. 17. 9.

Sophon. 1. 12.

catorum ? Tu solus es , qui cordis mei ,, intima penetras , atque illa potes facere ut ,, cognoscam.

Tertium, quod fieri in examine debet, est studiosa disquisitio delictorum cogitationibus, verbis, operibus & omissionibus admissorum. Peccata quidem paulò notabiliora, ob eorum materiam, quasque infidelitate & contra conscientiarum nostrarum, quod revera jam adest, lumen noxas committimus, nullo omninò negotio cognoscemus. Ad reliqua verò, quæ ex ignorantia sive ex subreptione admittuntur, quod attinet, illa cognoscere poterimus : Primò examinando nos circa vitium, quod ampliùs ingenitum nobis esse non ignoramus, & à quo frequentiùs impugnari solemus, putà vanæ gloriæ, loquacitatis, iracundiæ sive indignationis, tristitiæ, in precibus aliisve exercitiis spiritualibus ignaviæ, &c.

Ad hæc in memoriam reducere debemus.

1. Loca, in quibus fuimus.

2. Homines, quibuscum conversati fuimus.

3. Actiones, quas de hora in horam à primo diluculo fecimus.

4. Utrum illas cum omnibus requisitis perfecerimus circumstantiis.

5. Qua ratione linguâ, oculis ac reliquis nostris sensibus usi fuimus.

6. Utrum cum aliqua sensualitate, vel extra horas consuetas aut Refectorium comederimus ac biberimus.

7. Utrum interiùs in præsentia Dei semper extiterimus,

8. Utrum

8. Utrum opus quodpiam ab obedientia nobis injunctum omiserimus.

9. Utrum aliquas declinaverimus mortificationum occasiones.

10. Utrum in re quapiam deliquerimus contra charitatem.

11. Quomodo divinum officium, sacrum, aliasque res ad Dei cultum, ac Religionis virtutem pertinentes expleverimus.

12. Utrum aliquid admiserimus, quo proximis offendiculo, sæcularibus scandalo aut fratribus nostris perverso fuerimus exemplo.

Quartum punctum est actus contritionis, hac aut alia haud absimili eliciti ratione: „ Dominus meus ac Deus meus, veniam te „ oro meæ nimiæ ingratitudinis, qua pro gra„ tiis à divina Majestate tua mihi collatis tibi „ præter offensas & ignominias nihil retribui. „ Mei continuò tu recordaris, ac tui identi„ dem ego obliviscor. Tu me amore prose„ queris, & ego amorem hunc tuum, uti de„ berem, non agnosco, quin potius incessanter „ te offendo. Prô me infelicem & infide„ lem peccatorem! quis me tot ac tantis im„ becillitatibus atque ista corruptione libera„ bit? Ad alium neminem, præter teipsum, „ mi Deus, cujus misericordiarum non est „ numerus, confugere possum aut debeo. Ve„ rùm toties in hujusmodi tu materia mihi „ ignovisti, ut jam coram tua divina Majesta„ te comparere erubescam. Nihilominus „ in illa, Domine, de bonitate tua, quæ ad „ ignoscendum copiosior est, quàm sit mea in „ te offendendo perversitas, fiducia omnia

pec-

peccata, veluti totidem ramos, & veteris „
maledicti ac pestiferi trunci surculos in tuæ „
fornacem misericordiæ conjicio, ut illic „
comburantur ac destruantur, aut veluti are- „
næ pugillum in immensum oceanum, ut ibi „
perdantur atque oblivioni tradantur. De il- „
lis, Domine, & aliis quæ unquam tota vita „
mea admisi, postquam tot gratiis à tua bo- „
nitate cumulatus fuissem, ex intimo corde „
doleo. Illa odio prosequor, veluti & tu „
odio habes. Illa quantum tibi displicent, „
execror ac detestor. Optarem omninò æ- „
qualem magnitudini offensæ altissimæ Ma- „
jestatis tuæ habere contritionem. Ignosce „
ergo, Domine, ignosce, per tuam infinitam „
misericordiam, per pretiosissimum sangui- „
nem, quem unigenitus tuus filius pro me „
effudit, ac per merita Gloriosissimæ Virginis „
te obsecro & obtestor. Amen.

Quintum ac postremum punctum est boni propositi emendandi delicta, quæ agnovimus. Hoc in puncto totus consistit examinis fructus: parùm enim omninò prodesset nobis, quòd noxas nostras agnovissemus, nisi posita securi ad radicem illas resecare, atque ne in illas relaberemur, cavere conniteremur.

Earum deformitatem apertiùs agnoscemus, si illas non tanquam à nobis, sed ab alio coram nobis admissas consideraverimus. Quæ enim nos ipsi facimus, facilè ex magno, quo nos ipsos prosequimur, amore excusamus; & liberrimè & absque ulla excusatione noxas condemnamus, ab aliis

quas admitti videmus. Sed enim perspicuum est, ea, quæ in aliis culpamus, in nobis ipsis haud minus esse vituperanda & accusanda.

Illas ut corrigamus utilissimum est, ut earum causam penetremus, & veram earum scaturiginem agnoscamus, remedium ut adhibeamus. Adhæc prævideamus oportet, quæ deinceps occurrere nobis poterunt relabendi occasiones, omninoque in illis nobis advigilare constituamus.

CAPUT XXIII.

De Dormitione.

Directio Complectitur actus fidei, spei, Charitatis, gratiarum actionis, oblationis ac petitionum, secundùm actum contritionis, quem in examine elicuimus, ad similitudinem eorum, quos moribundi ut eliciant, admonere solemus. Formulam en adjungo.

„ Domine Deus meus misera corporum „ nostrorum in hac vita conditio & obedien- „ tia me astringunt, ut cubitum eam, & somno „ ac quieti me tradam. Opto, mi Deus, ut „ somnus hic meus tibi sit acceptus in unio- „ ne illius, quem capiebat Dominus noster „ Christus Jesus, in terris dum ageret, vi quo- „ que affectionis illius, qua teneor impræ- „ sentiarum, te laudandi, teque amandi toties „ quoties respirabo

Actus fidei.

Te agnosco, te confiteor, teque Deum meum

meum adoro, gloriando de meo baptismo, eaque felicitate, qua Sanctum nomen tuum agnosco, quodque Christianus, & Ecclesiæ tuæ filius existam, in cujus fide vivere ac mori desidero

Actus spei.

Tuæ me tutelæ omninò committo, ea spe fretus, fore, ut quoniam amantissimus æquè atque omnipotens pater meus es, salutis meæ, quam sincerè multoque ampliùs, quam à me ipso, desiderari à te scio, curam habeas. Tot ac tantæ gratiæ, quas hucusque impertitus mihi fuisti, quantumvis permagnæ infidelitates & continuæ meæ in tuo servitio ignaviæ obsistere potuissent, sperare me jubent futurum, ut etiam deinceps me nunquam derelinquas. Etenim si ea bonitate fuisti, ut me quæreres, atque ad servitium tuum invitares, ubi de te vel nullo modo vel certè valde parum cogitabam, qua modò ratione me derelinqueres, quando in perpetuum totus esse tuus, tibique in omnibus placere desidero?

Actus Charitatis.

Nihil deinceps amabo, nisi te, atque præter te si quid amem, uti sunt dona & gratiæ tuæ, nolo, hoc ut fiat, nisi solummodo propter te. Te meliùs & ampliùs ut amem, odio habebo meipsum. Tuo me omninò servitio novo animo, novoque consilio devoveo, voloque, ut tu in perpetuum sis omnium desideriorum meorum incitamentum ac finis omnium actionum mearum. Quia tu Deus meus es,

quem ſummo, imo infinito, loco habeo, atque alia omnia à te, Domine, tecum comparata inſtar ſtercoris mihi eſſe videntur aſpernanda. Tu enim pater meus es, tu meus creator, conſervator, Redemptor, perpetuus benefactor & omnia.

Gratiarum actio.

Humillimas grates tibi ago, quod feceris, ut exiſterem, quando non eram, quodque animam mihi dederis te agnoſcendi, te amandi, teque in felici æternitate fruendi capacem. Gratias tibi ago, quod me in regione Chriſtiana è Catholicis naſci feciſti parentibus, quibus & bonas illas cogitationes, quas de mea proba educatione atque ad ſtudia promotione habuerunt, inſpiraſti.

Gratias ago tibi, quod tum me etiam toleraveris, quando te offendebam, neque mori me permiſeris, quando in malo ſtatu eram, quodque me ad pœnitentiam expectaveris. Gratias ago tibi de gratia vocationis meæ ad Religionem, de tot bonis, quas in ea habeo, inſtitutionibus, de tot bonis, quæ indies conſpicio, exemplis, totque valentiſſimis, quas ibi invenio, ſalutis meæ ac perfectionis acquirendæ atque obtinendæ rationibus.

Pro beneficiis peculiaribus.

Gratias etiam per maximas ac perquam humillimas ago ſpeciatim, quod hodierna luce mihi miſero ſervulo tuo temetipſum in ſacra Communione dederis, aut quod talem vel talem motum interiorem in me excitaveris, quod à tali vel tali immoderata cupiditate, cujus occaſio præſens aderat, atque ad quam incitabar, liberaveris &c.

Ob-

Oblatio.

Intimo quo possum sensu & affectione offero tibi animam meam cum omnibus facultatibus meis, corpus meum cum omnibus membris & organis suis, ut tuo impendantur servitio. Horæ illæ, quas dormiendo consumam, vires meas reficient, ut majori ad te laudandum cum dispositione è somno resurgam. Intereà verò somnum dum cepero, intentione atque affectione me illis, qui in cœlo te collaudant, conjungo.

Insuper offero tibi infinita merita Domini nostri Jesu Christi, illiusque profundas quas tibi tum reddidit adorationes, quando noctes in montibus orando transigebat. Denique offero tibi tuam propriam gloriam, quam possides ab æterno atque absque ulla diminutione in perpetuas æternitates possidebis.

Petitiones.

Oro te, somnum tranquillum ut mihi indulgeas, gratiamque ferventer ad canendas laudes tuas surgendi concedas. Jam nunc improbo, abdico ac rejicio perversas cogitationes omnes, Cacodæmonum hostium nostrorum malitiâ mihi forsitan quæ possent occurrere, ac fore protestor, nullum omnino illis consensum ut præbeam.

Commendatio ad Beatissimam Virginem, S. Josephum, Angelum tutelarem ac reliquos Patronos.

Virgo Sanctissima, Mater & Patrona mea amantissima, tuque glorioſissime Sancte Joseph, vestrâ mihi nocte ista ac toto vitæ meæ decursu adeste tutelâ. Hh 3 An-

Angele mi Tutelaris, tu quoque mihi assiste, ut omnia dæmoniorum adversùm me eludas molimina. Et vos amantissimi Patroni mei N. N. vestris intercessionibus misello huic servulo vestro opem ferte. Amen.

Decumbendo cogitemus 1. Ad futuram aliquando diem illam, qua decumbemus, nullo unquam tempore resurrecturi. 2. Confundamur & erubescamus, quod commodè decumbamus, & cooperti simus, ubi sancti sæpe sæpius in gelida humo cubabant. 3. Consideremus nos, ubi ita commodè agimus, non videri nomine dignos esse servorum Jesu Christi, qui in hoc mundo non habebat, ubi vel caput suum reclinaret, velut ipse aliquando ait: *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos. Filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet.* Luc. 9. 58.

Quod si quando noctu expergiscamur, devotam ad Deum eiaculabimur aliquam aspirationem. Atque si animus forte somno obrutus formare nullam potest, satis erit dicere: *Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto.* Inde rursum obdormire connitemur. En omnes actiones diei totius, nunc paucis etiam acturi sumus de illis, quas quandoque in hebdomada, sive etiam temporibus facere solemus indeterminatis.

CAPUT XXIV.

Quomodo interioris constitutionis reddenda sit ratio.

COnventus superior, sive Pater Spiritualis nobis

nobis est loco Dei, ut ab ipso recipiamus in tristitia solatium, in laboribus animum, lumen in dubiis, & in tentationibus nostris auxilium. Ille, qui interioris constitutionis suæ rationem, ut ritè deducatur, non reddit, vel nimium de se ipso præsumit, vel de profectu suo spirituali exiguam curam habet. Corda nostra aperire debemus Directori nostro, atque si ipsi Deo aperiremus: maximi etenim sancti in quibusvis occasionibus, quoad in hoc mundo vixerunt, præsentius neutiquam reperere solatium.

Hac via securè, quin à scopo aberremus, in cœli itinere ambulamus, neque enim falli possumus aut errare, illius ubi morem consiliis gerimus.

Diabolicæ tentationes ad primum gressum, quem facimus, ut illas detegamus, dissipantur & evanescunt: & superbissimus ille noster Adversarius omnem tentandi nos cupidinem amittit, quamprimum infantili quadam simplicitate ei palam facimus futurum, ut Patri nostro Spirituali rem totam aperiamus. Ita ipsa natura infantes, sive parvulos pueros edocuit, ut pro magna, quam habent in parentes suos, fiducia illis omnibus, qui mali quid ipsis inferre moliuntur, minentur fore, ut dicant patri suo, quo facto securissimos jam esse sese existimant.

Candida ac sincera hæc difficultatum sive molestiarum, atque interioris constitutionis nostræ declaratio magnam nobis pacem atque internam conciliat suavitatem. Quod si verò econtrariò Cacodæmon persuadere no-

bis posset eorum occultationem, perpetuas nobis perturbationis præberet materias, atq; demum omnino nos perderet.

„ *Directio.* Domine Deus meus, Pater cœ-
„ lestis, qui mihi, velut filio tuo, de sapiente
„ Magistro, ac vero Patre in persona Superio-
„ ris *vel* Directoris mei prospexisti, qui vices
„ tuas obit, atque in quo vis proinde teipsum
„ ut agnoscam, veluti revera persuasum mihi
„ habeo, esse te, per os illius mihi qui loqueris:
„ Gratiam istam te oro, ut omnem interio-
„ rem meam dispositionem ea ipsi ratione
„ aperiam, ut lumina ab ipso & monita atque
„ consilia, quæ mihi pro meo profectu spiri-
„ tuali fuerint necessaria, recipiam. Obsecro
„ te, Domine, ut cohibeas & confundas per-
„ versa Dæmonum, inimicorum meorum,
„ molimina, ne fortè animum meum pertur-
„ bent, aut mihi persuadeant, ut non sine ma-
„ gna jactura mea aliquod conscientiæ meæ
„ arcanum ipsum celem, aut quadam ei dissi-
„ mulatione occultem. Te etiam, Virgo Sa-
„ cratissima, oro, hanc mihi gratiam ut obti-
„ neas.

Ampliorem ac faciliorem interiorem tuam dispositionem disquirendi atque aperiendi methodum, quam alibi reperies, brevitatis ergo hîc prætermitto.

Interior constitutio illius, qui hac ratione manifestare arcana animi sui cupit, consistit in eo, ut Deum oret, ut Directori suo ea, quæ ipsi necessaria magis fuerint, inspiret. 2. Ut ita illum amet, ut candidè omnes suos illi defectus aperiat, ut ea ratione superbiam suam deprimat,

mat, ac secretæ de se ipso præsumptioni medeatur. 3. Ne nimia familiaritas cum ipso intercedat, neve ea ratione faciat, ut supervacaneis sermonibus tempus inutiliter transigatur. 4. Ut ea, quæ ille semel ipsi dixerit, studiosius animadvertat, ut alia illa ei in occasione deserviant.

CAPUT XXV.

De defectuum in Capitulo, sive culparum exercitio correctione.

PEr humilem culparum ac noxarum nostrarum coram Superioribus nostris accusationem, & amicam, quam ab ipsis recipimus correctionem, Diabolus uno horæ quadrante amittit, integra de nobis hebdomada quidquid lucri reportaverit. Verùm insignem de nobis referret victoriam, si illas agnoscere ac fateri cùm deberemus, eas ut occultaremus, aut defendere satageremus, persuaderet: atque ea ratione nos in periculosum omnino-que infelicem in immortificationibus nostris obstinationis statum reduceret, sicque demum laberemur in incorrigibilitatem, quæ ultra omnem modum reformidanda est Religiosis, quia certissimum iter est ad æternam condemnationem.

Porrò fructus ejusmodi humilis noxarum accusationis omnino eximii sunt. Etenim ubi ipsas coram Fratribus nostris ipsi condemnamus, eas abolemus, animas nostras purgamus, perversum, quod dedimus, reparamus exemplum, satis justitiæ divinæ facimus, con-

fusionem, quam ob illas in divino judicio subire haberemus, effugimus, in vera humilitate ac sancto nostrimetipsorum despectu proficimus: Disciplinam Religiosam servamus, atque ipsam Religionem, in statum deteriorem ne prolabatur, impedimus, quia vel minimæ noxæ radices in illa nullas agere poterunt, quando absque correctione non remanebunt. Quin & ipsa natura, quam pudet sæpius apparere imperfectam, non audebit imposterum in easdem noxas relabi, quia in publico porrò confundi timebit.

„ *Directio.* Ecce hic locus est, Domine, in „ quo superior noster *vel* Director noster no„ xarum nostrarum cognitionem habet insti„ tuere, illas ut corrigat, oro te, hanc mihi gra„ tiam ut concedas, ut humiliter accipiam, „ quæ mihi daturus est monita atque consilia, „ patienter feram quam erga me exercebit „ correctionem, atque exactè adimpleam, „ quam mihi injunget pœnitentiam, tam pro „ noxis meis satis ut faciam, quàm ut offen„ diculum ac perversum, quod fratribus meis „ præbui, exemplum resarciam. Virgo San„ ctissima, præsidem, oro, agas hujus congre„ gationis, ut omnes ritè de nostris admoniti „ erratis sancti ordinis tui ad finem usque „ mundi splendorem servemus ac vigorem, „ Amen.

Sententiæ ex sacris literis accuratè considerandæ.

Eccli. 10. 28. *Vir prudens & disciplinatus non murmurabit correptus.*

Prov. 9. 8. *Argue sapientem & diliget te.*

c. 15. 10.

Qui

Qui increpationes odit, morietur. c.15.10.

Viro, qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei supervenjet interitus. c.29.1.

Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis. c.27.6.

Plus proficit correptio apud prudentem, quam centum plagæ apud stultum. c.17.10.

Devotæ affectiones.

Bonum mihi, Domine, quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas. Ps.118.71.

Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti: annis quibus vidimus mala. 89.15.

Peccavi, & verè deliqui, & ut eram dignus, non recepi. Iob.33.27.

Da, Domine, servo tuo cor docile. 3.Reg.3.9

Animæ irreverenti & infrunitæ ne tradas me. Eccli.23.6.

In quibusdam Majoribus anni festivitatibus superior, quin audiat culpas, generalem impertitur absolutionem, pro qua ritè percipienda interius quis dicere poterit: Hodie Domine, omnes præteritas noxas meas perpetua sepelire vis oblivione. Gratiam mihi obsecro quoque istam concede, in illas ullo unquam ut tempore ne relabar, ut in Ordinis ac Religionis & sacrarum legum custodiam exactiùs ac diligentiùs incumbam, & Fratribus meis exemplo meliori præluceam. Hanc gratiam, Virgo Sacratissima, tua mihi intercessione concedendam confido.

CAPUT XXVI.

Humiliationes ac Mortificationes alibi quam in capitulo subeundæ.

SUperiores ac vitæ spiritualis Magistri, experper-

pertissimorum instar Medicorum, vitiorum, quæ plagæ sunt animarum, curandorum ergò, diversas Religiosis solent suis injungere mortificationes, veluti morbis, quibus cupiunt mederi, utilissima admodumque salutaria remedia.

Ut propriam, quam de se habent, deprimant existimationem, ac superbiæ in illis curent tumorem, verbis acrioribus, quæque eorum superbiam frangere, atque aliquam inferre despicientiam queant, noxas illis suas ob oculos proponunt. Palam exprobrant illis ea, quæ in occulto ipsi fecerunt, illos pudore ac rubore ut afficiant. Aliorum etiam subinde noxas illis imputant, atque illas quandoque, ex se modicæ quæ fuerunt, certarum illas aggravantium circumstantiarum enumeratione exaggerant.

Verbis utuntur hujusmodi, ut illos aspernari, ac despicatui habere videantur, permittendo etiam aliquando, diutius ut genuflexi persistant, quin illis ipsi quippiam respondeant, sæpe improvisos, nilque minus opinantes intercipiunt, atque etiam illis ipsis in rebus, quas optimè à se factas illi existimabant, inveniunt, quæ reprehendant, quin ullam audire vel admittere velint explicationem aut excusationem.

Humiliationes hujusmodi totidem sunt plagæ lethales superbiæ atque existimationis, quam de sua quisque concepit capacitate, si modò Religiosus, cui illæ injunguntur, animo eas humili & compuncto accipiat, ac sinceram habeat illis mediantibus concipiendi con-

tem-

temptus ſui metipſius intentionem. Illæ etiam nos diſponunt ad patienter pro re nata ſufferendas injurias nobis forte fortunâ à quopiam ſæcularium irrogatas, ſenſim etiam magnos animos nobis inſpirant, ut heroica quæque opera, ad majorem Dei gloriam, aut animarum ſalutem quæ conducant, aggredi ac perferre non formidemus.

Spiritus, quo eas recipiamus oportet, conſiſtit in eo. 1. Ut illas non conſideremus, quaſi rem quampiam in Religione uſitatam, cui proinde ſe quisque ex mera conſuetudine ſubjiciat. 2. Ut ſimus à partibus Superioris, animum noſtrum elevando cum affectu in Deum, ut omnibus arrogantis atque humiliationum impatientis naturæ noſtræ reflexionibus viam præcludamus.

Actus interiores.

1. Etiam, Domine, revera grato animo ac- „
cipio, quidquid dicitur mihi, plura etenim „
etiam promeritus ſum.

2. Volo, Domine, cum ſilentio perferre „
hanc confuſionem atque opprobrium iſtud, „
ex illo quo te proſequor amore, atque ut vel „
in modico gradu mereat eſſe conformis ſa- „
cratiſſimæ Humanitati Salvatoris mei Chri- „
ſti Jeſu, qui quantum vis Deus, & quantum- „
vis Agnus innocentiſſimus eſſet, accuſatio- „
nibus atque injuriis opprimi voluit, quin „
vel unico ſeſe verbo tueretur.

3. Qua in re, Domine, monſtrabo ſervum „
tuum me eſſe, niſi in iſtis occaſionibus? „
Hæc etenim gloria, hæ divitiæ ſunt eorum, „
qui te ſequuntur.

4. Eia, anima mea, ex intimo animi ſenſu „
recí-

„ recipiamus hanc mortificationem, neque
„ illius degustare amaritudinem detractemus:
„ etsi enim ex se ipsa illa nobis displiceat, atta-
„ men quia venit à Deo, nobis placeat est
„ omnino necesse.

„ 5. Toties à Divina Majestate petiisti, ali-
„ quid pati ut posses; Quinimò desiderium
„ habuisti, ut, ubi minimè omnium cogitares,
„ acerbissimo quodam afficereris dolore, ut
„ inde intelligeres, num vel modicum quid
„ veræ tibi esset virtutis. En adest jam occa-
„ sio. Noli, quæso, quod aliquando optasti,
„ modò repudiare. Animadverte jam, num
„ absque ulla ad te ipsum, aut ad ea, quæ tibi
„ eveniunt, reflexione, contenta atque corde
„ pacato atque animo tranquillo remaneas.

„ 6. Ah! cupio omninò, Domine, & assen-
„ tior, ut ea ratione despiciar & vituperer, tibi
„ duntaxat ut placeam, atque actionem mea
„ dignam vocatione ac professione exerceam.
„ Imprime, Domine, animo meo sanctum
„ meimetipsius contemptum atq; ut illum ad
„ mortem usque conservem, mihi concede.

CAPUT XXVII.

Interius circa quasdam humiliationes ac mortificationes exteriores exercitium.

HUmiliationum istarum usus ad arro-
gantem naturam abjectioni assuefa-
ciendam atque altissimam humilitatis virtu-
tem acquirendam utilissimus est, neq; etiam
minùs conducit ad hoc, ut illi firmiter insista-
mus,

mus, illiusque intermisio id efficeret, ut natura immortificatior ac domituræ impatientior, quàm unquam fuisset, evaderet. Illæ exempli causa consistunt in pedum aliorum Religiosorum in Refectorio existentium deosculatione, in eo quod quis se humi prosternat, aliorum ut pedibus conculcetur, preces aliquas, brachiis in formam crucis expansis, persolvat, flexis genibus prandium sumat, illud de mensa in mensam emendicet, & alia similia faciat.

1. *Exosculando pedes Religiosorum.*

In animo nostro magnam æstimationem magnumq; cujuslibet Religiosi amorem concipimus. Deinde nobis proponimus Christum Jesum Dominum nostrum, qui maxima humilitate abluit atque etiam exosculatus est suorum pedes Apostolorum. Illi ergo nos conformando dicemus:

1. Permagna, Domine, cum æquitate, neque minùs sincera affectione ad boni istius Religiosi, qui titulo servi tui dignatus est, pedes me prosterno.

2. Ista submissione palam testificari volo, dignum me non esse, ut terram, quam ille calcavit, exosculer.

3. Ecce, Domine, ex justis tuis unus hic est, quem cœlesti gloriæ prædestinasti: æquissimum ergo est, ut ego miserrimus peccator pedibus ipsius me substernam.

4. Infelix ego superbiâ cæterisq; peccatis meis commerui, ut ipsi Dæmones pedibus me proculcent, saltem ergo terrestrium istorum Angelorum pedibus me substernam.

5. Ubi

„ 5. Ubi Dominum noſtrum Chriſtum Je-
„ ſum Regem gloriæ ad pedes ſuorum pro-
„ ſtratum mihi propono Apoſtolorum, ne-
„ ſcio quam interiorem in ipſius imitando ex-
„ emplo ſuavitatem perſentiſco.

„ 6. Neutiquam profectò, actus humilita-
„ tis hic non eſt, quem exerceo, in illo etenim
„ Dominus noſter magnam reliquit glo-
„ riam, ubi illum exercuit.

„ 7. Saltem qualicunque hac abjectione re-
„ ſarciam tot vanitates ac ſuperbias, quas ha-
„ ctenus præ metuli.

„ 8. Da mihi, Domine, etiam profundiorem
„ abjectionis meæ ſenſum. Hanc etenim
„ actionem clara ac perfecta indignitatis meæ
„ cum agnitione perficere omninò percupe-
„ rem.

„ 9. Age, anima mea, ſollicitè caveamus, ne
„ hac ipſa humilitatis in actione vanæ gloriæ
„ locum demus. Humilitatem humiliter ex-
„ erceamus, revera viles nos & contemptibi-
„ les exiſtimantes.

Interiùs etiam in animo convertere nos poſſumus ad Religioſum, cujus pedes exoſcu-lamur, honorando in ipſo aliquam ſpecialem virtutem, cujus in corde noſtro aliquam pe-tamus participationem hac ratione:

„ Optime mi Religioſe, utinam imitari
„ queam tuas virtutes, ac ſpeciatim hanc vel
„ illam, quâ bono potiſſimum es mihi exem-
„ plo, tua v.g. Humilitate, tua modeſtia, tua
„ charitate, tua oratione, tua auſteritate &c.
„ quam in te hîc honoro.

2. *Humi se prosternendo, ut pedibus quis aliorum proculcetur.*

Actum hunc exercemus in spiritu pœnitentiæ & humilitatis, agnoscentes, reverà meteri nos, ut omnium omninò hominum pedibus conculcemur, tanquam peccatores, inimici Dei, atque adversùm illius authoritatem temeraria ac malitiosa mandatorum ipsius toties repetita transgressione perduelles.

1. " Humiliationes, mi Deus, repudiationes, contemptus : hæc sunt, quæ meretur " hic peccator, qui toties injuriâ te affecit.

2. " Te ubi offendebam, creaturæ tam in- " animes, quã animatæ adversũ me erigere se " debuissent universę, at illas tu misericorditer " præpedivisti. Eam personam hic induo, pe- " dibus omnium, quotquot voluerint, proteri " ut libentissimè sustineam atque id ipsi si fa- " cerent, meis longè demeritis minus hoc es- " set.

3. *Brachia in formam crucis expandendo.*

Christum Jesum Dominum nostrum Crucifixum intimo animi sensu honorare cogitamus, veluti exterius situs noster illum nobis repræsentat. Reipsa quoque palam contestamur, constitutum esse nobis vitam ducere crucisuffixam, mundo mortuam, atque omninò â nobismetipsis abdicatam, ad vivam ipsius Salvatoris nostri imitationem, dicentes cum sancto Paulo Apostolo ;

Gal.2.19. *Christo confixus sum cruci.*

Rom.6 6. *Vetus noster homo simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati.*

Gal. 5. 24. *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.*

c.6. 14. *Mihi mundus crucifixus est & ego mundo.*

ibidem. *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.*

4. *Genibus humi positis cibum sumendo istos quis eliciet actus interiores.*

1. Verissimum est, Domine, neque possum „ inficiari, sed reipsa testatum facio, non esse „ me dignum, ut simul cum Fratribus meis „ mensæ accumbam; Illi enim & filii & fideles „ sunt servi tui, ego verò sum tuis ingratus „ beneficiis atque adversùs sanctissimas voluntates tuas rebellis.„

2. Eheu, Domine Deus! non modò isto „ in statu nimis bene est mihi, verùm etiam ob „ infinita peccata, ingratitudines, ac negligentias meas omnium pedibus substerni deberé. „

3. Pœnitentiâ istâ indignitatem meam palam contestor. Libens acquiesco, ut instar „ servi inutilis, quem solâ quis miseratione domi suæ tolerat, repudier ac rejiciar.„

4. Patiamur, anima mea, ut semper hac „ habeamur ratione atque instar inutilis, negligentis ac ignavi servi, seorsim ab aliis re„ linquamur. Veros ac genuinos mihi, Domine, miseriarum, indignitatis ac nihili mei sen„ sus indulge, mihique magis ac magis notum „ fac, quantum contemni promerear. „

5. Ele-

5. " Electorum aliquando adscribi societati
" merear, quoniam meam modò agnoscens
" indignitatem assentior, ut è numero, ordi-
" ne, ac loco istorum Dei famulorum exclu-
" dat.

5. *Cibum in modum stipis de mensa in mensam mendicando.*

1. " Tui, Domine, imitandi, tuæ honoran-
" dæ paupertatis causâ hunc humilitatis actum
" exerceo.

2. " Recordare, anima mea, Dei Filium,
" Rex cœli cùm esset, tui amore factum esse
" egenum.

3. " O sanctam paupertatem, cujus stu-
" dium Dei Filium in terram è cœlo descende-
" re fecit!

4. " Eleemosynam, amantissime Jesu, à
" tuis tu recipere voluisti creaturis, cùm omni-
" um rerum Dominus esses. Gaudeo, istâ a-
" ctione imitari te quod possim.

5. " Tibi panis in tuis necessitatibus sem-
" per non fuit donatus, quia fame aliquando
" laborasti: Potus tibi in siti tua in cruce fuit
" denegatus, & neutrum mihi denegatur,
" quod tamen optarem ut fieret, ut eâ ratione
" te perfectiùs imitarer.

6. *Formula agnitionis culparum nostrarum, sive alterius protestationis publicè faciendæ.*

" Mi Deus, coram te, sanctis Angelis tuis,
" & coram hoc sancto conventu agnosco,
" confiteor, accuso ac doleo negligentias atq;

infidelitates in tuo servitio hucusque admis- „
sas. Firmiter tibi promitto, futurum, ut „
mihi studiosiùs advigilem, Fratribus meis „
exemplo meliori præluceam, mihi ipsi ma- „
jorem violentiam adhibeam, atque imposte- „
rum mortificatoni, *aut* obedientiæ, *aut* hu- „
militati, *aut* solitudini, *aut* charitati, *aut* ora- „
tioni (*juxta majorem defectum, quem in* „
seipso agnoscit) tuâ gratiâ mediante amplius „
studeam. Reverendi Patres & charissimi „
Fratres; veniam à vobis peto mali exempli, „
quod sanctæ huic domui præbui, & rogo „
vos, ut vestris mihi precibus opem feratis. „

CAPUT XXIIX.

Disciplinæ sive Flagellationes.

REligio conventus est pœnitentium voluntariorum, tam ob propria sua quàm aliena hominum mundanorum peccata se affligentium. Austeritas majorem constituit hujus sancti status exercitiorum partem, tam quoad illos, qui illum in sua ingressi sunt innocentia, quàm alios. Sunt austeritates, quas quilibet cum suorum licentia superiorum exercet privatim: sunt etiam aliæ, quæ exercentur in communi, è quibus maximè ordinaria est disciplina.

Directio.

Domine Deus infinitæ Majestatis, mille „
modis te ego in quibusvis mei corporis „
membris offendi; jam nunc tibi ac tuæ ju- „
stitiæ

" stitiæ aliquâ satis volo facere ratione. Rogo
" te, ut acceptam habere digneris pœniteuti-
" am istam, sicut illam tibi offero in unione
" passionis & flagellationis atrocissimæ Do-
" mini nostri, Virgo sanctissima, te etiam oro,
" ut meam hic velis agere Advocatam.

Spiritus pœnitentiæ istius in eo consistit, ut nobis ob oculos proponamus Dominum nostrum columnæ alligatum, cupiamusque aliquid in illius pati societate.

Adhæc in eo positus est, ut ita ictuum sensui non intendamus, quin simul ad versiculos Psalmi *Miserere* advertamus.

Ut nobis in ea actione ne parcamus, actus efformare poterimus sequentes.

1. " Supplicia ego promeritus fui Inferni, &
" tu, Domine, contentus es perexilibus hisce
" voluntariis afflictionibus.

2. " Eja, anima mea, generosè sufferamus:
" Corpus hoc Deo rebelle, & nostrum capi-
" talem inimicum affligamus.

3. " Pœnitentia ista permagni est emolu-
" menti, quoniam per illam bonam partem
" nostri debiti ob nostra peccata contracti ex-
" olvimus.

4. " Utinam istis ictibus carnis meæ re-
" bellionem. illiusque vitia adversùs spiritum
" possem comprimere!

5. " Dolorem & afflictionem huic sensua-
" li; pœnitentiam & confusionem huic ho-
" mini voluptuoso.

6. " Prô! quàm absum procul à Martyri-
" bus, qui magnâ constantiâ excoriari se sine-
" bant!

7. Aliquid, age, doloris hic sustineamus, „ Paulisper hic, anima mea & corpus meum, „ in societate Jesu Christi patiamur. „

8. Volo, Magister meus ac Dominus me- „ us, volo, inquam, in hac occasione saltem „ à longè ineffabilem patientiam & constan- „ tiam tuam, tum exhibitam, ubi cruentos ac „ sævos à tortoribus tuis ictus excipiebas, imi- „ tari. „

Quando noxæ alicujus expiandæ causâ, in publico, sive in Refectorio, sive in Capitulo flagellis se cædere quis habet, directio ista erit.

Jam nunc, Domine Deus, in conspectu to- „ tius communitatis istius videri cupio, reve- „ rà qui sum, peccator ac sanctissimis tuis re- „ bellis mandatis. Gratiam mihi concede, ut „ pœnam istam genuino subeam compunctio- „ nis sensu, neque hic ullâ mihimetipsi parcam „ ratione: Utinam id cedat in meorum remis- „ sionem peccatorum, mulctam honorariam, „ ac debitam, quam tuæ exhibeo Majestati, sa- „ tisfactionem. Virgo sacratissima, tuâ mihi „ opem ferto intercessione. „

CAPUT XXIX.

De Colloquio Spirituali.

REligio perfectionis Schola est, ubi divinæ studemus Philophiæ, non quidem ut alter cum altero disputet, sed ut piorum sensuum nostrorum communicatione invicem ad virtutum extimulemus exercitium.

Est

Est etiam veluti conventus Mercatorum pro æternitate negotiantium, ac cœlestes veritates, veluti totidem gemmas pretiosas, quærentium, sicut Evangelica fert parabola: *Simile est Regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas.* Matt. 13. 45.

Veluti ergò hujus sæculi mercatores, quibus ingens est lucri faciendi desiderium, libenter ac liberè ad ea loca se conferunt, ubi aliquid addiscere queant, quod ipsorum negotiationem promoveat, ubi vili pretio merces emuntur & magno venduntur: ita boni Religiosi esse si voluerimus, in perdiscendis altioris perfectionis consequendæ, atque opum nostrarum spiritualium, putà virtutum, amplificandarum rationibus mira quædam nobis suavitas ac delectatio erit. Hoc fit colloquiis & collationibus spiritualibus.

Directio.

" Domine Jesu Christe, qui verus es perfe-
" ctionis Magister, ecce ut pusillus discipulus
" tuus ad cœlestem Scholã tuam me confero.
" Da mihi, rogo te, istam gratiam, ut illic ad-
" discam ac memoriâ retineam bonos animi
" sensus ac sententias Fratrum meorum; nec
" non quæ mihi suggerentur in virtutibus pro-
" ficiendi rationes. Virgo gloriosissima, ob-
" tine mihi hanc gratiam.

Spiritus actionis istius consistit in eo, ut sincero proficiendi teneamur desiderio, ut magnâ cum humilitate nostra dubia proponamus absque ulla de ignorantia nostra concepta verecundia, ut, ubi interrogati fuerimus, simpliciter respondeamus, quin ulli verborum appa-

ratui ſtudeamus, aut prodere velimus noſtri acumen ingenii, quæ plerumque omnem cordis devotionem exiccant, ac tabeſcere faciunt; ac denique ut graviter ac ſeriò illic nos geramus, quantumvis aliquando ex nativa & candida naturæ aſtutiarum, atque à ratione diſſentaneorum obtentuum, ſive, ut vocant, prætextuum, quibus utitur, mortificationem ut ſubterfugiat, recenſione ad riſum provocati poſſemus.

CAPUT XXX.

De audienda concione.

Directio.

„SPiritus ſancte, qui Doctores Eccleſiæ de „cœlo à Domino noſtro Jeſu Chriſto miſ- „ſus, ut æternas nobis ſuggereres veritates, „cor, obſecro te, meum ad verba vitæ, quæ per „Prædicatorem, tanquam organum tuum, „prolaturus es, ita accipienda compone, ut cœli „fructus producam. Virgo glorioſiſſima, quę „Verbum divinum concepiſti, ac mundo de- „diſti, id age, ut ego verbum Dei convenienti „jam devotione accipiam. „

Interior diſpoſitio in eo ſita erit, ut 1. Prædicatorem conſideremus veluti Prophetam, aut veluti Oratorem à Rege cœleſti nobis ad annunciandas voluntates ſuas ſubmiſſum. 2. Ut à Deo illi petamus ſpiritum ipſius, ut ſuo ritè fungatur officio, fructuosè concionando. 3. Ut illum magnâ cordis atque animi cum ſimplicitate, ac pura proficiendi in virtutum exer-

exercitiis intentione audiamus ; qui enim curiositate ductus concionem adiret, absque ullo inde fructu recederet. 4. Ut ea observemus, quæ animabus nostris sunt utilia, amando imprimis concionesillas, quæ corda nostra commoveant. 5. Ut ex habita concione sempet aliquid memoriâ teneamus, quo proficere valeamus, instar apis industriæ, quæ ex omnibus, quos tangit, floribus, aliquid alveari suo infert, è quo mel suum conficiat.

CAPUT XXXI.

De modo sacris assistendi supplicationibus.

PIæ supplicationes, sive, ut vocant, processiones eo fine in Ecclesia institutæ sunt, ut per illas fidelium excitetur devotio, atque ut Christiana exhibeatur militia, quam quotquot ad Baptismum & Christi fidem accesserunt, imprimis verò Religiosi, profitentur. Quæ causa est, cur congregatio fidelium in terris *Ecclesia militans* appelletur: unde & crucis vexillum supplicationi præfertur, atque instructo agmine, veluti turma militum, procedimus.

Directio.

"Domine Deus meus, ecce coram toto "hîc mundo comparere debeo, instar mili- "tis sub tuis auspiciis composito agmine in "hac egregia Armatorum sub sanctæ crucis "tuæ labaro merentium caterva prodeuntis.

Oro te, ut gratiam hanc mihi concedas, ut „ eâ devotione me geram, proximo meo pie- „ tatis ac virtutis exemplum ut præbeam. No- „ li sinere, ô Virgo sanctissima, ut sacrum Or- „ dinem tuum ullâ liberiori oculorum evaga- „ tione offendam, vel ei dedecori sim. „

Applicatio interior. Consentanea erit mysterio aut festo, quod celebratur. Atque si supplicatio generalis sit cleri totius, quilibet suas preces vocales ac sacram potissimùm Beatissimæ Virginis corollam precatoriam, Rosarium vocant, persolvet.

CAPUT XXXII.

De modo accipiendi sæculares nos invisentes.

QUantum quidem in nobis est, cum sæcularibus veluti mortui, qui viventibus apparent, conversemur oportet. Mortuorum apparitiones rariores existunt, modico solùm tempore perdurant, eorumque sermones breviores ac nisi de rebus alterius vitæ non sunt. Ad eundem planè modum, quo ad ejus fieri potest, rariùs mundo nos visendos præbeamus est necesse: quod si obedientia aut charitas ad id faciendum nos impellat, tempus certa ac definita nobis præscribere necessitas, & colloquia nostra solùm de Deo ac rebus quæ bono omnibus sunt exemplo, esse debent.

Dire-

Directio.

" Existimabam, Domine, mundum esse à
" me derelictum, & ecce mundus ipse me fu-
" gientem insequitur. Noli, quęso, Domine,
" permittere, ut rei istius studio aut cupiditate
" ullo unquam cor meum tempore teneatur.
" Solummodò obedientiæ satis ut faciam ad
" colloquendum cum hominibus istis me
" confero. Istam, oro, mihi gratiam conce-
" de, ut hac in re mihimetipsi studiosiùs invi-
" gilem, & omnes modestiæ regulas accuratè
" observem. Bonos animi mihi sensus inspi-
" ra, ut ea cum illis colloquia misceam, quibus
" bono, quod à me expectant, esse illis queam
" exemplo. Actionem hanc offero tibi in u-
" nione tuæ sanctissimæ atque immensum in
" modum fructuosæ conversationis inter ho-
" mines, quoad in terris fuisti versatus. Noli
" & tu sinere, Virgo sacratissima, ut isto in
" congressu à præsentia Dei longè recedam,
" aut quidpiam animi interioris collectionis,
" quam spiritualibus exercitiis nostris fortassis
" acquisivi, amittam.

Aditus & collocutio simplex omninoque sit procul ab officiosis verborum blanditiis, quarum usus est sæcularibus, oportet: illæ enim plerumque scatent mendaciis & assentationibus, adeoque omninò dignæ non sunt labiis orationi & Dei verbis consecratis, qualia sunt Religiosorum.

CA-

CAPUT XXXIII.

De infirmis in Valetudinario.

MOrbi, uti omnes aliæ calamitates atque Ærumnæ, blanditiæ sunt, quibus Deus animas, quibus imprimis vult gratificari, demulcet. Sunt etiam specimina, quibus eorum probatur fidelitas, istorumque speciminum, ut aliquid nimirum paterentur, adeò percupidi fuere viri sancti, ut suaviter apud divinam ingemiscerent atque expostularent Majestatem, ubi ipsos diutius illis esse immunes permitteret; veluti bonus ille Senex Anachoreta, qui cùm annum integrum in perfecta sanitate, præter consuetudinem tuam transegisset, amicabiliter illi dicebat: *Dereliquisti me, Domine, nec me anno isto invisisti.*

Vitæ communis observationes nequaquam relinquimus ob aliquas leviores ægrotationes, quæ plerumque sequuntur vitam austeriorem ac pœnitentem, uti sunt animi debilitationes, stomachi imbecillitates, quicunque capitis dolores; verùm in febribus, aliisque extraordinariis morbis charitas superiorum ad valetudinarium concedere nos jubet.

Sapiens ac virtutum studiosior Religiosus diligenter sibi cavebit, ne bonitate Religionis abutatur, ne videlicet illic amittat, quidquid acquisierit fortassis familiaritatis orationis atque interioris animi collectionis, atque etiam ne corpus suum assuefaciat sensualitati, dum hic illi suas permittit atque indulget necessita-

tes,

tes. Quod quia non fecere nonnulli, animadversum est, illos, valetudinarium ubi deseruissent, in summa vitæ licentia vixisse, cùm illud valdè devoti fuissent ingressi : & plures illud adiere insigniter mortificati, qui ipsum relinquentes molles ac delicatarum amantiores evaserunt. Id quod illis eò evenit facilius, quòd, cùm satis sibi minimè caverent, obedientiæ prætextum obtenderent. Adversâ igitur valetudine laborare ubi quis cœperit, istis utetur Salvatoris ac Do-
" mini nostri verbis : *Ita Pater, quoniam sic* Matt. 11.
" *placitum fuit ante te.* Visitas me, Domi- 26.
" ne, hac infirmitate. Illam magnâ animi
" cum submissione accipio in unione sanctis-
" simæ atque acceptissimæ voluntatis tuę : fiat,
" uti tu imperasti, sit nomen sanctum tuum
" benedictum.

Directio facienda, ubi quis valetudinarium ingreditur.

" Domine Deus meus, totum equidem
" divinæ Majestati tuæ me dicavi atque conse-
" cravi. Jam igitur meus amplius non sum,
" sed totus tuus. Æquum itaque est, ut, tibi
" in me quod est, jure utaris, pro tuo mihi li-
" bitu dando sive sanitatem, sive immittendo
" adversam valetudinem. Denuò atque inti-
" mo cordis sensu confirmo donum, tibi de
" meipso quod feci, quam humillimè te orans,
" ut de me atque in me semper & absque ul-
" la exceptione tuam sanctam adimpleas vo-
" luntatem. Intereà novi, hic esse locum

meæ

meæ probationis, ubi tibi reipsa ut ostendam „
oportet, desiderare me, tuâ opitulante gratiâ „
ex virtutis præscripto pati, teque meis ho- „
norare impendiis. Animum mihi, quæso, „
concede, morbum istum patienter ut feram, „
neque istam complures eximias exercendi „
virtutes occasionem inutiliter elabi permit- „
tam. Peculiariter gratiam mihi dona, ut meo „
Infirmario, in cujus verbis atque jussis tuam „
sanctam agnoscam voluntatem, exactè obe- „
diam. Virgo sanctissima, tuque gloriose „
sancte Joseph, intercessionibus mihi vestris „
in ista necessitate opem ferte. „

Actus interiores in diversis occasionibus.

In vehementioribus morbi aggressionibus.

Domine mi Magister ac Salvator, tu vir „
dolorum, vulneribus ac plagis à planta pedis „
ad verticem capitis plenus fuisti, ut in tua „
sacratissima persona omnes nostras infirmi- „
tates, dolores atque ærumnas corporeas san- „
ctificares. Tibi me unio, atque in unione & „
conformitate eorum, quæ tu toleraſti, nunc „
pati desidero. Capitis mei dolores spineæ co- „
ronæ tuæ sunt acumina & punctura. Fe- „
bris meæ accessiones sunt maximi tui dolo- „
res, quos plenâ cum animi defectione in hor- „
to, appropinquante passionis tuæ hora, per- „
sensisti. Ingens mea in febris ardoribus sitis „
permodica participatio est illius, qua in cru- „
ce tu exarsisti. „

In

In horrore, quo quis naturaliter aversatur medicamenta.

Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum? "quia nimirum Salvator meus prior "me passionis suæ calicem exhausit. Ubi *Infirmarius infirmo denegat quod petit. Non mea voluntas sed tua fiat.* "Etiam, ô Domine Deus meus, Infirmario meo, tanquam "illi, qui isthic meum agit superiorem, & per "quem tu tuam palâm facis voluntatem, hic "me lubens submittam. Ioan. 18. 15. Luc. 22. 42.

Porrò infirmus, nisi maximâ cum moderatione, non ingemiscet, neque conqueretur, quin potius dicet intra semetipsum: "Mi divine Redemptor, exemplum tu mihi in sanctissima passione tua dedisti fortitudinis atque animi generositatis illius, quam à me desideras. Os tuum non aperuisti, ut conquereris, quantum vis acerbissima ac planè lethalia tua essent tormenta. Volo & ego, quantum quidem potuero, me tibi conformare.

"Tandem, Domine, quoad in Valetudinario morari me oportuerit, hæc mea peculiaris agendi norma erit, ut ab Infirmario "meo omninò gubernari me finam, omnibusque quæ voluerit ipse, postquam ei simpliciter manifestavero quidquid necessarium "mihi esse existimabo, me penitùs submittam. "Id quod ipse de dilectissimo præcursore tuo "post mortem illius tu dixisti, epigraphe mea "erit: *Fecerunt illi quæcumq; voluerunt.* Ita, "mi Domine, habeant me, qui mihi assistunt, Marc. 9. 12.

utcun-

utcunque voluerint, ego amore tui me illis „ perfectè committo. „

CAPUT XXXIV.

De illis, quibus loca conventus scopis aut alia ratione purgare incumbit.

HIc paucis incipiemus disserere, quo animo ac spiritu exequenda sint quævis minutiora Religionis officia. Humilitatis nonnullis, aliis proptia sunt incentiva charitatis. Religionis virtute animari debent illa, quæ cultum spectant divinum, at omnibus communis & à quibusvis indivisa esse debet obedientia.

Humilitatis affectus proprii sunt illorum, qui scopis diversa conventus loca aut alia ratione communia vasa, aliaque purgare suppellectilia habent. Virtutis verò Religionis affectus ac sensus animare debet illos, qui Ecclesiam verrere atque ad Altare pertinentia habent purgare.

Magnus sanctus Basilius Author est, ad obtinendam humilitatis virtutem haud parùm conducere, ut in vilioribus quis sese exerceat officiis: eâ enim ratione cor nostrum sensim sine sensu cogitationibus illis propriis ac familiarioribus se conformat, cogitationes enim nostræ ordinariè tales quales occupationes existunt. Ut proinde occupationes viliores atque humiliores ad sanctam humilitatis virtu-

tem

tem obtinendam plurimùm conferant, ac pedetentim nos superbiæ ac propriæ existimationis sensus exuere faciant.

Piæ cogitationes eorum, scopis conventus loca qui perpurgant.

1. Monasterium Paradisus ac Cœlum terreste, Dei domus, ac sanctus mons est, in quo divina Majestas libenter inhabitat. *Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.* Ps. 67. 17.

2. Mundities domum Dei multò amplius decet, quam Regum Basilicas, veluti agnoscebat Vates Regius, ubi in Psal. 25. ait: *Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Domus magnatum hujus mundi pretiosiorum suppellectilium, atque apparatuum magnificentiâ resplendent: at domorum Religiosarum ornamentum est mundities. 25. v. 8.

3. Mundities exterior, quæ in bene ordinatis commendatur Monasteriis, unum è potissimis signis magis conspicuis est, è quibus dignoscitur egregius ordo, qui in illis observatur, atque etiam interioris animæ Religiosæ, quæ sanctuarium divinitatis est, puritatis indicium.

4. Salvator noster ab ineunte adolescentia sua ædes sanctissimæ Matris suæ Nazarethi scopis purgabat, veluti in nonnullis devotis nobis exhibetur imaginibus. Monasteria nostra totidem sacratissimæ Virginis ædes sunt, quoniam Ordo noster illi est specialiter consecratus. Illa ergò

maximè munda, consentaneè ad ea, quæ puer Jesus factitabat, servemus oportet.

Directio.

Domine Deus meus, obedientia mihi im- „
perat, hunc vel illum locum Monasterii, in „
quo cum servis tuis habitare tibi complacet, „
scopis ut purgem. Obsecro te, hanc mihi „
gratiam ut concedas, ut hoc opus injunctum „
eâ diligentiâ ac devotione perficiam, ut tuæ „
divinæ placeam Majestati. Virgo sanctissi- „
ma munditiei domus tuæ studio & cupidi- „
tate afficior, tuâ sanctâ auxilio mihi sis inter- „
cessione. „

Interior sub ista actione occupatio.

Matt. 5. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

2. Cor. 7. 1. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.*

Matt. 23. 25. *Væ vobis, quia mundatis quod deforis est calicis & paropsidis: intus autem pleni estis immunditiâ.*

v. 26. *Munda priùs quod intus est calicis & paropsidis, ut fiat id, quod deforis est, mundum.*

v. 27. *Væ vobis, qui similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa: intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitiâ.*

Atque si intra semetipsum quis diceret: væ illis, qui nisi de exteriore locorum atque utensilium munditie non cogitant, interiorem puritatem suam omninò negligentes; Illos etenim

nim divinus Magister noster sepulchris assimilat dealbatis, quæ exteriùs hominibus apparent speciosa, & interiùs plena sunt nudis ossibus mortuorum, omnique putredine. Hujusmodi, anima mea, foret Religiosus, si suæ puritatis conscientiæ curam penè nullam haberet. Unde sic orabit.

"Tuâ gratiâ, Deus meus, ab anima mea "quidquid tua Majestas impurum in ea de- "prehenderit, ita amove, ut ego ex hoc loco "sordes amoveo. Nunquid ad Religionem "me vocasti, ut dignum me constituerem, qui "templum ac sanctuarium tuum evaderem?

Directio pro illo qui Chorum expurgat.

"Domine Deus infinitæ Majestatis, ecce "hic locus est habitationis tuæ, locus oratio- "nis, in quo laudes tuæ diu noctuque decan- "tantur. Lætanter omnino obedientiam ad- "impleo, quâ injunctum est mihi, illum mun- "dum nitidumque ut servem. Hanc gratiam "mihi, quæso, concede, ut munere hoc meo "ita perfectè fungar, ut tuæ Majestati sit ac- "ceptum, tuisque sim famulis bono exemplo. "Eandem gratiam, Virgo sanctissima, humil- "limè te oro.

Directio pro eo, qui purgat Oratorium.

"Oratorii tui, Domine, mihi curam com- "misisti. Modicum illud templum est gloriæ "tuæ ac devotionis sanctuarium. Idoneum "me redde, ut ipsum ita ordinatè disponam, ut

tibi voluptati, & communitati, quæ illic convenire amat, sit ædificationi. Tuam quoque „ opem, sanctissima Virgo, imploro, ut munere hoc meo dignè defungar. „

Directio pro illis, qui Altaris gradus, cancellos &c. purgare habent.

En locus hic est, Domine, ubi pretiosissimum Corpus tuum requiescit, atque ubi „ Majestas tua hominibus in Eucharistiæ Sacramento charitate ineffabili se communicat. Permagno mihi honori duco, quod „ munus hoc injunctum mihi fuerit, illum „ mundum nitidumque ut servem. Gratiam „ istam te oro, eâ ipso devotione ac modestiâ „ ut defungar, tibi placere ut valeam. Hanc, „ Virgo sacratissima, mihi gratiam obtine. „

Interior sub istis actionibus occupatio.

Ps. 83. 2. *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.*

v. 3. *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.*

v. 4. *Altaria tua, Domine virtutum, Rex meus, & Deus meus.*

v. 5. *Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.*

v. 11. *Quia melior est dies una in atriis tuis super millia.*

Apoc. 21. 3. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis.*

Gra-

Gratiarum actio opere finito.

" Utinam, Domine, creaturæ te omnes a-
" gnoscant atque adorent. Gratias ago tibi,
" quod modicum hoc servitium à me accipe-
" re tibi complacuerit, atque ut defectus in illo
" admissos ignoscas te oro, sive quòd conve-
" nientem ad meipsum atque ad te attentio-
" nem amiserim, sive quod verbum aliquod
" absque ulla locutus fuerim necessitate, sive
" quod aliqua in re aliis eo, quo debebam, ex-
" emplo non præluxerim.

CAPUT XXXV.

De ablutione culinariorum aliorumq; vasorum, suppellectilium ac vestimentorum aliisq; humilitatis officiis.

DOminus noster Christus Jesus, qui ipsemet dixit se non venisse ministrari, sed ministrare, eo mirum in modum oblectatur, quòd habeat in Monasteriis imitatores, qui aliis inserviendo suam quærunt abjectionem. Quin etiam fore promisit, semetipsos humiliantes ut exaltarentur, ubi ait: *Qui se humiliat, exaltabitur.* Luc. 14. 11.

Directio pro vasis eluendis.

" Domine Jesu, qui Magister es humilitatis,
" gratiam mihi dona, illam ut in ista actione,
" quam ad tui imitationem in spiritu perficere
" cupio, exerceam. Te etiam in illa, Virgo sa-
" cratissima, honorare desidero.

Aspirationes sub ista actione.

1. Quantum tu, Domine mi, exaltatus es „ super omnes creaturas, tantæ gloriæ ac læti- „ tiæ est, te in tua imitari humilitate. „

2. Domine Jesu, actione istâ tui amore „ atque in plena tecum unione imprimis ob- „ lector. „

3. Sinceros mihi, Domine, abjectionis „ meæ sensus inspira, ut istud obsequium Pa- „ tribus ac Fratribus meis cum gaudio exhi- „ beam, sicut etiam fore spero, meritorum „ ipsorum hac ratione particeps ut efficiar. „

Gratiarum actio opere finito.

Lauderis, Domine, actione istâ, quam tui „ amore jamjam perfeci. Gratiam te oro, ut „ totâ vitâ meâ sanctam humilitatis virtutem „ singulari amore complectar. „

De lotura vestimentorum.

Ternæ peregregiæ virtutes Religiosæ isto exercentur in officio. Imprimis enim luculentissimè hic paret *humilitas*; deinde hic reperitur *mortificatio*, quoniam calidissimo primùm lixivio, atque inde aquæ non rarò gelidissimæ manus oportet immergere. Nec fraterna hic deficit *charitas*, quoniam id muneris in obsequium singulorum communitatis Religiosorum expletur.

Directio.

Domine Deus, scio Religiosum, qui sui- „ metipsius abjectioni ac pœnitentiæ addictus „ non

" non esset, parùm omninò in virtute ac san-
" cto sui odio profecturum: quoniam in ri-
" goribus, laboribus, tolerantiis ac mortifica-
" tionibus unicè consistit Religio. Ecce vir-
" tutum istarum exercendarum occasionem,
" quam animo promptissimo accepto, eodem-
" que divinæ Majestati tuæ offero cum affectu.
" Gratiam mihi, quæso, concede, ut hic mihi
" non parcam, quin potiùs ea, qua cupis, ra-
" tione officio hoc perfungar, ad majorem
" tuam gloriam, ac Fratrum meorum, quibus
" collaborandum mihi est, ædificationem.
" Hanc etiam tibi, sacratissima Virgo, actio-
" nem devoveo.

Aspirationes sub ipsa actione.

1. *Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Ita sanè; humillima ac vilissima Religionis ministeria cunctis præfero honoribus, quorum adeò studiosi sunt mundi istius sectatores. Ps. 83. 11.

2. Macti simus, anima mea, neque nobis parcamus. Quid enim in Religione quæsitum venimus, nisi labores ac mortificationes?

3. Vivat bonorum Religiosorum suorum Fratrum obsequiis facta addictio. Prô quam vituperabiles illi sunt, qui fugientes laborem sectantur faciuntque delicias! Etenim labores, abjectiones, tolerantiæ & ærumnæ nunquid thesauri sunt eorum, Jesu Christi qui sequaces existunt?

Pro quovis viliori officio.

Directio.

Domine Deus, melius tu nosti miserias atque infectionem pauperculæ animæ meæ, quàm ego unquam queam agnoscere. Vile officium istud ab obedientia mihi injunctum mihi longè convenientissimum est. Illud in spiritu humilitatis tibi offero, & gratiam illius ritè ad majorem tùam gloriam, Fratrum meorum ædificationem, atque ad verum ac sincerum meimetipsius consequendum despectum obeundi te oro. Hanc tu gratiam mihi obtine sacratissima Dei Mater Maria.

Aspirationes sub illius exercitaione.

Ps. 17. 28. *Tu populum humilem salvum facies Domine, & oculos superborum humiliabis.*

Eccli. 3. 21 *Magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur.*

Prov. 16. 19. *Melius est humiliari cum mitibus, quàm dividere spolia cum superbis.*

CAPUT XXXVI.

De ministris mensæ.

EOrum ministerium honoris plenum est, quoniam hi minum Deo consecratorum societati inserviunt, quos ille illustrissimis amicorum ac filiorum suorum nominibus insignit, ac numero suorum electorum adscripsit: *Jam* Joan. 15. 15. *non dicam vos servos, sed amicos meos. Ego* Ps. 41. 6. *dixi: dii estis, & filii excelsi omnes.*

Eo

Eo munere convenienti cum reverentia ut fungantur, poterunt cogitare, Refectorio, mensarum ordine, silentio, recollectione, gravi modestia, atque egregia sancti cœtus ipsius compositione aptissimè exhiberi sacrum cœnaculum, in quo Salvator noster cum Apostolis pro ultima vice cibum sumpsit.

Illo igitur officio magnâ perfunguntur cum devotione, uniendo se sensibus & usui ejusdem sacratissimi Salvatoris nostri, qui maxima cum humilitate inter Apostolos suos nomen & conditionem ministri spontè accepit, quantumvis omnium Dominus esset. Etenim in cœna vigiliæ passionis suæ, illos humilitatem exemplo simul ac verbo docturus, ait, in Schola sua honori esse potiùs humiliari atque aliis ministrare, quam præesse, ut ipsi ab aliis ministretur. *Qui*, inquit, *major est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator.* Indeque semetipsum ipsis daturus in exemplum subjungit. *Nam quis major est qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.* Ea fuit humilitatis & charitatis plena divini Magistri nostri Christi Jesu ad suis serviendum creaturis indulgentia. Et verò nunquid ministri mensæ officio perfunctus fuit, ubi iteratis vicibus ingenti populorum ipsum in desertum usque secutorum multitudini miraculosè cibum ministravit? *Luc. 22. 26.*

Directio.

" Domine Jesu Christe, qui dixisti non ve-
" nisse te ministrari sed ministrare, quique

reverâ ſanctiſſimæ Matri tuæ, ac Patri Joſe-„
pho multis annis miniſtraſti. Hanc meam „
actionem ipsâ tuâ ſanctifica, mihique, obſe-„
cro, gratiam concede, ut tuo illam exemplo „
in tua præſentia eâ charitate, humilitate, „
modeſtiâ, diligentiâ ac dexteritate perficiam, „
tuæ divinæ ut placeam Majeſtati, totique „
huic Societati bono exemplo præluceam. „
Virgo ſacratiſſima, te quoque, iſtam mihi ut „
gratiam obtineas, oro. „

Interiores ſub iſta actione actus.

Inſigni opus animi collectione hic eſt, eâ ſi-
bi aliisque diligentiâ ut advigilet, ne modeſtiæ
vel tantillum amittat.

1. Domine, lætor omnino & glorior, ſer-„
vis tuis inſervire quòd queam. „

2. Divinæ Majeſtati tuæ officii hujus no-„
mine obſtrictum me plurimùm agnoſco. „
Illo magno erga terreſtres hosce Angelos „
reverentiæ ſenſu perfungar. „

3. Nunquid meritò gaudeo & exulto, „
quod inter iſtos Sanctos mihi degere datum „
eſt? „

4. Cœli incolis, imò & Chriſto Jeſu a-„
mantiſſimo Domino meo ſervire mihi vi-„
deor. „

5. Eja, anima mea, compotes noſtri ſi-„
mus, ut noſtro ne deſimus officio, neque „
turbari nos ſinamus. Convenientem exteriùs „
ac devotam exhibeamus modeſtiam & Re-„
ligiosè cuncta peragamus cum gravitate & „
ſimplicitate. „

Quivis

Quivis etiam interiùs actum suum ad quemlibet Religiosum, cui ministrat, pro diversa cujuscunque conditione, officio atque occupatione, dirigere poterit. Exemp: grat.

Ad superiorem. Deus Dominus noster est, cui in tua persona inservio; illius enim in ista societate tu agis vicarium.

Ad illos, qui saluti animarum procurandæ incumbunt. Accipe, bone Pater Confessarie, aut Concionator, vescere, ut in servitiis tuis, quæ Jesu Christo reddis, conservare te queas.

Ad Seniores & Valetudinarios. Comedite, boni Patres infirmi, ut debilitatem ac languores vestros meliùs sufferre valeatis.

Ad alios. Accipe, serve Dei, & nutrire, ut divinæ servire porrò pergas Majestati. Accipite, mortificationis amatores, istud obsonium, ut molestos ac generosos peregrinationis vestræ protendere possitis labores. Vescimini, fideles Jesu Christi amici, ut opera vestra heroica, vestrumque in divinam ipsius Majestatem continuare queatis amorem.

CAPUT XXXVII.

De lectore mensæ.

HOmo, qui duabus è partibus compositus est, haudquaquam solo nutritur pane materiali, hic enim soli corpori servit, verùm etiam pro anima spirituali Dei verbi alimoniâ opus habet, veluti divinus Magister noster fidem facit, ubi ait: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei* Matt 4. 6.

Lector

Lector mensæ porrò est, per quem Religiosi, qui mensis accumbunt, spiritualem hanc recipiunt alimoniam, quæ corporeâ longè præstantior est, teste divo Augustino, qui ait: *Melior est refectio mentis, quàm ventris.* Os & lingua ipsius organum est Spiritus sancti, aut sacer quidam canalis, per quem in corda eorum cœlestes veritates ac verba vitæ derivat.

Officio fungitur *bonorum Angelorum*, qui eorum, quorum curam habent, intellectum, sanctas inspirando cogitationes, illuminant. Est, instar Joannis Baptistæ, vox Dei in deserto corda audientium illi præparando. Particeps est muneris Prophetarum atque Apostolorum, qui sensus æternitatis apportaverunt hominibus, quos operâ ipsorum sanctificare Deus voluit. Meritum obtinet sanctorum Ecclesiæ Doctorum ac Patrum Religionis, quia quod isti cœperunt, hic absolvit, ubi publicè pronunciat id quod ipsi divinè scripserunt privatim.

Munus ipsius haud multò minoris momenti est munere pii ac zelosi Concionatoris, qui quotidiè sancti, cujus Ecclesia memoriam veneratur, elogia deprædicat, ubi vitam illorum legit, qui absque ullo sive erroris periculo, sive rei cujusvis memoriæ mandandæ labore pulcherrimas gravissimasque fidei ac Religionis pronunciat veritates. Ea fortassis causa est, cur instar Concionatoris suggestum conscendat ac Religiosi Auditores ipsius non adeò multùm curant, utrum cœlestes veritates ex ipsius, an ex primorum earum Authorum, ore per-

percipiant, quoniam per ipsum iisdem luminibus & affectibus potiuntur.

Directio.

" Nutrimentum, Domine, spirituale, atque " animarum alimoniam servis tuis interea, " dum corpus reficiunt, submministrare debeo: " Oro igitur divinam Majestatem tuam, ut " mihi necessarias dispositiones tu concedas, " ut perfectè ad eorum ædificationem isto per- " fungar officio, ut ego æquè atque illi hoc " inde capiamus emolumenti, quod tua Ma- " jestas desiderat, ad majorem ipsius gloriam " ac sanctæ communitatis istius splendorem. " Virgo sacratissima, hanc & tu mihi gratiam " ut obtineas, oro.

Actionis hujus spiritus in eo situs erit, ut permagni suum faciat ministerium, considerando 1. haud vulgari sibi esse honori, quod organum sit Spiritus sancti ac veluti os Dei ipsius, quo Patribus ac Fratribus ad cor loquitur.

2. Quod si qua in re in suo deficeret officio, obstaculum poneret divino circa suos Auditores consilio, quia ipsius isti vitio privati remanerent luminibus ac spiritualibus animarum suarum deliciis, quibus illos Deus operâ ipsius beare volebat.

3. Futurum illud genus esse quoddam contemptus librorum sacrorum, eorundemque Authorum, si negligenter, fastidiosè ac socorditer illos legeret.

4. Fore etiam contemptum ipsius communitatis, quæ constat hominibus on ninò Deo, votorum beneficio, consecratis, quorum plerique honore sunt sacerdotii insigniti, ac noñulli

eximii

eximii Dei amici, quoniam interiùs multùm in oratione elevati ac sublimati. Aliâ quoque ex parte cavebit, ne dexteritate quadam suo perfungendo officio vanam gloriam atque hominum aucupetur prædicationem. Vanitas enim non rarò invadit, & occupat Lectores, qui nativâ quadam loquendi gratiâ pollent.

Omnis ipsius *interior applicatio* simpliciter eò spectet oportet, ut quæ legit animo percipiat ac deguſtet, iisque permoveri se sinat. Legendo vitas Sanctorum, modò egregia ipsorum facinora demirabitur; modò illos imitari constituet; modò ipsorum amore prosequetur innocentiam, simplicitatem, reliquasque virtutes; modò denique Deum de insignibus ipsorum pœnitentis vitæ austeritatibus, spontaneisque tolerantiis collaudabit. Insignia martyrum tormenta, gloriososque illorum enunciando triumphos sancto quodam semetipsum inflammabit ardore. Illos in corde suo invocabit, ac loco mercedis, quòd societati congregatæ illorum generositatem, ac de Tyrannis ipsaque morte victoriam exposuerit, illorum implorabit patrocinium, ut illi à Deo obtineant aliquam permaximi eorum erga divinam Majestatem suam amoris atque odii suimetipsorum portiunculam.

Poterit nihilominus exactibus sequentibus aliquem elicere, quin tamen convenientem ad lectionem attentionem interrumpat.

Actus interiores.

1. Etiam, Domine, servis tuis per os meum „ loquere. „

2. Bene

2. "Bene habet: sim ego canalis, per quem "bonæ cogitationes ac sanctæ cœlorum affe- "ctiones in animas eorum deriventur.

3. "Egregiæ virtutes atque illustrationes "istæ per os meum transeuntes, ipsum purifi- "cent atque in perpetuum sanctificent.

4. "*Quàm dulcia fauci bus meis eloquia* "*tua! desiderabilia super aurum, & lapi-* "*dem pretiosum multum, & dulciora super* "*mel & favum.*

5. "Procul absit à me omnis negligentia, "quæ me coram Deo culpæ reum, ac Patribus "& Fratribus meis invisum aut molestum at- "que importunum constitueret.

6. "Age, anima mea, ea munere hic no- "stro ratione defungamur, ut nostra nobis "conscientia ne improperet, nostro nos vitio "obstitisse Dei nostri erga servos suos, qui "nos audiunt, consiliis.

7. "In te, Domine lætor, ubi cum appro- "batione communitatis mihi legere videor, ad "te tamen omnem refero laudem ac delecta- "tionem.

Gratiarum actio in fine lectionis.

"Domine Deus meus, gratias ago tibi, me "quod uti volueris, ut verba tua servorum "tuorum auribus ingereres, mihique, uti qui- "dem à bonitate tua spero, actionis istius me- "ritum conservare digneris. Dolerem sum- "moperè, si nossem negligentiam sive vanitatē "meam tuæ gratiæ in cordibus eorum vel tan- "tillo fuisse obstaculo. Virgo sacratissima, oro

te,

te, sub tua porrò me semper habere ut per-„
gas tutela. „

CAPUT XXXIIX.

De Excitatore Nocturno.

OFficio hic fungitur Angeli, qui mediâ nocte invitabat Pastores, ut venirent ac mundi Salvatorem in præsepio adorarent, quoniam idem Salvator in tabernaculo super Altari requiescit.

Angelus custos conventus, cunctique singulorum Religiosorum Angeli Tutelares illius ministerio imprimis oblectantur. Illi ipsi congratulantur, quod ipsis in Patribus ac Fratribus eorum curæ commissis ad Dei laudes concinendas excitandis auxilio sit. Ipsum etiam in ista actione comitantur, veluti Evangelista fidem facit, beatorum spirituum multitudinem sese adjunxisse illi, qui pastoribus loquebatur,

Luc. 2, 13. *facta est cum Angelo multitudo cœlestis exercitus.* Cùm enim illos maximè ament, qui Chori frequentatione delectantur, illum indubiè majori prosequuntur amore, qui alios cum gaudio illuc adducit.

Directio.

Domine Deus, gratias tibi ago, quòd me „
eligere voluisti, qui servos tuos ad te collau- „
dandum excitarem. Eâ nimirum ratione tua „
bonitas ampliſſimam mihi præbet facultatem, „
illi satisfaciendi pro peccatis à me in sæculo, „
admissis effrœnatis licentiis, quòd majorem „

noctium

" noctium partem lusibus aliisque solutioris
" vitæ occupationibus impenderim atque
" transegerim. Officium omninò Angeli-
" cum tu mihi injungis. Oro te, ut etiam mi-
" hi spiritus fervorem atque exteriorem lar-
" giaris dexteritatem, ut eo ritè defungar ad
" majorem tuam gloriam ac totius communi-
" tatis ædificationem. Virgo sacratissima,
" tuum est ac tibi consecratum hocce cœno-
" bium, illiusque inquilini Religiosi familiam
" tibi propriam constituunt: tui enim do-
" mestici, tuo sumus imprimis consecrati ser-
" vitio. Illius ego pro virili mea servare splen-
" dorem atque Ordinis & Religionis diligen-
" tem custodiam connitar. Velut Matrem te
" oro, istam filio ac indigno tuo famulo gra
" tiam ut obtineas. Angele sancte, qui Pro-
" tector es Ecclesiæ nostræ ac Dei negotiorum
" in isto Monasterio curator, tu in isto me ser-
" vitio, veluti minimum tuum servulum esse
" putato, ut pulsem campanam, ac Religio-
" sos istius loci inquilinos ad laudandum com-
" munem nostrum Creatorem ac Dominum
" expergefaciam.

Occupatio inter excitandum interior.

Desumi illa poterit ex Officii diei sive Festi invitatorio exempli gratiâ;

Regem Apostolorum, aut *Martyrum*, aut *Confessorum* &c. *Dominum venite adoremus: Christus natus est nobis: venite adoremus: Nativitatem* aut *Conceptionem Virginis Mariæ devotissimè celebremus: Christum ejus Filium adoremus Dominum.*

Hoc signum magni Regis est; eamus & inquiramus eum. Prope est Dominus: venite adoremus.

Desumi etiam poterit è nonnullis Psalmorum versiculis, aut exemplo vetustiorum quorundam Monasteriorum, quorum meminit S. Hieronymus, ex cœlesti *Alleluja* quod significat *laudate Deum.*

CAPUT XXXIX.

De excitatore matutino pro oratione mentali.

QUod si excitator nocturnus officio fungitur Angeli illius, qui Pastores invitabat, ut venirent ac Dominum nostrum adorarent in præsepio, Matutinus istum refert, qui Dominicæ Resurrectionis diei manè sanctis loquebatur mulieribus, illasque mittebat ad Apostolos, ut isti exinde apparitionibus ac suavissimâ ejusdem Salvatoris nostri præsentiâ recrearentur. Oratio enim mentalis exercitium est, in quo Dominus noster præsentiâ suâ animas id cupientes consolatur, ubi illis degustandum ac sentiendum se præbet.

Est etiam instar servi illius Patrisfamilias, de quo dicitur in Evangelio, quod ubi amicis suis apparasset convivium, illum misit, ut illos moneret, ut venirent, quoniam omnia jam parata forent: *Misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis, ut venirent: quia jam parata sunt omnia.* Oratio enim mentalis bonorum Religiosorum spirituale ac voluptuosum convivium est.

Luc. 14. 17.

Dire-

Directio.

" Domine, habeo dilectos servos tuos ex-
" pergefacere, ut coram divina Majestate tua
" compareant, te adorent, in te animos suos
" occupent, ac sanctâ præsentiâ tuâ oblectẽtur.
" In singulis eorum honorare te cupio, & glo-
" riæ, quam tibi daturi sunt, particeps esse de-
" sidero. Offero tibi actionem istam, ut ea
" ratione eluam noxas, quas tempore occœ-
" cationis meæ in mundo contra te admisi, ubi
" socios meos ab exercitiis pietatis averti. Oro
" te, acceptam illam ut habeas, & gratiam mihi
" istam concedas, ut illam sic exequar, tibi in
" ea ut placeam. Virgo sacratissima, tuis pre-
" cibus auxilio mihi ut sis oro.

Actus interiores inter excitandum.

1. Itote Angeli terrestres, ut præsentiâ & consuetudine supremi Regis vestri fruamini.

2. Itote, amici sponsi, ut cum illo congaudeatis, atque interiorum animi deliciarum participes efficiamini.

3. Surgitote, divinæ sapientiæ Filii, illius ad scholam ut vos conferatis: fore etenim ad promisit, illis ut sese manifestet, qui manè illum quæsierint: *Qui manè vigilant ad me, invenient me.* Prov. 8. 17.

4. Manè surgunt opifices, ut operi ac labori suo insistant? Religiosorum opus oratio est, ad illam ergò eundum primo diluculo est. Nunquid à temporalibus operariis anteverti se sinent? pro cœlo non facient id quod opifices pro temporaneo facere amant emolumento?

5. Milites, qui sub Regibus terræ merent, summo manè tympanorum tubarumve sono, qui sensibus eorum demulcendis nequaquam inservit, quoniam vita eorum dura, operosa ac laboriosa est, excitantur. Agite Patres ac Fratres mei, magni milites Regis, prœlium ineamus cum vitiis, ac potissimùm cum socordia, quæ una cæteris vires ministrat, ac sine qua illa facili negotio vincerentur. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ*: hoc est omnia vitia, nempe superando desidiam, quæ aliorum perversissima nutrix est.

Ps.100. 8.

6. Devotio manna cœli est, quod primo manè pro toto die reliquo potiùs comparandum ac coacervandum est, quàm olim illud materiale, quod Deus in deserto submittebat Israëlitis, quod pleno die omninò reperire non erat. *Ut notum omnibus esset, Domine, quoniam oportet prævenire Solem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare.*

Sap.15.27.

CAPUT XL.

De eo, qui hyeme post matutinas aut alio tempore accendit ignem, quo Religiosi se calefaciunt.

Directio.

DOmine Deus, obedientia sancta mihi „ injungit, ut ignem accendam pro Pa- „ tribus ac Fratribus meis, qui tuis jam tum lau- „ laudibus decantatis somnum repetere ha- „ bent,

" bent, ad orationem maturè ut queant resur-
" gere : lubentissimo animo hoc exiguum il-
" lis exhibeo charitatis obsequium , quod of-
" fero tibi cum ingenti in eo tibi placendi desi-
" derio. Oro te, ut gratiam mihi concedas,
" ipsum convenienti cum solertia ac diligentia
" ipsis ut exhibeam. Eandem quoque te gra-
" tiam oro sacratissima Virgo. Ubi ignem horis accenderit diurnis, eandem directionem, pauculis duntaxat mutatis, præmittere poterit.

Actionis istius *spiritus* consistit in *diligentia*, qua ignem horâ definitâ paratum esse curet, in *charitate*, qua tantum accendat, quanto calefaciendis Religiosis opus erit, atque in *prudenti œconomia*, qua plus ligni ne consumat, quam fuerit necessarium, id quod sanctæ adversaretur paupertati.

Eædem piæ considerationes, quas nuper annotavimus pro illis, qui se calefaciunt, esse usui quoque poterunt illi, qui ignem accendit. In memoriam etenim revocare poterit martyrum in flammis constantiam, ineffabiles ardores ignis Inferni, cum quo noster si comparetur, pictus verius quam genuinus ignis est : ac flammam suavissimam, quam Spiritus sanctus in cordibus eorum, qui ad illam concipiendam oratione ac mortificatione, uti oportet, se componunt, accendit. Martyrum ignes ipsum afficient admiratione, infernales timore, ac suavissima sancti amoris flamma illius concipiendæ, ut ipsâ corripiamur, accendamur & consumamur desiderio.

CAPUT XLI.

De eo, qui lampadem succendit in dormitorio.

Directio.

GRatias ago tibi, Domine, quod me haud „ indignum reputes, qui tantillum com- „ munitati exhibeam obsequium. Isto officio „ animo libentissimo totâ vitâ meâ vellem de- „ fungi, ut saltem in re adeò modica Patribus „ ac Fratribus meis utilis esse possem. Hanc „ mihi modò gratiam concede, ut exactè at- „ que eâ ratione illo perfungar, ut satis illis fa- „ ciam, illisque bono sim exemplo. Virgo sa- „ cratissima eandem quoque te gratiam oro. „

Devota occupatio interior.

1. Quod si Patribus ac Fratribus meis obsequio sim in eo, quod lumen illis sensibile ministrem, nunquid Deo longè gratius esset, si lampas ipse essem spiritualis bonis semper cogitationibus relucens, sanctisque coram divinâ Majestate affectionibus ardens? Hac etenim ratione dicitur de sancto Joanne Baptista: *Erat lucerna ardens & lucens.* *Ioan. 5. 15.*

2. Lampades coram sacro Altari accensæ ad majorem Dei gloriam lucent, atque omninò consumuntur: quæque in domo accenduntur, utilitati eorum, quos illuminant, inserviunt. Utroque, Domine, in Religione percuperem fungi officio, ut nempe & lucerem exemplo, atque omnem facultatem meam tuæ gloriæ & Fratrum meorum impenderem obsequio.

3. Do-

5. Dominus noster in mundo cùm ageret, lumen esse se mundi dicebat: *Quamdiu in mundo sum, lux sum mundi.* Verùm & nobis quoque commendavit, ut bonis operibus exempli nostri boni lumen emittamus, ut homines ea videntes, etsi hoc nos minimè cupiamus, Patrem cœlestem glorificent: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Joan. 9. v. 5. Matt. 5. 6.

CAPUT XLII.

De eo, qui Religiosis distribuit candelas.

MInimum, quod quis in Religione exhibet, obsequium, perquam semper honorificum & coram Deo meritorium est: finis istius est, ut à Monasterio animorum arceatur otiositas, ubi nempe cuique distribuuntur candelæ, ut lectioni ac bonorum librorum studio, tam regularibus horis serotinis, quàm diurnis incumbant. Atque ea causa est, cur candelabrum computetur inter suppellectilem cellulæ sancti Patris nostri Elisæi, qui omnibus Religiosis monasticæ suppellectilis formam exhibuit.

Hoc officio qui defungitur, potest ac debet sperare futurum, ut meriti sacrarum lectionum ac studiorum, quibus Monasterii Religiosi candelarum, quas illis ipse detulit, beneficio, vacant, particeps efficiatur. Illa etiam offert

fert Deo, quasi gloriæ ipsius studiosior exi-stens.

Directio.

Gratias ago tibi, Domine Deus, quod per „ sanctam obedientiam injungendum mihi „ curasti officium distribuendi candelas, idq; „ obsequii genus Patribus ac Fratribus „ meis, fidelibus servis tuis, præstandi. Illud „ exequi cupio eâ charitate, diligentiâ ac mo- „ destâ, ut tibi complaceam. Oro te per glo- „ riosissimæ Virginis preces ac merita, hanc mi- „ hi gratiam ut impertiaris. „

Interior sub ipsa actione occupatio.

1. Etiam, Domine, Religiosos divinarum ac supernaturalium scientiarum studiosos omninò esse oportet. Mentis otiositas ultra omnem tibi displicet modum. Eorum lectiones, scriptiones ac meditationes majorem tuam gloriam atque animorum procurandam salutem spectant universæ. In earum ego partem venire cupio, deque illis summè gaudeo.

2. Minimè omnium, anima mea, minimè, inquam, candelis fraudandi, aut parcè nimis donandi sunt illi, qui tempus suum adeò fructuosè impendunt, animum bonis rebus ut impleant. Legunt, atque æternis tuis, Domine, veritatibus imbuuntur. Inde te ardentiùs amant, in tuo servitio ferventiores, atque ad alios in illis, quæ salutis ipsorum sunt, instruendos comparatiores evadunt.

CA-

CAPUT XLIII.

De illo, qui per cellulas ac Monasterii officinas distribuit aquam benedictam.

ACtionis istius *spiritus* consistit in simplici & affectiva fide, qua quis credat hujus aquæ lustralis efficaciam, quæ peculiariter sanctificata est per invocationem sanctissimi atq; augustissimi nominis Dei Patris & Filii & Spiritus sancti, per merita Domini nostri Jesu Christi, in fide Ecclesiæ, & per orationem Sacerdotis, rei hujus authoritate donati.

Hæc nomina Dei & Jesu, quæ Dæmonibus terribilia, ac perquam salutaria sunt illis, qui simplici fide atque affectivâ illa devotione honorant, refugio sunt nobis, qui in hoc mundo confligimus, ut gloriæ coronam aliquando obtineamus.

Aqua lustralis in Ecclesia militante è validissimis armis est, quibus hostes nostri invisibiles in fugam aguntur. Illâ ipsi terrentur, quoniam benedictio illi impressit lineamenta potentiæ Dei, qui ipsis formidabilis est, atque efficaciæ sanguinis Jesu Christi, qui illos debellavit. Sæpè sæpiùs experta id fuit in molestiis ac tentationibus suis sancta Theresia, velut ipsamet in vita sua fidem facit: Diabolus ab illa fugam capiebat, ubi primùm aquam illa lustralem apprehendebat.

Eam etiam ob causam ipsius usus est in exorcismis, uti & apud infirmos, præcipuè cùm isti in extrema mortis sunt lucta

constituti. Quin & Ecclesia absque aquæ lustralis aspersione omninò benedicere nihil solet.

Illâ nos aspergimus, ubi cellas ingredimur atque è cellis ubi denuò egredimur. Idem facitamus, ubi peculiares officinas vel etiam alia conventionis loca subimus. Aula nulla, nullum conclave, sive publicum, sive privatum, est, neque valetudinarium, neque hospitium, illa deesse ubi soleat. Priusquam cubitum concedamus, illâ lectum inspergimus, nosmet verò Ecclesiam ingressi, antequam preces nostras fundamus, Bibliothecam priùs quàm studere incipiamus; salutis enim nostræ inimici ubique nos impetunt, quin etiam ipsius somni tempore inducias nobis ullas permittant, atque idcircò istis armis ubique muniamur oportet, quibus illos perculsos profligemus.

Multis aliis virtutibus admirandis illa pollet in iis, qui illâ devotè utuntur, veluti sunt istæ, quod cordibus nostris pias imprimat commotiones, quibus incitemur sive ad prosequendas virtutes, sive errata ut nostra agnoscamus, ut secretas naturæ cupiditates ac prensationes pervideamus, quo ita rubore suffusi emendationem nobis proponamus. Ista omnia officium illius, qui eam distribuit, perquam honorificum ac laudabile constituunt.

Directio.

Domine Deus, obedientia sancta mihi in- „
jungit, ut per totum Monasterium omnibus „
aquam lustralem sufficiam, quò eâ ratione „
auxilio illis sim, ut cordis sui puritatem atque „
inno-

" innocentiam conſervent. Hoc officio eâ, " quæ impoſita mihi eſt, quamque mei Patres " ac Fratres â me expectant, curâ ac diligen- " tiâ defungi deſidero. Gratiam tu mihi con- " cede, ut eorum meritorum particeps efficiar, " actionemque iſtam meam, quam tibi offero, " ita perficiam, tuæ Majeſtati ut complaceam. " Te etiam, ſacratiſſima Virgo, honorare illâ " cupio: oro te, tuis precibus mihi ut eſſe ve- " lis auxilio.

Interiores ſub ipſa actione Elevationes.

1. *Exurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus, & fugiant qui oderunt eum à facie ejus.* Pſ 67. 2. Dei nimirum ac noſtri inimici procul ab hisce locis, ubi nomen ipſius laudatur atque invocatur, faceſſant.

2. *Sicut deficit fumus deficiant: ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei.* ibid. v. 3. Dæmones videlicet inſtar fumi diſpareant, atque evaneſcant: ſive ſicut cera coram igne liqueſcit, ita tentatores iſti, qui nos ad perversè agendum inſtigant, terrefacti fugâ elabantur coram iſto elemento, cui ſanctum Dei nomen gloriæ ac terroris ipſius fulgorem impreſſit,

3. Quam felices eſſemus, Domine, ſi inviolatâ in omnibus obligationibus noſtris fidelitate cor noſtrum purum haberemus? Veriſſimum autem, eheu! eſt, nos indies in pluribus omnino delinquere. *In multis offendimus omnes.* Iac. 3. 2. En, boni Patres & chariſſimi Fratres mei, ſalubrem aquam, quam adfero vobis, ut illâ

illâ veſtris frontibus aſpersâ animarum veſtrarum maculas eluatis.

4. In omnibus locis iſtis ſint omnia ſancta. Maligni atque immundi ſpiritus ad illa vel omninò accedere non auſint, aut ſaltem poteſtatis in illa nil habeant, aut uſurpent.

5. Corda noſtra, quæ ſponſi lecti floridi ſunt, in candore innocentiæ conſervemus. Aqua iſta per ſanctiſſimi nominis invocationem, ac virtutem meritorum Domini noſtri Jeſu Chriſti in fide Eccleſiæ, matris noſtræ ac ſponſæ ipſius chariſſimæ, benedicta unà cum interiore devotione multò illi jucundior & gratior erit omnibus quàm maximè odoriferis aquis ac ſuaviſſimis ſuffimentis.

4. Age, anima mea, cum gaudio iſto ab obedientia injuncto defungamur officio. Eâ enim ratione id agimus, quod Deo & Angelis gratum permagnam Dæmonibus movet indignationem. Quidni obſecro palàm apertèque profiteremur, ſtudere nos Deo contra ipſos, quoniam, eheu! noſtro maximo probro illis aliàs contra Deum ſtuduimus.

CAPUT XLIV.

De Tonſura & Coronis.

TOnſura noſtræ Deo factæ conſecrationis ſymbolum eſt, veluti Divus Dionyſius lib. de Hier. Eccleſ. c. 6. exponit. Significat amputationem omnium rerum ſuperfluarum, ut uni Deo vacare queamus. Olim ſignum erat luctus ac triſtitiæ animi maxima quapiam infelicita-

licitate afflicti. Erat etiam nota quædam servitutis.

Illius usus perpetuus fuit Religiosis, ut palàm omnibus facerent, esse se servituti Jesu Christi addictos, pœnitentes, tristes, & afflictos, qui sua & aliorum peccata deplorent. Apertè per illam etiam profitentur, cunctis terræ inutilitatibus ac superfluitatibus se renunciasse, ut solis necessariis, & modicè quidem, utantur.

Capillacea corona illa, quam post tonsuram retinemus, in memoriam revocat nobis spineam, quam maximâ cum ignominia, nec minore cum dolore, gestavit Dominus noster Christus Jesus, palàmque nobis facit, professionem nostram exigere, ut contemptuum ac depressionum ipsius laudem cum ipso communicemus. Deinde etiam nobis illa designat, esse nobis in nobismetipsis regnum aliquod administrandum. Illud in eo consistit, ut sensus ac passiones nostras, cunctasque nostræ animæ facultates ritè componamus. Id quod majori est laudi bonis Religiosis, quàm terrenis sit Regibus, quod subditis suis leges imponere queant. *Rex maximus ille est, qui poterit Rex esse sui.*

Directio pro illo, cujus capilli in modum coronæ tondentur.

"Tolle, Domine, ab anima mea omnes su-
" pervacaneas affectiones & quidquid in me
" tibi displicuerit, ut magnâ cordis atque ani-
" mi puritate te amare ac servire tibi queam.

Fac,

Fac, Virgo sacratissima, ut nunquam pro-„
fessione meâ indignum me constituam, ne-„
ve coronam istam, quæ illius signum est,„
immeritò & indignum in modum gestem.„

Directio pro illo, qui capillum radendo coronam efformat.

Deus meus, quoniam obedientia & cha-„
ritas fraterna requirit, ut Patribus ac Fratri-„
bus meis ab integro reficiam coronas, veluti„
consecrationis ipsorum tuo factæ servitio in-„
dicia, officio hoc omni, qua potero dexteri-„
tate ad majorem tuam gloriam ac Religionis„
honorem defungi desidero. Oro te, actio-„
nem hanc meam acceptam ut habeas, &„
gratiam mihi istam impertiaris, ut illâ in cœ-„
lo coronam promerear. Te etiam, Virgo sa-„
cratissima, hanc mihi gratiam ut exores, ob-„
testor.„

Lectio sacra, quæ sub ista actione fieri so-
let in vicem colloquii interioris usui erit: ve-
rùm illa prætermissa fortassis ubi fuerit, in si-
lentio intendere poterimus piis cogitationibus
istis, quas initio hujus capitis exposuimus.

CAPUT XLII.

De stipis per urbem coactoribus.

INterior Evangelici hujus operis perfectio in
eo consistit, ut ipsum obeamus in vero ac
genuino spiritu paupertatis atque humilitatis,
ad vivam imitationem Domini ac Salvatoris no-
stri Christi Jesu, qui in cœlis dives ac magnus

cum

cùm esset, spontaneam paupertatem & contemptum in terris elegit. Ad illud nos impellere debet non modò superiorum imperium, sed etiam charitas erga Fratres nostros, ad quorum frugalem sustentationem panem mendicamus. Deinde magnâ hic ac pudicâ opus nobis modestiâ erit, quæ effectus & indicium erit interioris animi seipsum inspicientis collectionis.

Directio.

"Domine Deus meus, sancta obedientia "vult, ut in meimetipsius despectu ac sanctæ "paupertatis usu me exerceam, ubi ad stipem "pro mea ac pauperum & fidelium servorum "tuorum sustentatione colligendam me mit-"tit. Offero tibi istam actionem in honorem "atque in unione paupertatis ac mendicitatis "tui filii Domini nostri. Per infinita illius vo-"luntariæ ad statum istum abjectionis merita "oro te istam gratiam, illam perfectè ut obe-"am, ad illius imitationem, ad meam pro-"priam perfectionem ac proximorum ædifi-"cationem. Virgo sacratissima, pro tibi o-"mninò consecrata familia hocce laboris su-"scipiam. Oro te, tuâ mihi tutelâ opem ut fe-"ras.

Actus interiores.

1. Anima mea oblectatur paupertate, quæ in persona Dei Filii honorata fuit ac sanctificata.

2. Omnes illam Sancti ad illius amaverunt, atque exercuerunt exemplum. In illorum & ego sententiam eo.

3. Di-

2. Divine Jesu, tu caput & Rex existis pauperum spontaneorum, sub legibus, sub quibus tot omnium Ordinum probi Religiosi vixerunt. Me, Domine inter illos ad tuam admitte imitationem.

4. Eamus, anima mea, neque de paupertate, neque de humilitate Christi Jesu erubescamus, quandoquidem ille amore nostri sese eousque deprimere verecundatus non fuit.

5. Minimè omnium profectò humilitas & abjectio porrò est, quin potiùs honori ac laudi sibi ducere quivis debet, quod faciat id quod ipse Deus primus omnium fecit.

Accipiendo eleemosynam.

Benedic, Domine, benefactoribus istis „ omnique ipsorum familiæ. Illis in præ- „ mium regnum cœleste, veluti promisisti, „ retribue. „

Dum eleemosyna petita denegatur.

1. Rectè admodum, Domine, en homi- „ nem, qui me humiliat; quique mihi multò „ ampliùs prodest, quàm ipsa, quam peto, elee- „ mosyna prodesse potuisset. „

4. Quòd petita eleemosyna mihi dene- „ gatur, idcircò fit, ut hac ratione ad ampliùs „ probandos paupertatis effectus compellar. „ Etenim si nihil eorum, quæ petimus, nobis „ denegaretur, potiùs exigere reditus, quàm „ stipem ostiatim colligere videremur. „

3. Ulteriorem, Domine, ulteriorem re- „ pulsam: si modò Patres ac Fratres mei inde „ nihil patiantur. „

Viden-

Videndo charitatem pauperiorum majorem quàm plurium opulentiorum.

" Veriſſimè dixiſti, Domine, Regnum cœ-
" lorum eſſe minimorum, eſſeque divitibus
" perdifficile illud obtinere, quoniam plus ni-
" mio ſuis addicti facultatibus ſunt.

" Gratias ago tibi, quòd amorem a me di-
" vitiarum abſtuleris, quòdque contentus vi-
" vam, quòd nihil habeam, veluti etiam nihil
" unquam habere decrevi.

CAPUT XLVI.

De Janitore.

MOnaſterii janitor vicem refert Cherubini, quem Deus conſtituit, ut cuſtodiat aditum Paradiſi terreſtris, cujus imago Religio eſt, zelo igitur ac prudentiâ ſuâ inde arceat, quidquid loci ſanctitatem profanare, aut candorem atque innocentiam inquilinorum vel tantillùm maculare poſſet: neque alios introducat, præter illos, qui inde queant proficere. Superioris, veluti Dei in Monaſterio Vicarii, eſt cuncta pervidere, ac ſcire, qui ipſum ingrediantur aut egrediantur: at quoniam per ſe-ipſum portæ cuſtodiendæ vacare non poteſt, munus iſtud Religioſo cuipiam, qui oculus illi ſit, & cui veluti ſibimetipſi confidat, demandet oportet.

Dici poteſt, eſſe ipſum veluti vigilantem excubitorem in ſtatione poſitum pro ſecuritate Monaſterii totius, quod adversùm ſalutis

ac perfectionis noſtræ inimicorum inſidias i
illius fide ac prudentia acquieſcit.

Conſtitutus ipſe eſt, ſuâ ex parte, quantum
quidem poteſt, ad Monaſterii quietem ac ſi-
lentium operam & induſtriam ſuam ut con-
tribuat, loquendo ac reſpondendo extraneis,
qui illuc adveniunt, quin interiorem requiem,
animorum collectionem, ſtudium aut Regula-
ritatem aliorum Religioſorum interturbent.
Extranei illum ad Monaſterii januam inveni-
unt, quid velint ipſi exponunt, ille verò re-
defert ad ſuperiorem, indeque convenienti mo-
deſtiâ ac diligentiâ refert ad ipſos, quod de-
mandatum ei fuerit reſponſum, ut bono ſi
ipſis exemplo.

Officii iſtius *perfectio* conſiſtit in prudentia,
in debita erga ſuperiorem fidelitate, atque in
honeſta gravitate. *Prudentia* in eo potiſſimùm
ſita eſt, ut congruenter ac paucis verbis ad ea,
quæ Extranei interrogaverint, reſpondeat, ra-
tionemque convenientem ſubjiciat, veluti ſanc-
tiſſimus Patriarcha Benedictus in Regula ſua
conſtituit, ubi ait: *Ad portam Monaſterii
ponatur ſenex ſapiens, qui ſciat accipere re-
ſponſum & reddere.*

Fidelitatis ipſius eſt exactiſſimè obſervare
atque obſervari facere Regulas ſui officii, fide-
liter ad ſuperiorem deferendo omnia, quæ
ipſum ſcire debere ac velle non ignorat, cùm
hic ipſi veluti ſibimetipſi confidat. Quòd ſi
in quam neſcio cujuscunque hominis gratiam
huic muneri ſuo deeſſet, in die Judicii omnis
mali reus eſſet, quod inde Religioni eveniſſet,
ſuæque pœnas perfidiæ dare teneretur.

Gra-

Gravitas nihilominus ipsi necessaria est, quam semper ab ætate si non habeat, moribus tamen præferat oportet. Modestus ipsius atque affabilis aditus egregiam totius communitatis speciem ac formam Extraneis designabit. Is enim mortalium mos est, ut integram communitatem unius intuitu metiantur. Visus serenitas, taciturnitas, pudore condecoratus aspectus ac paucis comprehensa responsa id efficient, ut familia esse sancta credatur universa.

Interius Exercitium.

Directio quotidiè manè poterit esse ista: "Domine Deus meus, tu mihi istius sanctæ "domus commendasti custodiam, ad januam "illius instar fidelis excubitoris pro securita-"te, ac pro omnium Patrum ac Fratrum meo-"rum quiete ac tranquillitate ut agam vigilias. "Portam custodiam istius Paradisi terrestris, "in quo Religiosi in innocentia degunt, ut "meâ diligentiâ, & eorum, quæ à superiore "injuncta mihi fuerint, executione impediam, "ne quis eorum in viva & activa ad divinam "Majestatem tuam tendentia interturbetur. "Lubentissimo illis animo id obsequii exhi-"beo, dum illi orationi ac studiis incumbunt. "Hanc à te humillimè gratiam peto, ut isto "officio cum ædificatione, prudentiâ ac mo-"destiâ ad majorem tuam gloriam defungar. "Eandem te gratiam oro, Virgo sacratissima, "Mater mea Maria.

Actus.

Audiendo sonitum campanæ ad portam.

"En, inquiet, quo Deus me vocat, & continuò

absque ulla interpositâ morâ festinare jubet. „ Excubitor equidem & custos sum loci hujus, „ sancti. Eamus visum, utrum adsint è nostris, ut illos recipiamus, an ex alienis, ab illis, „ ut caveamus. „

Reperiendo illic pauperes stipem mendicantes. Illos magno cum amore intuebitur, dicens intra seipsum: Tu nobis, Domine, mandasti, „ te in personâ tuorum ut pauperum consideraremus. „

Si reperiat alterius cujuspiam Ordinis *Religiosos* aut *Sacerdotes*, in corde suo cum gaudio dicet: Ingredimini, Dei nostri amici: „ Benedictionem Beatissimæ Virginis in domum inferte. „

Si quempiam *Secularium*, cui loqui debeat, statim ad Religiosam se componet modestiam, ista intra semet cogitando: Religioso virtutis huic homini præluceam exemplo oportet, ad majorem Dei gloriam, cujus sumus „ ministri, atque ad Religionis, quæ mater nostra est, honorem. „

Eundo vocatum aliquem *Confessarium* intra semetipsum dicere poterit: Veni, mi Pater, ut edas miraculum, veni ut per peccatum lethale mortuum vitæ restituas, aut saltem per veniale sauciatum ut sanes. „

Quando adit *Superiorem*, illi Hexis, uti oportet, genibus locuturus, cogitabit: En Christi Jesu in cœnobio isto Vicarium. Illi cuncta „ sint nota oportet, ut de illis majori prudentiâ „ ac paternâ providentiâ disponat. Illius vox „ est, quæ meritum obedientiæ dum impertit, „ in periculis commercii cum sæcularibus securitatem nobis affert. „

Eun-

Eundo per Monasterium ad exequenda vi muneris ei injuncta mandata, si quidpiam rei sacræ animo non ruminet, interùs in orationibus jaculatoriis hac se ratione exercebit: "Laudabilem, anima mea, à Patribus nostris in "Religione constitutum ordinem servemus. "Absque merito obedientiæ omninò nihil "hîc fiat. Toto animo cupio, ut Patres "ac Fratres mei quiete gaudeant in sua "solitudine, intereà dum ego, ut minimus „ "ipsorum servus, nunciis ac mandatis ipsorum "ultro citroque perferendis me impendam.

Claudendo januam. "O felix janua sive "porta, quæ à mundo nos separando innocentiam nobis nostram conservas. Tu revera è portis es Sion, quas diligit Dominus super "omnia tabernacula Jacob.

Aut etiam. Nunquid hæc janua occlusa insigniter mihi exhibet speciem interiorum cordis ædium, quæ prophanis ac mundanis quibusvis rebus semper clausæ sint oportet? Cordis januæ sensus sunt, quos omni studio claudere, neque nisi rebus piis ac sacris patefacere debeo. Aditus ergo malarum rerum speciebus in perpetuum sit interdictus.

CAPUT XLVII.

De Hospitalario.

TAnti coram Domino nostro Christo Jesu res meriti est benignè accipere hospites, sibimet ut exhibitam existimet, quam illis adhibemus, benevolentiam ac liberalitatem,

fitque id è potiſſimis charitatis operibus, quibus in die Judicii in præmium æternam retribuet felicitatem. *Hoſpes eram & collegiſtis me. Venite poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.*

Matt. 25. 34. 35.

Quale gaudium erit charitatis ac benignitatis ſtudioſo Hoſpitalario in illa poſtrema triſtiſſima die audire has longè fauſtiſſimas voces: Atque econtrariò quo animi dolore afficientur illi, quibus Dominus noſter exprobrabit, quod ipſum vel nullâ omninò ratione, vel invitè hoſpitio exceperint, aut denique quod nulla ipſi charitatis officia exhibuerint? *Hoſpes eram & non collegiſtis me. Amen dico vobis: quamdiu non feciſtis uni de minoribus meis, nec mihi feciſtis.*

ibid. v. 43. 45.

Cogitatio iſta, qua nimirùm in perſona Hoſpitum Dominum noſtrum conſideramus, omnem ultra modum extollit hoſpitalitatem. Etenim quanto honori eſt, ipſum hoſpitio excipere Chriſtum Jeſum? Illis invidemus, quibus felicitatis id obtigit, illum ut tecto accipere potuerint, cùm adhuc mortalem hanc ageret vitam: at eodem merito potientur, eodemque in extremo die judicii afficientur honore, qui in Hoſpitibus ipſum exceperint. Illis etenim ipſe dicet: *Quamdiu feciſtis uni ex his Fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Satis igitur eſſe non videtur, ut hoſpites venturos expectemus, quin potiùs illos ire quæſitum, prævenire, invitare, imò, apud nos ut diverterent, compellere deberemus.

v. 40.

Sæpè Dominus noſter ſanctis iſtius virtutis ſtudioſis de ſua, ſub ſpecie pauperis peregrini, præ-

præsentia gratificatus fuit: prout legitur de sancto Gregorio Magno, in quem hanc singularem contulit gratiam, ac nocte sequenti apparuit illi dicens: hactenus in membris meis, at heri in propria me recepisti persona. Unde S. Ambrosius ait: *Quis scit an & tu cum suscipis hospitem, suscipias Christum?* E quo cum D. Augustino hanc elicimus consequentiam: *Nolite ergo negligere peregrinos, ne fortè quem non excepistis, sit ipse Christus.* Serm. 65. de Temp.

Directio.

" Lubentissimo animo, Domine, accipio " obedientiam & curam Hospitibus inservien- " di mihi demandatam. Illis ea ministrare ra- " tione cõnitar, qua ipsi tibi ministrarem, quia " in illis te ut considerem & attendam ipse vo- " luisti. Hanc mihi, oro te, gratiam concede, " ut in tua me semper contineam præsentia, " caveam omnem à disciplina defectionem, " hocque munere conveniente cum dexteri- " tate ac bona ædificatione defungar. Hanc " & tu mihi gratiam obtine sacratissima Vir- " go.

Charitas, diligentia ac modestia omnem interiorem exterioris occupationis istius spiritum constituunt.

Charitas id efficiet, ut in gratiam hospitum omni consolatione, quam percipere posset ex solitudine, libentissimè sese privet Hospitalarius, neque ulli parcat labori, sed fastidium, molestiam atque animi omnem, suboriri quandoque qui posset, superabit angorem. Denique

æquo animo tolerabit omnes defectus, si quos fortassis sive in Hospitibus, sive in munerum domesticorum administris deprehenderit, cavebitque, ne de illis temerarium ferat judicium, omnesque comprimet & coërcebit cogitationes despectus, motus acerbitatis, querimoniarum, ac murmurationum, si quibus impetitus fortè fuerit. Id quod commendat Princeps
1. Pet. 4. 9. Apostolorum, ubi ait: *Hospitales invicem sine murmuratione.* Superiori tamen fideliter ac sincerè aperiet, in officio suo quidquid evenerit.

Diligentia filia est charitativæ dilectionis, etenim *diligentia dicitur à diligendo.* In istis illa consistit 1. ut conclavia nitida semper servet ac munda, ut statim in illis absque ullo Hospites excipi possint obstaculo. 2. Ut ad explendum ministerium suum quantocyus sese conferat, ubi monitus fuerit ac vocatus. 3. Ut Hospitibus sanctâ quadam cum lætitiâ ministret, quin tamen de modestia ac Dei præsentia quidquam remittat. 4. Ne diutiùs æquò in officinis Dispensatoriæ vel Culinæ aut alibi detineri se sinat. 5. Ut improvisum à tempore occupari se non permittat, quin potiùs ipsum prævertat, ut horâ constitutâ sint omnia parata. 6. Ut sæpiùs exactè legat ea, quæ circa sui muneris administrationem scripta sunt, ut illis omninò se conformet.

Modestia specialiter in istis relucebit 1. Ut pauca, nec nisi rogatus, loquatur. 2. Ut cum Hospitibus nimia ipsi familiaritas ne intercedat. 3. Ne sit curiosus in, audiendis, aut sciendis de sæculo, vel etiam de aliis Monasteriis

riis rumoribus. 4. Ut se cohibeat, ne facilè aut leviter risum edat, ubi quid coram illo recenseatur, quod ipsum movere queat. 5. Ne quid eorum, quæ in Hospitio vidit vel audivit, ad alios Monasterii Fratres deferat, nisi hujusmodi sit, illos ædificare ut queat.

Interiores virtutum actus, in exercitio Hospitalitatis qui reperiuntur.

1. *Fidei.* " Hospitibus servio, at Dominus " noster est, qui servitium recipit. Video ho- " mines, at in illis Christus Jesus delitescit. " Illi charitatis obsequia à nobis accipiunt, at " Dominus noster est, qui beneficio illis " collato se obstrictum profiteri non dedigna- " tur.

2. *Spei.* " Ad unum alterumve diem illos, " Domine, qui ad nos veniunt, & sub tuo id " nomine poscunt, hospitio excipimus. Ve- " rùm in præmium tu nobis æternum in Para- " diso cœlesti præbebis hospitium.

3. *Fraternæ charitatis.* " Quàm bonum " & quàm jucundum est, Domine, invicem " dilectionis exhibere indicia! Quantumvis " bonos hosce Religiosos non cognoscam, aut " ullâ ratione cognoscerem, satis est, esse fa- " mulos, domesticos & amicos tuos, ad illos " honorandos ac diligendos ut permovear. " Nunquid ipse tu, Domine, dixisti: *In hoc* Ioan 13. " *cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si* 35. " *dilectionem habueritis ad invicem.*

4. *Honorificæ hospitum existimationis.* *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus.* Illis dum inservio, meritorum ipsorum particeps esse desidero. Ubi te pro suis benefactoribus oraverint, fore spero, Domine, divina Majestas tua mei ut meminerit.

Ps. 138. 17.

5. *Diligentiæ.* Eamus, anima mea, nosque cum gaudio impendamus, ut istos Dei servos quibus possumus afficiamus beneficiis. Omnem à nobis procul abigamus animi angorem aut fastidium, nisi merito orbari omni velimus. Prô quàm benè tempus impenditur, ubi unicâ horulâ æternitatem promeremur! Venite amici Dei, cives Apostolorum, magni Regis domestici, de manibus servulorum vestrorum minimi levamenta accipite, quibus ad reparandas itineris laboribus detritas vires indigetis. Pedes vestros abluam, bellè atque accommodatè lectos componam. Venite, & ego vobis optima quæ potero alimenta ministrabo. *Venite & ego reficiam vos.*

Matt. 11. 28.

6. *Illis Religiosæ congruenter paupertati ministrando.* *Melius est modicum justo, super divitias peccatorum multas. Suscipite benedictionem, quam attuli vobis & quam donavit mihi Dominus, tribuens omnia.*

Ps. 36. 16. Gen. 33. 11

7. *Boni Exempli.* Quod si garrulitate aut dissolutione meâ his Dei ministris offendiculo forem, in animis eorum amantissimam matrem meam Religionem probro afficerem, illis quoque displicerem, multoque majori molestiæ essem, si coram illis meam prode-

« proderem immodestiam atque immortifi-
« cationem, quàm si ingrati saporis illis cibos
« apponerem.

CAPUT XLIIX.

De Infirmario.

DEvotione & charitate servire infirmis ex operibus Christianæ fidei ac Religionis quam maximè meritoriis est. Eò nos incitamento plusquam humano Dominus noster ut permoveat, ipse se ægrotorum in locum substituit, ubi illis exhibita obsequia quasi præstita sibiipsi abs se habenda esse asseruit. *Infirmus eram & visitastis me. Quamdiu enim fecistis uni ex his Fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Quod si ipse se devinctum agnoscat sola charitativa visitatione impensa infirmo, quid erit de illo, qui integra hebdomada aut mense diu noctuque ipsi adfuerit. *Matt. 25. 36. 40.*

In die Judicii, quando & justissimi terrore contremiscent, charitatis studiosi Infirmarii apparebunt securi: & Christus Jesus, qui adeò formidabilis erit aliis, istis omnem exhibebit benevolentiam, verbisque dulcedine plenis ipsos affabitur dicens: *Obstrictus sum vobis. In persona ipse mea accepi, quæ meis fecistis infirmis. In meis vos ærumnis mihi adfuistis, dolores meos mitigastis, plagas & vulnera mea purgastis, in siti mea potum mihi præbuistis. Venite, possidete Regnum Patris mei in æternum.* Sanè si vel modica fides adsit, omninò videtur esse debere æmulatio in Monasterio, quis

quis infirmorum curam gerere debeat, ut felicitatem ac meritum ipsius Jesu Christi curandi obtineat. Nihil difficile nobis erit, ait S. Bonaventura, nihil nauseam nobis pariet, nihil in ægris nostris eorumque curatione abjectum aut indignum sive erubescendum videbitur: quin potiùs omnia jucunda, omnia dulcia, omnia amabilia erunt, ubi in Fratre nostro ipsi Domino nostro serviemus. Stim. Amor. 2. p. c. 7.

Directio.

„Gratias ago tibi, Domine Deus, quod superiori meo hanc mentem injicere voluisti, ut „me deligeret ad officium istud, quod adeò „tibi acceptum tantique coram te meriti est, „Illud omni, qua potero, perfectione explere „desidero. Oro te, hanc mihi ut gratiam „impertiaris, ut illo charitate, diligentiâ, solertiâ ac patientiâ necessariis defungar, ut tibi „gratus existam, omnibusque infirmis conve„nienti auxilio sim. Virgo sacratissima, Patres „ac Fratres mei specialiter tuo consecrati servitio sunt, quibus servire, quosque curare ha„beo: hanc ergo tu gratiam mihi exora. „

Spiritus istius officii in duabus potissimùm consistit virtutibus. Prima est: *Misericordia* sive commiseratio erga infirmos, ut eorum morbo ac doloribus permoti quasi illos in nobis ipsis sentiamus. Animo in loco ægroti collocare nos debemus, eique cuncta præstare, nobis ab aliis exhiberi quæ vellemus, juxta illam divini Magistri nostri sententiam: *Omnia quæcunq; vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Matt. 7. 12.

Imita-

Imitari debemus eundem Salvatorem nostrum, cui satis non erat, quod ut Deus intellectu hominum miserias cognoscceret, sed Frater noster nobis similis esse voluit, ut & sensu eas perciperet, veluti Apostolus in Epistola ad Hebræos cap. 2. observat, ubi ait: *Debuit per omnia Fratribus similari, ut misericors fieret.* Hnb. 2. 17.

Ipse circuibat quærens miseros ægrotos, eorum miserebatur, atque exingenti, qua erga illos ferebatur, misericordiâ ac miseratione omnes illas miraculosas, quas sancti Evangelistæ commemorant, faciebat curationes. Exemplum ipsius imitati sunt Sancti, qui ubi in curandis infirmis miracula non edebant, saltem commiseratione & intimo in illos amoris sensu pleni erant, quo ipsis opem ferre satagebant. Illos imitari debemus & nos firmâ atque indubitatâ fide persuasi, multò amplioris coram Deo meriti esse infirmo misericordi charitate opitulari, quàm illum miraculosè sanare. Miracula enim sunt opera potentiæ Dei in creaturis, quę nihil hic merentur, at ex amore profecta subsidia virtuosa creaturæ sunt opera Dei gratiâ munita, quæ tota meritoria sunt.

Altera virtus boni Infirmarii est *Mansuetudo* sive *Patientia*, tolerari qua queat diversas indoles ac mores eorum, quorum curam gerit, qui æquè tractabiles ac sibimetipsis mortui omnes non sunt. Reperire enim aliquos est, qui morbo afflicti & abjecti, illiusque diuturnitatem pertæsi, modis pluribus miserum contristant Infirmarium. Verùm hic illos generoso & constanti animo tolerare debet, quoniam eò ampliùs ipsius meritum erit,

erit. *De talibus enim copiosior merces acquiritur.* S. Bened. Reg. c. 36.

Persuasum debet habere, infirmo tantum non ab ipso præstari obsequii, dum corporis illius curam gerit, quantum infirmus, etsi ignarus, exhibet animæ ipsius, ubi ipsi passionum suarum moderandarum ampliſſimarumque in cœlo coronarum adipiscendarum tot occasiones subministrat. Ea sententia est D. Dorothei, qui multo tempore officio Infirmarii perfunctus fuit, ubi ait: *Pro compertissimo habet, majori se beneficio affici ab agroto, quàm afficiatur agrotus ab ipso.* Doctr. 14. num. 11.

Actus interiores.

1. Domine Jesu Christe, non hominibus, » sed tibiipsi inservire me existimo. »

2. Noli deinceps, anima mea, noli consueta inquietudine tua dicere, Deum ac Domi- » num diversis exercitiis à te quæri, neque tamen inveniri. Eccum etenim ipsum in nostro valetudinario. Ibi decumbit, ibi ægrotat, ibi doloribus afficitur. Ab ipso discedere noli, illum miserare, illi in necessitatibus » operam tuam impende. »

3. Minimè profectò opus jam est, cum » Sponsa in Canticis ut porrò dicas: *Indica* » *mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas,* » *ubi cubes in meridie:* Locum enim haud- » quaquam ignoramus: scimus nimirum, in » nostro commorari Valetudinario: nihil ergo jam est super, nisi illi inserviendo nos totos ut impendamus. »

4. Du-

4. " Dubitare noli, anima mea, quin Dominus in seipso accipiat, quidquid ægroto huic facimus : si ipsummet curare haberemus, quid quæso faceremus ? Nil minus igitur huic faciamus, illum enim hic nobis repræsentat.

6. " Æger amantissime, ubi lectum tuum compono, ubi tibi hoc jusculum, hunc cibum, hanc potionem, hascupedias porrigo ac propono, ipsum in te Jesum Christum considero. Te ubi contingo, illius sacratissima à me contingi membra existimo. Isto intuitu te, veluti meum Dominum, honoro ac tibi venerabundè, veluti Jesu Christo futuro meo Judici, inservio.

Actus, quibus quis resistat fastidio atq; omnes difficultates expugnet.

1, " Fastidio omni renuncio : ipsum à corde meo depello aut improbo, ne illi succumbam, quin potiùs obedientiam ac servitia mea ad finem usque producam.

2, " Expergiscere somniculosa & languida charitas. Cor & animum meum iteratò calefac, tuo impulsu ut agam, & quidquid ingenii, quidquid virium, quidquid solertiæ & industriæ mihi Deus concesserit, infirmis ipsius juvandis impendam.

3. " Ad tempus duntaxat obedientia nos facere jubet id quod maximi Sancti sponte suâ toto vitæ suæ tempore facere elegerunt. Illi enim Infirmorum in Nosocomiis sese servitio devoverunt, ut ea felicitate potirentur,

ut

ut in fine vitę ſuę hæc omni conſolatione ple- „
niſſima ex ore Salvatoris noſtri audire verba „
mererentur: *Per modico tempore me ægrum* „
tu curaſti. Tu fuiſti, qui in meis tribulationi- „
bus mihi præſto fuiſti. Euge ſerve bone intra, „
in æternam meæ gloriæ participationem. Ean- „
dem & ego ſperabo felicitatem. „

4. Ecquænam difficultas, Domine, divel- „
lere me poſſet à dilectione, quam ſingulis Pa- „
trum ac Fratrum meorum amore tui debeo? „
Quis nos ſeparabit à charitate Dei? nec la- „
bores, nec moleſtiæ, nec vigiliæ, nec propriæ „
quietis aut receſsûs deſiderium, nec meorum „
ingratitudo ægrotorum à ſervitio, quod illis „
amore tui exhibere promiſi, me abducent. „

5. Sed enim quales nobis difficultates ſunt? „
nunquid vel de illis ut cogitem merentur? „
ubi magna illa Sanctorum generoſitas, qui, „
quin ulli obedirent naturali horrori aut abo- „
minationi, ulcera ſuxerunt, atque ex illis ex- „
preſſam ſaniem epotarunt? Multò equidem „
nos ampliùs infirmo noſtro, quàm ille nobis, „
obſtricti ſumus. Etenim ſi corpori illius nos „
curando impenderimus, anima noſtra per „
ipſum paſſionibus, quæ multò pejores morbi „
ſunt, levatur. „

6. Quid, quæſo, valetudinarium niſi locus „
eſt tribulationis non ſolùm pro Infirmis, ſed „
& pro Infirmario? At illas æquis animis to- „
leramus amore illius, qui tanto nos fuit pro- „
ſecutus amore, ut omnibus doloribus noſtris „
gravari ipſe voluerit. *Sed in his omnibus ſu-* „
peramus propter eum, qui dilexit nos. „

Rom. 8. 37.

7. Divine ac miſericordiſſime Domine Je- „
ſu,

" su", si omnes infirmitates nostras tu ipse tu-
" listi, & nobis Fratrum nostrorum infirmi-
" tates eousque sunt ferendæ, ut parati simus
" mori in eorum servitio, veluti pro nobis mor-
" tuus tu ipse fuisti. *Quoniam ille animam* 1. Ioan. 3.
" *suam pro nobis posuit: & nos debemus pro* 16.
" *Fratribus animas ponere.* Veruntamen ipsam
" tu vitam meam, Domine, non requiris, sed in
" præsenti meis contentus servitiis es.

8. " Itane verò? Jesum Christum desere-
" re, curam Redemptoris nostri absque ulla
" miseratione negligere auderemus? Quid ipsi
" faceremus, si in valetudinario nostro ægrotus
" decumberet, ac vulneribus, pro nostra salute
" quæ accipere voluit, moreretur? Ille ipse est,
" qui illic nostra præstolatur servitia. Ea illi,
" amabò, ne denegemus. Illi ergò studiosè ad-
" simus, omnem austeriorem abigamus mæ-
" rorem, ne ipsum tristitiâ afficiamus. Hoc ete-
" nim nova esset vulneribus ipsius addere vul-
" nera, ac novum dolori dolorem, veluti de
" nonnullis ipse conqueritur, ubi ait: *Super* Ps. 68. 27.
" *dolorem vulnerum meorum addiderunt.*

CAPUT XLIX.

De Custode vestium.

VEstimenta Religionis sancta sunt, quia apertiora Deo factæ consecrationis nostræ indicia. Ille ergo, eorum cui cura & custodia in Monasterio demãdatur, esse debet amantissimę ac de sua solicitissimæ matri familia persimilis. Hæc etenim in id studiosè si incũbit, ut omnib⁹ domesticis suis de honestis ac mundis vestibus

prospiciat haud minorem ille habeat curam oportet, cunctis Monasterii Religiosis de congruis vestimentis atque lectisterniis ut provideatur. Vestes igitur illis subministrabit pro eorum necessitate, illas, laceratæ ubi fuerint, reficiet, ac Religiosæ denique vitæ legibus congruenter pro majori munditia ac nitore, eluet aut eluendas curabit.

Spiritus istius officii in eo situs est, ut Religiosos amictus nequaquam consideret, veluti usitata vestimenta, quibus homines post nativæ jacturam innocentiæ cooperiuntur, atque etiam post illam, quam peccando incurrerunt, miseriam adversùm tempestatum rigores muniuntur: sed illos cogitet esse veluti honorificentissima nostræ ereptionis è sæculo ac Deo factæ consecrationis indicia.

Sancti Patres Vestitum Religiosum *Vestitum* vocaverunt *Angelicum*. Baptismali illum tunicæ D. Dionysius. Eccl. Hier. c. 4. assimilat: Portentosum ille pallium est sancti Prophetæ ac Patris nostri Eliæ, cujus attactu discipulum suum Elisæum, Religioni nomen ut daret, permovit. Existo vestitu agnoscebatur esse vir Dei, quo nomine passim insigniebatur. Scapulare est specialiter Virgini Beatissimæ consecratum. Sanctus Anastasius illustris nostri Ordinis Martyr usque adeò suum honorabat vestimentum Religiosum, ut ipsum veluti prædestinationis suæ arrham intueretur. Etenim Tyranno multa bona temporalia ei promittenti, Jesu Christo renunciare si vellet, respondit: *Tota felicitas mea in cœlo est, cujus vene-*

venerabilis amictus, quem gero, certissimum mihi testimonium est.

Tres potissimùm virtutes istius, quo de agimus, officiatoris interiùs exercitium constituunt. Etenim accensus sit oportet *charitate*, ut eo studio hoc munus suum obeat, ut cunctas Patrum ac Fratrum suorum prævertat necessitates. Amare debet sanctam *paupertatem*, ut nihil perire finat eorum, quæ honesto porrò usui esse queant. Haud exiguo etiam studio *modestiæ* solicitus sit oportet, ut Religiosorum vestimenta convenientia atque ad cujusvis sint staturam accommodata.

CAPUT L.

De egressibus è Monasterio.

EGressus è Monasterio nunquam Religiosis periculosi non sunt, eruntque omninò funesti, nisi diligenter in Dei præsentia sibimetipsis advigilent. Illos minimè affectent, neque naturali in illos propensione ferantur, sed ex solo obedientiæ incitamento, haud absque constanti proximorum suâ modestiâ ædificandorum proposito suscipiant omninò est necesse.

Sæpè sæpiùs usu venit, ut mundi species in imaginatione necdum omninò obliteratæ veterum intuitu objectorum renoventur. Eamobrem è Monasterio exeundum non est, nisi cum quodam Dei timore, neque inter sæculares, nisi magnâ cum circumspectione, ac de nobismetipsis diffidentia est commorandum.

Eorum nos instar gerere debemus, qui, per terras hostiles peragrare ubi debent, nunquam armis ad se tuendos comparatis instructi non sunt, aut instar illorum, qui per loca contagione infecta transire quando habent, antidotis necessariis solicitè se muniunt.

Directio.

Obedientia, Domine, ad modicum tempus è Monasterio egedi me jubet. Periculum illud est, quod de modica illa fit virtute, quam hactenus fortassis acquisivi. Verùm in te & gratia tua omnem fiduciam meam repono, fore sperans, ut in ista occasione, in qua ero extra meum elementum, instar piscis existentis extra aquam, tu me deducas & auxilio mihi sis. Imperfectum meum tu nosti: noli igitur permittere, ut de tui amore quidquam remittam, aut cordis mei puritas inde aliquid detrimenti patiatur. Quin potiùs fac, ut hoc ab obedientia injuncto munere non absque proximi ædificatione expleto ad desideratam solitudinem meam à mundo etiam, quam sim modò, amplius abalienatus revertar. Meas ergo tu, Domine, cogitationes, meos oculos, aliosque sensus ac meos gressus in tuo sancto timore deducere ac dirigere digneris. Virgo sacratissima, tuum quoq; humillimè imploro patrocinium ac tutelam.

Spiritus actionis istius in eo erit, ut bonus Religiosus à corde suo procul abigat omnem curiositatem, sequemetipsum in composita contineat modestia ac gravitate, conformando se illi, quam amantissimus ac divinus Salvator noster

noſter exhibebat, qua omnes intuentes, dum in humanis adhuc ageret, in admirationem rapiebat. Aut certè ob oculos ſibi proponet illam, quam Angeli ſancti exhibere conſueverunt, ubi Dei juſſu, cœleſti habitaculo ad modicum tempus relicto, hominibus ſeſe præbuere viſendos, Quanta tum quæſo in eorum aſpectu ac vultu innocentia ac dulcedo apparebat? Quàm eorum certi ac definiti erant ſermones? Quàm eorum intellectus à negotiationis ſuæ, illa expleta, ſpeciebus immunes atque expediti penitus erant? Quamobrem connitendum eſt nobis, & ipſis non minùs Angelis moderati ac modeſti ut ſimus.

Bonus etiam Religioſus religione ac rectæ conſcientiæ legibus obſtrictum putare ſe debet, ut bono ſit exemplo, caveatque, ne quid dicat, aut faciat coram ſæcularibus, quo ipſis ſcandalo aut Religioni vel tantillo probro eſſe poſſit. Id quod certiſſimè eveniret, ſi effrœnatiore licentiâ aut nimiâ ſenſuum diſſolutione profeſſionis ſuæ ſanctitati derogaret.

Eapropter meminerit verborum Salvatoris noſtri, qui ſcandaloſos cùm execraretur, ait: *Væ mundo à ſcandalis. Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Matt. 18.6

Meminerit nihilominus & illius, quod divinus ait Apoſtolus, ab omnibus nimirum illis,

qui vitam amplexati sunt Apostolicam, uti sunt Religiosi, bonum Jesu Christi odorem ubique
2.Cor.2. 15. diffundi, *Christi bonus odor sumus Deo in omni loco.* Illis etiam præcipit, ut coram hominibus æquè atque coram Deo inculpatos se exhibeant, minimam mali speciem caventes, ne cuipiam offendiculo cùm existant, ipsam professionem suam contemptui exponant. *Providemus*, inquit, *bona non solùm coram Deo, sed etiam coram Hominibus.* Et
6.8.22.
1.Thess 5. 22. alibi. *Ab omni specie mala abstinete vos.*
2.Cor.6. 3. *Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum.*

Hac in re sequetur, id quod in monitis habetur S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, quod nimirum bonorum Religiosorum Exemplum externùs sit unum è potissimis mediis, quæ habent Deum honorandi & animas lucrandi. Et verò nunquid ipsissimum istud est, quod verbis disertis præcipit divinus Magister noster,
Matt.5.16 ubi ait: *Sic luceat lux vestra coram Hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.*

Oculi in terram demissi unam è melioribus boni hujusmodi exempli, utpote singularis modestiæ, partem constituunt. Ne fortè, ut dicunt sancti Patres, inconsideratis aspectibus diversas quasdam species hauriamus, quæ deinde in cellula nostra molestiam haud exiguam pariant: *Si in civitatem aut vicum proficiscens, oculi tui deorsum aspiciant, ne hostes in cella tibi suscites.* Abbas Isaias orat. 3.

Domum reversus gratias aget Deo, quod ipsum ad dilectam solitudinem suam reduxe-

rit,

rit, hac vel simili ratione: "Domine Deus, "quàm possum humillimas ago tibi gratias, "quòd extra Monasterium purum tibi servien- "di desiderium in me conservaveris. Infinitam "tuam oro clementiam, ut omnes mihi noxas "ignoscas, quas ibi, quòd satis ad meipsum "attentus non extiterim, admittere fortè po- "tui. Me etiam, si placet, exime cunctis spe- "ciebus & imaginibus rerum, quæ meam su- "bierunt phantasiam, ut tuæ Majestati in spi- "ritus & cordis puritate me possim unire.

CAPUT LI.

De Religiosa Urbanitate.

HOnestas sive Religiosa urbanitas morum ac verborum elegantia non est merè humana, neque affectata, aut solo mundano more ac ritu usitata, sed partem constituit virtutis modestiæ, cujus prima functio in eo sita est, ut Religiosum in omnibus exterioribus suis exrationis regula perfectè componat in ordine ad seipsum, altera verò, ut honestum ipsum ac urbanum erga proximum constituat.

Nascitur illa è nobilissimis *charitatis* atque *humilitatis* virtutibus. Charitas enim est, quæ ubi proximi existimationem ac venerationem nobis suggerit, ei in omnibus honorem ac signa reverentiæ, pro meritis & cujusque conditione, ut exhibeamus impellit. Humilitas dum nobis minorem de nobismetipsis existimationem inspirat, aliorum nostræmet commoditatem in quavis occasione anteponere docet.

Duarum istarum præclarissimarum virtutum fructus, uti observat D. Thomas, est primò metuere, ne qua in re proximum offendamus aut contristemus ; ac deinde eâ cunctis facere ratione, qua ipsi fore putamus gratiora. *Dulcedo quædam affectus, qua quis horret omne, quod potest contristare.*

Urbanitas ergò non solùm consistit in officiosis verborum blanditiis, quas memoriæ quis mandaverit, neque in reverentiis & observantiis merè exterioribus, quas homines tantisper ingeniosi & acuti ludibrio habent, eas ex sola fictione ac duplicitate procedere haudquaquam ignorantes : sed consistit in quadam animi benigni ac pacati suavitate. Satis superque illam descripsisse atque etiam commendasse videtur Apostolus, ubi scribens ad Romanos illis ait : *Charitate fraternitatis in vicem diligentes : honore invicem prævenientes.* Rom. 12. 10.

Hugo à S. Victore vult, Religiosum sese cunctis amabilem exhibere, omnibus officiosum ac nemini molestum : quoniam proximo se reddere affabilem signum est, quod quis sit devotus erga Deum. *Omnibus est officiosus, nulli onerosus, quia devotus ad Deum, benignus ad proximum.*

Istiusmodi ingenii homines reperire est, ut illis innata sit urbanitas, quique absque alterius adjumento virtutis generosâ ac beneficâ inclinatione sint humiles, atque in illos, qui ipsos præcellunt, reverentes ; pares verò honore præveniant, atque illis denique, qui illis inferiores esse sese existimant, amabili quadam consuetudine ac familiaritate connitan-

tur

tur esse conjuncti. De istis haud immeritò dici potest, *gaudeant bene nati.* Quidquid hi faciunt, quidquid dicunt gratum est, quoniam in eo humilitas, simplicitas ac venustas relucet.

Alios econtrariò invenire est, qui ipso naturæ ductu sunt inurbani & agrestes, sive quia animo sunt viliori, sive quia minùs liberaliter instituti atque educati, sive quia arrogantes ac nimis inconditè suimetipsorum amantes existunt. S. Bernardus illos sub nomine præsumptuosi ita describit: *Præsumptuosus primus in conventibus residet, in consiliis primus respondet, non vocatus accedit, non missus se introducit, reordinat ordinata, reficit facta, quidquid ipse non fecit, aut ordinavit, nec rectè factum, nec pulchrè æstimat ordinatum.* De 12. grad. humil. Totidem istæ sunt notabiles inurbanitates, à quibus atque aliis etiam minoribus bonus Religiosus, tam inter Fratres suos, quàm inter Sæculares, studiosè cavere sibi debet.

In occasione mentem suam elevabit ad Deum hac ratione: " Domine, posside animum " meum, quem tibi offero atque illum ut di- " rigas oro. Rege linguam meam, ut inter " ea quæ in ista occasione, in qua plures er- " randi rationes occurrunt, dicere ac tacere " debeam, discernere queam. Fac, Domine, " gratiâ tuâ, ut hic proximo sim bono exem- " plo, eique placeam ad majorem tuam glo- " riam, atque ut de simplicitate mea ac spiritu " interiori vel tantillum ne remittam.

CAPUT LII.

De pulsatore campanarum.

A Conversatione atque officiis domesticis ad ea gradum jam facimus, quæ spectant ad Ecclesiam & Chorum; inter quæ primum est pulsatoris campanarum; hic etenim est, qui signum edit, atque officii divini horas distinguit.

Directio.

Gratias ago tibi, Domine Deus, quòd me „ ad istud officium, veluti præconem, aut buc- „ cinatorem tuæ gloriæ elegisti. Vis itaque, „ ego Fratres meos campanæ sonitu, juxta ho- „ rarum diversitatem ac solennitatis divini tui „ cultus discretionem ad tuas canendas laudes „ ut excitem. Hoc officio interiori cum devo- „ tione ad totius communitatis ædificationem „ fungi desidero. Divinam Majestatem tuam „ quàm possum humillimè oro, ut hanc gra- „ tiam per merita & preces Beatissimæ Virgi- „ nis mihi concedas.„

Spiritus istius actionis pulsandi campanas in eo consistit, ut illam qui obit, se consideret veluti Regni Dei, quod est sancta Ecclesia, administrum. Etenim campanarum pulsandarum ministerium sacrum est, ac veluti tale ab Episcopo imponitur in ordine ostiarii, qui unus est ex quatuor minoribus ordinibus.

Animadvertere debet nihilominus, campanas esse in Ecclesia peculiari solemnitate, pre-

cibus

cibus prolixioribus, aquæ lustralis, incensi, atque etiam olei sancti chrismatis adhibitione benedictas : quia instrumentum esse debent Spiritus sancti, quo tam interiùs, quàm sono exteriori Religiosi, Ecclesiastici aliique fideles ad adorandum ac laudandum Creatorem invitentur, atque in illis excitentur motus pietatis ac devotionis, quos alia instrumenta, quantumvis harmonica sint, nequaquam progenerant.

Ea consideratio zelum ipsius inflammabit, atque ubi suo defunctus fuerit officio intra semetipsum dicere poterit : "Utinam vocem "haberem instar campanæ sonoram, omni "qua possem contentione clamarem, ut orbem "terrarum universum ad communem Crea"torem nostrum adorandum, ac laudes ipsius "decantandas convocarem.

CAPUT LIII.

De illis, qui in officio divino dicunt sacras lectiones.

EST in Ecclesia Ordo Lectorum, quibus Episcopus in eorum inauguratione potestatem dat publicè legendi in Ecclesia Prophetarum oracula, sacræ Scripturæ lectiones, ac SS. Patrum expositiones.

Exhibendo illis librum tangendum, quemlibet monet, ut suo dignè fungantur officio, ut ostendat, illis, qui ad id muneris deputantur, connitendum esse, ut opus istud, quasi exigui negotium momenti, indifferenter ne suscipiant,

sed

sed magnâ peragant cum consideratione, *Accipe*, inquit, *& esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter & utiliter impleveris officium tuum, partem cum iis, qui verbum Dei bene administraverunt ab initio.*

Benedictio quam petit lector à Sacerdote priusquam lectionem decantet, dicendo: *Jube Domne &c.* ipsi in memoriam revocet oportet, primò nullum huic officio ex seipso & absque Ecclesiæ permissu debere se ingerere, ac deinde illi annexas esse gratias, quibus omninò opus habet, ipsum utiliter ut expleat.

Officium istud solis proprium non est Junioribus, sed etiam Senioribus convenit, imò & Superioribus ac Prælatis, qui ordine suo atque in certis Festivitatibus Responsoria ac lectiones in matutinis dicere debent. Episcopi, qui in suis Cathedralibus ritu pontificio chorum ducunt, ultimam lectionem decantant, veluti etiam factitant nostri Superiores, ubi in præcipuis festivitatibus in Ecclesiis nostris sacris solemniter operantur.

Illud igitur tantummodò discriminis intercedit, quod lectiones primi ac secundi, ut vocant, Nocturni à Junioribus dici debeant, illis, quæ tertii sunt, Diaconis ac Sacerdotibus reservatis. Istæ observationes faciunt, ut magni faciamus hoc officium, & sanctè elatas nobis cogitationes inspirant, illo perfectiùs ut fungamur.

Interior spiritus in eo situs est, ut gaudeamus, esse nos electos, ut isto munere, quantumvis exiguo, divini officii splendorem ac majestatem promoveamus,

Ut

Ut magno nobis ducamus honori, quod in sancta congregatione os aperire possimus, ut omnes nos audiant, quasi Dei nomine loquentes, atque si de quolibet lectorum diceretur illud Scripturæ sacræ: *In medio Ecclesiæ aperiet os ejus.* Ut à Deo petamus, in nobis ut adpleat id quod ibidem in contextu mox subjungitur: *Et adimplebit eum Dominus spiritu sapientiæ & intellectus*: ut bene percipiamus atque ipsi degustemus sensum verborum illorum, quæ auribus aliorum ingerimus. Eccli. 15. 5.

Ut cogitemus verba sacra, quæ per os nostrum transire habent, postquam nos purificaverint, similem vel etiam meliorem in Fratribus nostris, qui illa percipiunt, effectum habitura.

Directio.

" Domine, lectionem in choro dicere ha-
" beo, ubi vis, in adeò gravi adeoque sancta
" congregatione ego ut loquar, atque alii au-
" res mihi præbeant. Hoc munere meo dignè
" ad majorem tuam gloriam & communita-
" tis ædificationem defungi desidero. Gra-
" tiam tu mihi concede, ut eâ illam devotione
" pronunciem, ut & ipse eam præferam, atque
" illis, qui me audituri sunt, conciliem. Hanc
" etiam actionem meam, Virgo sacratissima,
" tuo honori devoveo.

Actus interiores.

1. Quid, Domine? linguam tu meam vis esse instrumentum, & vocem meam canalem, per

per quem sanctæ & consolationis plenæ veritates in aures & corda istius ad te laudandum congregatæ communitatis deriventur?

2. Nunquid magnæ in Religione mihi gloriæ est, quòd supremus atque infinitę Majestatis Deus, coram quo Reges terræ universi sunt quasi permodicæ formicæ, velit, ut os meum verba ipsius recitet ac pronunciet?

Prov. 8. 6. 3. *Audite, quoniam de rebus magnis locuturus sum: & aperientur labia mea, ut recta prædicent.*

CAPUT LIV.

De versicularijs.

CHorus in terra imago est Paradisi cœlestis; Illic Religiosi, ubi Deum collaudant, id faciunt, in cœlo agunt quod Angeli. Veluti in Paradiso cœlesti, ubi est Ecclesia triumphans, divinarum laudum exercitium eâ est ratione inter beatos illos spiritus distributum, ut ultra multitudinem, quæ chorum cœlestem constituit, sint, qui peculiariter præcinendis ac recitandis quibusdam canticis musicis, quæ ab aliis post ipsos repetantur, præficiantur; ita in choris Ecclesiæ militantis ad illorum imitationem sunt Versicularii, singulariter, veluti minores quidam Seraphini, ad speciali harmoniâ canendos in fine Hymnorum versiculos, atque in aliis Horis Responsoria, quæ totus chorus, quasi devotâ echone, repetit, destinati.

Evangelicus Vates Isaias in quadam visione vidit cœlum apertum, & celsissimam Dei Majesta-

jestatem in Throno suo considentem, ubi duo Seraphini voce contentâ cantabant vicissim: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloriâ ejus.* Isa. 6. 3.

Sanctus Joannes Evangelista in aliis visionibus consimilem officiorum in cœlo percepit distinctionem. Aliqui enim præcinebant *Alleluja*, quasi cæteros ad Deum glorificandum excitantes, quibus isti respondebant *Alleluja*. Alii profundissimâ cum adoratione, magno cum gaudio ac de infinita illius magnitudine complacentia canebant *Amen, Alleluja. Quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens.* Apoc. 19. 6

Ad eum modum duo Versicularii, veluti duo ferventes ac devoti Choristæ, ac veluti duo inflammati Seraphini, in medio Dei laudum subinde consurgunt, in medio chori conveniunt, ac facie versùs Altare, quod divinæ Majestatis thronus est, conversâ suaviori harmoniâ ad ipsius æternam laudem gratum quoddam canticum præcinunt, quod cæteri Religiosi omnes repetere habent.

Huic muneri haud idcircò duntaxat destinantur, ut ipsi sanctum ipsius nomen exaltent, atque excellentissimæ magnitudini illius palàm faciant ardentia amore ipsius exæstuandi desideria; verùm etiam, ut in aliis suaviori concentu similes affectus commoveant, & excuant. Ea etiam de causa ita fit, ut attentionem & fervorem suum redintegrent, quò sic absq; ulla remissione ac fastidio laudum ipsius exercitium continuent.

Roma-

Romanum Martyrologium ad diem quintum Aprilis meminit martyrii cujusdam junioris Choristæ in Africa, cui id felicitatis obvenit, ut interficeretur sagittâ, quæ ab aliquo infideli in ipsum in Ecclesia ejaculata jugulum ipsius transverberavit, cùm in ipsa solemnitate Paschali in pulpito coram toto populo concineret *Alleluja*. Quantæ, quæso, felicitatis erat, quod absolutum atque æternum in Templo cœlesti continuatum ibat *Alleluja*, quod in Templo terrestri inchoaverat?

Spiritus istius officii in eo consistit, ut nosipsos occupemus atque excitemus hujusmodi bonis cogitationibus: ut omni studio ac diligentiâ ad ipsum nos comparemus: ne quos fortè admittamus errores, quibus Dei honor imminueretur, & in choro congregata societas in illius cantandis laudibus fastidio afficeretur; ac denique ut ipso certâ quadam cum lætitiâ & corporis animique vigore defungamur.

Directio diversa non erit ab illa, quæ generatim, antequam divinum cantari incipiat officium, solet præmitti: Verùm ecce

Quædam mentis elevationes.

1. Vellem equidem, Domine, habere attentionem ac fervorem Seraphinorum, quorum vicem in choro repræsento.

2. Age, anima mea, sanctâ quadam cum lætitiâ agamus & cantemus: omni studio omnes observemus ceremonias, ac venustatem nobis commendatam, exemplo nostro totum ut chorum ad devotionem animemus.

Bene

Bene cane, frequenta canticum, ut memoria tui sit coram Domino. Isa. 23. 16.

Cantabo Domino in vita mea: psallam Deo meo, quamdiu sum. Ps. 103. 33. 34.

Jucundum sit ei eloquium meum: ego verò delectabor in Domino. ibid.

Exultabunt labia mea, cùm cantavero tibi: & anima mea, quam redemisti. Ps. 70. 23.

CAPUT LV.

De Cantoribus.

OFficium est in domo Dei perquam honorificum aliis in concinendis illius laudibus præire. Pientissimus Regum David ad istud officium tres elegit, quos in Regno suo invenire potuisset aptissimos ac devotissimos, quos aliorum Magistros constituit, 1. Paralip. c. 25. Isti permagnâ pietate suâ verè Prophetæ ac spiritu Dei afflati esse meruerunt, ut ipsi Psalmos componerent, qui inter illos centum quinquaginta, Davidis Psalterio qui continentur, eorum nominibus insignirentur, *Psalmus Asaph* & aliorum.

Optimus Galliarum Rex Robertus dignitati suæ Regiæ vel tantillũ decedere minimè autumabat, quòd ipse in Ecclesiis, in quibus ipsum adesse contingeret, hoc Cantoris officio fungeretur: quin potiùs permagno id sibi honori ducebat, eoque plurimùm oblectabatur. Literas enim & artẽ cantandi adeò perfectè addidicerat, ut verba æq; atq; notas composuerit complurium Antiphonarum, Responsoriorum ac Prosarum, ut vocant, quę usq; modo in Ecclesia

decantantur. Atque ubi Cathedralem, Abbatialem aut Parochialem aliquam Ecclesiam subiisset, liberè accepto superpelliceo & cappa officio Cantoris fungebatur.

Qua in re pietatem imitabatur sanctissimi Regis Davidis, qui aliquando hanc sibi laudem assumebat, ut septem Choris, quos ordinaverat, in Arcæ fœderis translatione ut concinerent, ipse præsideret. Indutus Ephod, quæ vestis erat hominum Deo consecratorum, ipse totis viribus concinebat: quantumvis Michol uxor ejus hanc esse existimaret quandam Rege, qualis ipse erat, indignam abjectionem. Ipse verò ad derisoriam, quam illa idcircò objiciebat ei exprobrationem, respondit fore, ut in Dei obsequium ampliùs se deprimeret, hancque dejectionem sibi semper existimaturum perquam gloriosam. *Vilior*, inquit, *fiam, plusquam factus sum, & ero humilis in oculis meis: -- glorioſior apparebo.* 2. Reg. 6. 22.

Atque idem Rex in ultimo vitæ spiritu constitutus quoad ultima verba sua alio titulo noluit insigniri quàm præclari *Cantoris in Israël:* atque si omnium aliorum, quibus jamjam orbandus erat, oblitus fuisset, quoniam in alteram secum vitam asportare nil aliud poterat, quàm gloriam divinas laudes in perpetuum illic concinendi. *Hæc sunt verba David novissima. -- Dixit -- Egregius Psaltes Israel.* 2. Reg. 23. 2.

Cantori devoto unum faciendum atque alterum omninò cavendum. Zelo quodam bono, quo cupit divinam honorari Majestatem, præsentes verò ad insignem excitari devotionem, ex eo, quòd rectè & ad harmoniam canat, aliquam

aliquam percipere potest voluptatem : cavere tamen debet vanitatem ac vocis suæ ostentationem.

Voluptas ex grata cantici modulatione percepta non solùm innoxia, verùm etiam laudabilis est, si modò omnem gloriam Deo tribuamus, ac proximi spectemus ædificationem. Adeò quoque utilis est, ut tentationem tædii ex officio divino capiendi præveniat. Fructus & effectus est sancti fervoris, uti patebat in bono illo Religioso, quem devotus Thomas à Kempis multis laudibus prosequitur, quòd aliquando cùm in Dominica Palmarum totum nocturnum ac temporis matutini officium, indeque quatuor integras horas in prolixa supplicatione, ac post in solemni sacro cantanda concinuisset, magnâ cum lætitia affirmaret, esse sese ad rursùm incipiendum comparatum.

Fervens Cantor omnes alios Religiosos bono exemplo suo inflammat, ac postquam in corde suo devotionis & amoris ignem excitârit, in omnibus in Ecclesia præsentibus eundem succendit : quia homo corporeus rebus sensilibus, uti sunt Ecclesiæ graviter & harmonicè concinnati concentus, permovetur.

S. Augustinus initio conversionis suæ illo ita commovebatur, ut magnam etiam vim lachrymarum profunderet. Sic enim in Confessionibus suis ait : *Reminiscor, Domine, lachrymas meas, quas fudi ad cantus Ecclesiæ tuæ in primordiis recuperatæ fidei meæ.* Ac deinde harmonici cantus institutionem collaudans subjungit : *Et nunc ipso commoveor non cantu, sed rebus, quæ cantantur, cum liquida voce*

& modulatione convenientissimâ cantantur, magnam instituti hujus utilitatem rursùs agnosco. Lib. 10. c. 33. Ex alia verò parte illi, qui cantu suo *vanam gloriâ* aucuparentur, non Deum sed seipsos laudarent, eaq; ratione omne actionis suæ meritum amitterent. Neq; enim vocem nostram molliter polire, sed plenè & graviter debemus effundere, veluti in nostro Rituali codice præscribitur hisce verbis: *Observabunt Cantores omnimodè, ne vocum harmonia, quæ ad pietatem augendam instituta est, aliquid levitatis aut lasciviæ præ se ferat: quo potius audientium animos à rei divinæ contemplatione avocet, quam inclinet. Eorum ergo sit devota, distincta & intelligibilis modulatio.* Lib. 1. Rub. 13. n. 5.

Perfectio itaq; Cantoris in eo sita est, ut cantet non labiis duntaxat, sed & spiritu, exemplo Apostoli, qui dicebat: *Psallam spiritu, psallam & mente.* 1. Cor. 14. 15. Qui enim modo veluti mortuo & absq; spiritu interiori concineret, ad summum foret instar campanæ, quæ reverà suo sonitu quem reddit, munus suum obit, at ille vitâ caret, & in aëre evanescit.

D. Augustinus fidem facit, esse complures, qui cantent voce, at corda habeant omninò muta, cum alii econtrariò ora conclusa habentes interiores affectus suos elatâ voce proloquantur: quia Dei aures ad cor hominis, quàm ad vocem multò sunt attentiores. *Quam multi,* inquit, *sonant voce, & corde muti sunt: & quam multi tacent labiis & clamant affectu? quia ad cor hominis aures Dei.* In Psal. 119.

Ad

Ad ordinariam pro officio divino *directionem* Cantor hanc addet mentis elevationem: " Mi Deus, omni vocis meæ contentione te laudare, atq; ad idem faciendum Fratres meos " excitare universos omninò desidero, atque id " ipsum majori, quàm unquam ab aliqua tuarum sive in cœlo, sive in terris laudatus fueris creaturarum, facere devotione percupe- " rem. Functionem hanc meam, quam obitu- " rus modò sum, eodem tibi spiritu offero atque eodem honorandi Majestatem tuam desiderio, quo omnes, qui tibi in hac Religione " nostra ab illius origine ad hanc usq; horam " extiterunt gratiores, id præstiterunt. Tu mihi, Domine, vel tantillam impertire portionem ingentis illius amoris, quo te ipsi collaudarunt, ut præsens intentio mea negligentiâ " aut socordiâ meâ neutiquam depravetur, neque ullâ propriâ complacentiâ aut vano respectu humano commaculetur. Virgo sacratissima, tuæ laudes sunt, quas cum laudibus " Creatoris ac Filii tui Redemptoris nostri concinimus, hanc igitur mihi gratiam tu exora,

Exercitatio interior.

Satis penè superque est, si ad literam attenti, illam interiori affectu animemus. Exempli gratiâ:

1. Cantando *Venite exultemus* &c. ipsum pronunciabimus affectu simili illi, quo Author Psalmi exæstuabat. Omnes nimirum præsentes ad Deum collaudandum, ad gaudendum de ipsius magnitudine, atque ad illum nobiscum adorandum, sive ob infinitam ipsius Majestatem, sive in grati animi significationem,

quòd nos ex nihilo condiderit ac vitam nobis dederit in nostra creatione, quòd providentiâ suâ nos etiam modò conservet, quòd per veram ac vivificam fidem Christianos, ac singulari vocationis gratiâ esse fecerit Religiosos &c. invitabimus

2. Cantando *Benedicamus Domino* ardens in cordibus nostris concipiemus desiderium divinæ Majestati reddendi ac reddendas curandi gratiarum, ob innumera ipsius beneficia, actiones,

3. *Intimando Antiphonas* in corde dicere poterimus illis, quibus eas commendamus: Participes estote Dei laudum. In illis vestram obite functionem. Modica verba vestra ibi
Ps. 21. 24. proferte, ac tesseram reddite. *Qui timetis Dominum, laudate eum.*

4. *Hymnos & Psalmos inchoando* bonam nostram intentionem ac fervorem renovare
Ps. 117. 28. poterimus intra nosmetipsos dicentes: *Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu & exaltabo te.*

Ps. 68. 31. 5. Aut certè *Laudabo nomen Dei tum cantico & magnificabo eum in laude:* atque si diceremus: vellem voci meæ majorem dare ut possem amplitudinem, ut ampliori cum magnificentia Deum meum laudarem.

9. De reliquo dispositionem nostram interiorem temporibus, Dei Domini nostri illiusq; sanctissimæ Matris mysteriis, diversis sanctorum Apostolorum, Martyrum, Episcoporum, Doctorum, Ordinum Religiosorum Patriarcharum, Confessorum, Virginum, præcipuorum Ordinis nostri cœlitum Patronorum nostro-

strorum festivitatibus accommodabimus, ad quorum honorem officio nostro meliori, qua possumus ratione, defungi connitemur.

7. Tempore Adventus venerabimur mysterium Incarnationis Filii Dei, illiusque novem mensium in utero virginali sanctissimæ Matris suæ habitationis.

In festis Natalitiis ipsum in præsepio reclinatum adorabimus, & cum Angelis laudibus celebrabimus.

Deinceps usque ad festum Purificationis B. Virginis sanctissimam illius infantiam honorabimus.

In Quadragesima, quod tempus pœnitentiæ est, ipsius jejunium atque in solitudinem secessum colemus.

Tempore Passionis ipsius cantu nostro blasphemias & convicia Judæorum adversùs ipsum sarcire satagemus.

In triumphalibus Resurrectionis & Ascensionis illius festivitatibus, perque earundem Octavas animis intuebimur gaudium ac magnificentiam maximam ex hujusmodi mysteriis etiamnum existentem in cœlis, quò nostra dirigemus desideria, nostras beatorum cœlitum vocibus conjungentes.

In festis & officiis sanctissimæ Dei Genitricis Matris nostræ, illius venerandæ causâ, cum omnibus sanctis viris ac mulieribus, qui majore in ipsam devotione aliàs ferebantur, nos affectu jungemus.

In festo Corporis Christi & per Octavam in rectè cantando triumphare connitemur, Dominum nostrum Jesum Christum in sacra Ho-

stia, loco eorum qui facere negligunt, atque ad Hæreticorum incredulorum confusionem, adorantes. Atque ita de aliis temporibus ac festis per anni curriculum.

Actus interiores.

1. Scio equidem, Domine, te, qui ex te ipso „ æternùm beatus es, ac glorioſus, laudibus no- „ stris non egere. Verũ nos illis opus habemus, „ ut in nobis excitemus spiritum devotionis, at- „ que à nostra in tuo servitio socordia nos eri- „ gamus. „

2. Sine, Domine, nostræ voces ut uniantur „ laudibus, quas beatæ mentes ab orbe condito „ tibi deferunt. Diu illæ noctuque clamare „ Apoc. 4. 8. non desinunt: *Sanctus, sanctus, sanctus Do-* „ *minus Deus omnipotens, qui est, qui erat &* „ *qui venturus est.* „

3. Æquissimum sanè foret, anima mea, ut „ continuò nosipsos occuparemus laudanda „ celsissima Majestate illa, quam indesinenter „ collaudant Astra matutina, hoc est Angeli „ sancti, qui primæ ac nobilissimæ creaturarum „ existunt. Æquè etenim atque illos nos su- „ premus rerum opifex creavit, nos conservat, „ gratiisque suis millenis modis locupletat, at- „ que tandem ad eandem gloriam nos destina- „ vit, ut proinde eadem, qua ipsi, ratione ob- „ stricti ei simus. At quoniam mortale corpus „ istud obstaculo nobis est, saltem hac hora ex- „ actè officio nostro defungamur. „

4. Gratias ago tibi, Domine, quod mihi „ in domo tua adeò honorificum, atque istud „ est, officium demandare voluisti. Insuper „ oro te, spiritum, fervorem & habilitatem „

mihi

" mihi concede, ut illo ad majorem tuam glo-
" riam defungar.

5. " Vellem, ut vox mea satis valida ac satis
" foret penetrabilis, ut usque ad ipsos cœlos,
" atque usque ad extremos terræ limites audiri
" possem, dum gloriæ tuæ Hymnos præcinere
" incipiam.

6. " Saltem rogo te, ut ope ac benedictio-
" ne tuâ sanctâ id efficias, illos, qui me audie-
" rint, ad te collaudandum ac venerandum ex-
" citare ut queam.

7. " Offero tibi hoc meum desiderium,
" quod in mea impotentia atque indigentia
" refugio mihi est. Accipe, Domine, in unione
" illius permagni amoris, quo Sanctus, de quo
" officium facimus, te laudavit, oravit ac glo-
" rificavit.

8. " Angele sancte, cujus curæ amore ple-
" nissima Patris mei cœlestis providentia me
" commisit, hac horâ peculiariter mihi opitu-
" lare, atque in officii istius executione me di-
" ge, ut omni in illo errato immunis persistam.

CAPUT LVI.

De Organœdo.

ISius administer officii in divinis officiis tantundem solus, quantum chorus præstat universus.

Finis, quem organum suum pulsando sibi præfigere habet, in eo est, ut reliquis inspiret devotionem, eorumque corda permoveat, atque in Deum attollat. Illius enim exercitium laudum divinarum partem constituit, ac proinde

genuinus est actus Religionis. Quantæ igitur culpæ reus foret, si abjecta de illo collaudando & præsentibus ad devotionem accendendis cogitatione, amore quodam suiipsius organi sui duntaxat harmonico sono oblectaretur, aut aures tantummodò audientium demulcere, atque hominum existimationem aucupari satageret? Nunquid id sacrum prophanare ministerium foret?

Spiritus actionis istius in eo consistit, ut illam qui obit, ipse induere connitatur affectus devotionis, quam in aliis excitare contendit, atq; in ista interiore dispositione organo suo festis aut mysteriis, quæ illis repræsentantur, congruâ ratione ac modulatione personabit,

Directio.

Domine mi Deus, quoniam divinæ tuæ „ placuit Majestati ad istud me vocare officium, „ quod ad majorem tuam gloriam & fidelium, „ qui tuis hic laudibus adsunt, spectat ædificationem, illo fungi desidero purâ te honorandi, & corda eorum, qui me audierint, ad „ interiores, quos tu illis tuâ gratiâ impertiri „ voluisti, affectus recipiendos præparandi, intentione. Aliis quibusvis respectibus & ambitionibus renuncio, per tuam propriam te „ gloriam obtestans, ut mentem meam ac manus meas ita dirigas, tibi ut placeam, omnes „ præsentes ad pietatem ac devotionem accendam, ac sanctissimam voluntatem tuam perficiam. Virgo sacratissima, quoniam è tuæ „ sum Ecclesiæ administris, tuis mihi quæso „ precibus opitulare. „

Occu-

Occupatio interior.

1. "Æquum est, Domine, ut Ecclesia militans, quantum quidem potest, Triumphanti "se accommodet. Tuis tu Sanctis in tuis divinitùs ipsis patefactis arcanis ostendisti, esse in "Templo cœlesti admirabiles sonos veluti citharis atque aliis musicis organis scitissimè "canentium: *Audivi vocem de cœlo.* --- *Et* Apoc.14.2 "*vocem quam audivi sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis.*

2. "A tuis, Domine, laudibus canendis nullo unquam nos tempore oporteret desistere: "at organa vocum fatigantur, atq; eo aliquando usq; debilitantur, ut suo ulteriùs defungi "non queant officio, cum organa pneumatica "pulsu ac sono suo nunquam defatigentur. Ita "ars opem fert naturæ succumbenti, ut laudes "tuæ, quamdiu quis voluerit, producantur.

3. "Si qua laude liceret frui in hoc mundo, "illam expeterem, hujus artis peritissimus ut "evaderem. Illâ saltem imprimis oblectabor, "ubi in domo Dei ac sanctissimæ Matris illius "locum hunc obtinebo.

4. "*Constituerunt de fratribus suis Can-* 1.Paralip. "*tores in organis Musicorum, ut resonaret in* 15,16. "*excelsis sonitus lætitiæ.*

CAPUT LVII.

De Crucifero in supplicationibus.

SAcra exercitui assimilatur Ecclesia, *Terribilis ut castrorum acies ordinata.* Eam ob causam *militans* appellatur: quia omnes ipsius filii sibi belli jure parere connituntur Regnum Cœ- Cant.6.9.

lorum,

borum, quod acquirere nemo potest, nisi sibi inferat violentiam, cum vitiis dimicando, atque ea debellando, cujus certamin s victoria difficilior atque incertior est illâ, qua de hostibus visibilibus quis reportat.

Officii istius administer cogitare atque animo fingere potest, meliores ac selectiores istius spiritualis militiæ copias esse Religiosos. Quilibet Ordo Religiosus in Provincias & Conventus, veluti in totidem legiones, & centurias, sive cohortes distribuitur. Superior est veluti Præfectus sive veluti Centurio, illius verè Subcenturio est Supprior, at Crucifer est Vexillarius. Primus ipse incedit, velut is, quæ cæteris omnibus officio præit.

Directio.

Domine Jesu, humillimas ago tibi grates, „ quod me elegeris, tuam sanctam crucem ut „ portem. Eo munere eâ devotione interiori „ eaque exteriori modestiâ, quæ me decet, de- „ fungi desidero, ut tibi placeam & proximo „ bono exemplo præluceam. Hanc gratiam „ per merita sanctissimæ Matris tuæ te oro. „

Occupatio interior consentanea erit causæ supplicationis, quin illam aliunde petere sit necesse. Si enim illa instituitur in honorem gloriosissimæ Virginis Dei genitricis lætabitur, hac illam ceremoniâ venerari quod queat. Si in honorem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti, gaudebit, quòd in hoc operam suam ad augendam conferre possit solemnitatem. Quod si generalis sit urbis totius pro aliqua communi necessitate supplicatio, Jesum Christum cruci suffixum offeret æterno Patri dicens: *Protector noster*

ster aspice, Deus: & respice in faciem Christi tui. Ps. 83. 10.

Actus interiores.

1. "Crux tua, Domine, trophæum est tua-
"rum de Dæmonibus ac peccato reportata-
"rum victoriarum. Eapropter illam porto
"cum pompa ac magno reverentiæ affectu.

2. *Ecce crucem Domini, fugite partes adversæ.*

3. "Honori haud vulgari mihi duco, quod
"primus in fronte sanctæ hujus progredior
"turmæ, in qua sunt egregii divinæ Majestatis
"tuæ ministri, quorum singuli eximias ad mà-
"jorem tuam gloriam obeunt actiones, quiq;
"in victoria de seipsis reportanda constantes
"existunt, ut coronam promereantur immor-
"talem.

4. "Divinus Redemptor noster ipse crucem
"suã portabat in tristi ac funesta Calvariæ pro-
"cessione, ubi primus ipse cùm progrederetur
"cunctus eum populꝰ sequebatur. Agite ergo
"Fratres mei, ecce vobis Jesu Christi crucifixi
"effigié exhibeo: me subsequimini: illiꝰ insté-
"mus vestigiis, suas singuli cruces verâ mortifi-
"catione gestantes, illiusq; exemplo ad magna
"in Regis nostri cœlestis obsequium facienda
"ac perferenda nosmetipsos accendamus.

5. "Generosum me, Domine, militiæ tuæ
"bellatorem constitue. Verum ac genuinum
"meimetipsius odium concede, ut locum
"quem teneo promerear, meipsum nempe ut
"abnegem, & magno animo contra perversas
"inclinationes meas incedam.

6. "Quoniam isto in officio primus omniũ
"in conspectu præsentium, qui intuentur nos,

pro-

procedo, uti debeo, ita volo præ omnibus „ Religiosiorem atque insigniorem præferre „ modestiam. „

CAPUT LIIX.

De Altaris ministeriis.

INdustriâ ac puritate nobis Angelicâ opus foret, ut dignè sacri Altaris occupari possemus ministeriis. Sanctorum præcipui illa haud absque magno susceperè tremore, quanta ergo cum devotione, quantâque nos obire illa reverentiâ oporteret? Satius est, cujusque considerationi id permittere, quàm demissiùs de eo disserere.

Directio pro sacri ministerio.

Domine Deus infinitæ Majestatis, permagnâ tuâ me vocas bonitate, ut divino ministerium exhibeam sacrificio, in quo Salvator „ meus, Filius tuus, denuò ex amore se tibi immolabit. Exiguum hocce ministerium meum „ habere digneris acceptum, ac sinere, ut ipsi „ me uniendo tibi quoque omninò me sacrificem. In istius immensum in modum pretiosi „ sacrificii virtute, gratias mihi præ reliquis necessarias, ac speciatim, ut intimo animi sensu „ orationis studiosior Religiosus existam, impertire. Fac, Domine, in ista actione câ devotione, attentione ac modestiâ ut me geram, „ quam tantum, omninoq; ineffabile meretur „ mysterium. Virgo sacratissima, quæ cruento „ Crucis sacrificio præsens astitisti, tuq; gloriosissime cœli civis, in cujus venerationem officium hodie divinum peragimus, vestris, oro, „ mihi precibus opem ferte, istam mihi gratiam „ ut obtineatis. „

Ut

Ut actionem istam eo devotionis ac pietatis spiritu ac sensu, quo ab homine fieri potest mortali, obeamus, opus est quàm maximè reverenti attentione, non solùm ad ipsum mysterium, verùm etiam ad ceremonias, ut illas convenienti cum venustate atque ea, si fieri queat, servemus ratione, qua faceret Angelus, si corpus haberet,

S. Chrysostomus lib. 6. de Sacerd. c. 4. fidem facit, beatos illos cœli Angelos catervatim, dum sacratissimum peragitur sacrificium, circum sacrum Altare circumsistere. Sacri ergo minister animadvertat oportet, se esse in medio eorum, ideoque devotione quoq; ac modestiâ sibi opus esse Angelicâ. Etenim si tantoperè veneramur stabulum Bethlemiticum, montem Calvariæ, sanctum sepulchrum Dominicum, aliàque loca sacra, in quibus vel semel moratus fuit Dominus ac Salvator noster, qua gravitate, quaque reverentiâ assistere debemus sacro Altari, in quo pretiosissimum corpus ipsius reverà quotidie immolatur?

Eadem directio eædemque considerationes usui erunt Acolythis sacris solemnibus ordinariis, in quibus Thus non adoletur, ministrantibus.

Pro Thuriferario.

Directio.

" Confiteor equidem, mi Deus, haud esse
" me dignum, ut tuo ministrem Altari, ad quod
" nemini accessus esse debere videtur permis-
" sus, nisi illis, qui suam inviolatam conservâ-
" runt innocentiam, quiq; tui imprimis amore

exæstu-

exæstuant. At quoniam permittere non de-„
dignaris, ut & ego ministerio nunc Angelico„
defungar, portans tibi incensum offerendum,„
oro te, ut cor meum purifices, mihiq; devo-„
tionis gratiam impartiaris, ut eo sensu animi„
interiore, eaq; exteriori ratione illud obeam,„
ut tibi complaceam & præsentes ædificem.„
Hanc mihi & tu gratiam obtine sacratissima„
Virgo Maria.„

Quantumvis istius administer officii totus esse debeat intentus, ut singulas ceremonias ritè perficiat, connitendum nihilominus est illi, ut & cor attollat interiùs considerando: 1. Quod in terris eo ipse fungatur officio, quo sanctus Joannes Evangelista Angelorum primos fungentes vidit in cœlis. Idem Deus est, qui ab Angelis in cœlis, & à nobis hominibus adoratur in Ecclesiis. Eapropter dum obit munus suum in seipso efformare connititur cor omninò cæleste. *Alius Angelus venit, & stetit ante Altare Dei habens thuribulum aureum: & data sunt illi incensa multa. -- Et ascendit fumus incensorum -- de manu Angeli coram Deo.*

Apoc. 8. 3. 4.

2. Magno prætereà sibi ducit honori, quod non solum portet ac Sacerdoti ministret thuribulum, ut Altare suffitu suo perfundat, verùm etiam ipse Salvatorem ac Dominum nostrum in Hostia sacratissima præsentem in Elevationibus sub sacro, in supplicationibus, in quibus sanctissimum hoc Sacramentum circumgestatur, atque cùm Sacerdos illo in manus sumptò populo benedicit eodem thuris suffimento veneratur.

3. Ubi sacrorum officiorum Administris, alios

aliisq; in Choro præsentibus reverentiæ causâ thus adhibet, corda eorum divini istius odoris suavitate ad Deum attollere conatur, veluti suffitum istum divina Scriptura *Thymiama suavissimum & odorem divinum* appellat. Odor enim thuris omninò sanctus est, quòd propriũ sit ei corda eorum, qui ipsum percipiunt, perquam suaviter ad devotionem componere.

4. Incedendo per Ecclesiam, vel ad alia officii sui munia obeunda se conferendo gravem & Angelicã servare studet modestiam, id mente ruminando, divinus quod Apostolus ait: in hujusmodi divinis functionibus non hominum duntaxat, sed & ipsorum obtutibus expositos nos esse Angelorum. *Spectaculum facti sumus mundo & Angelis & hominibus.* S. Ambrosius sinere nolebat, ut quidam Clericus Ecclesiæ suæ coram ipso ullum sacrum munus obiret, quoniam ipsius prompto, subaspero atque incomposito gressu offensus fuisset. *Quia*, inquiebat, *velut quodam insolentis incessus verbere oculos feriret meos*, l. 1. de offic. c. 18. 1. Cor. 4. 9

De Ceroferariis.

Ipso nomine ipsorum exprimitur officium, quod est accendendi cereos in Altari, eosque etiam accensos in candelabris deferendi per omnia loca illa, per quæ deferri ordinat Rituale:

Directio.

"Domine Deus, quoniam vis & jubes, ut ce-
"reum accensum deferã ad sacrum Altare tuũ,
"atque ad alia festivitatis illius officia, oro te,
"hanc mihi ut gratiam concedas, ut ea officio

hoc fungar reverentia, quæ tuæ debetur Ma-„
jestati, coram qua comparendum est mihi, il-„
lamque quoq; servem modestiam, quæ con-„
venit ineffabili dignitati sacrificii sacratissimi „
corporis & sanguinis filii tui Domini nostri, „
atq; aliorum Ecclesiæ officiorum sanctitati. „
Operam eò conferre meam desidero, ut fe-„
stum istud congruentissimâ celebretur cum „
solemnitate. Fac, obsecro, ipse ut interiùs to-„
tus in lumen evadam, ac vita mea ut exteriùs „
bonis exemplis reluceat, quo ita hoc munere „
meo indignè ne defungar Hoc oro te per me-„
rita Domini nostri Jesu Christi, & per inter-„
cessionem sanctissimæ Matris illius, nec non „
Sancti illius, cujus hodie festum diem pera-„
gimus. „

Interior ipsorum dispositio eximiè exprimitur verbis exhortatoriis ab Episcopo in ordinatione Acolythorum, quorum imprimis est istud obire officium, prolatis, quorum hic aliqua adducemus, quæ aspirationum argumenta suppeditent.

1. *Studete, filii charissimi, susceptum officium dignè implere; Non enim Deo placere poteritis, si lucem Deo manibus præferentes operibus tenebrarum inservietis.*

2. *Abjiciatis opera tenebrarum, & induamini arma lucis. Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate.*

3. *Quæ sit verò ista lux, quam tantoperè inculcat Apostolus, ipse demonstrat subdens: fructus enim lucis est in omni bonitate, & justitia, & veritate.*

4, *Estote*

4. *Estote igitur soliciti, ut & vos, & alios, & Dei Ecclesiam illuminetis.*

5. Deinde in quadam oratione idem Episcopus ita precatur: *Lumen visibile manibus præferentes, lum. ẽ quoq; spirituale moribus præbeant adjuvante Domino nostro Jesu Christo.*

6. Et in alia: *Sanctis Altaribus tuis fideliter subministrent. Accende, ô Domine, mentes eorum & corda ad amorem gratiæ tuæ, ut illuminati vultu splendoris tui fideliter tibi in sancta Ecclesia deserviant.*

De eo, qui in majoribus supplicationibus portat aquam benedictam.

Primus omnium procedit aquâ hujusmodi sanctâ loca, per quæ transit supplicatio, ternis quibusque passibus aspergens. Pars ea est functionum Exorcistæ, qui unus est è quatuor minoribus in Ecclesia Ordinibus. Illum subsequitur Thuriferarius eadem loca thuris suffitu fumigans, quasi ambo loca illa præparatarent, benedicerent, sanctificarent ac suavissimo odore perfunderent. Imitari id est divinum Salvatoris nostri Præcursorem, qui viam illi præparabat, juxta id quod vaticinatum de illo fuit: *Et tu, puer, Propheta altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.* Luc 1.76

CAPUT LIX.

De Junioribus Professis.

NUllo unquam fermè tempore visum fuit, Novitium relaxatum ac tepidiorem à sua Professione evasisse ferventiorem. Quin potiùs econtrariò nimio (eheu!) frequentiùs est vi-

dere Novitios ferventes ac recollectos, qui à sua Professione de disciplina Religiosa atque collectione plurimùm remittant. Nostra jam tum ætate contingit, quod circa mundi finem eventurum Salvator noster prædixit, ubi ait: *Refrigescet charitas multorum.* Verùm enim verò illic etiam mox nobis commendat in bono constantiam, ubi solam illam esse affirmat, cui corona debeatur immortalitatis. *Qui autem perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit.* Junior sanè Religiosus plurimùm ab illa abest in finem usque perseverantia, qui jam tum ab initio de suo fervore ac Religiosa disciplina haud parùm remittit.

Matt. 24. 12.

In quibusdam hujusmodi remissioni causam præbet naturæ ipsius fastidium, quæ mortificationem ut subterfugiat & futili excusatione conscientiæ assentetur, falsis se obtentibus tegit. In aliis verò efficit perversum eorum, qui disciplinæ solutioris jam sunt, exemplum, cui humano quodam respectu, ut ipsis ne displiceant, aut eorum irrisioni se exponant, conformare se student. Atq; in aliis etiam solutionem hanc pariunt perversa ac pernicioſa placita seu effata, quæ audiunt omninò contraria illis, quibus fuerant in Novitiatu imbuti.

Næ isti vitæ ac disciplinæ jam solutioris Religiosi perversorum hujusmodi effatorum disseminatores sunt æquè è falsis Prophetis, à quibus cavendum nobis monet cœlestis Magister noster, atque erunt Antichristiani illi, qui in fine mundi apparebunt, quia illi æquè atque isti loquuntur & agunt contra Evangelicas veritates, atque animas in interitum præcipi-

cipites agunt, *Multi Pseudo-Prophetæ surgent & seducent multos.* ibid.

Hujusmodi homines nunquam defuere in Religiosis Ordinibus, ac veluti Ecclesia, quantumvis sancta atque immaculata Christi Jesu sponsa, semper in sinu suo habuit perversos Christianos, qui verbis Jesum Christum confitentes operibus negaverunt: ita Religiosi Ordines, quantumvis Sancti, immunes haud sunt ab imperfectis Religiosis, qui moribus suis professionis sanctitati plurimùm derogarent. Inter perversos Christianos reperire est Hæreticos, qui ad dissolutam vitam suam suos quoque addiderunt errores. Ita inter imperfectos Religiosos reperire est, qui ad sensualem atque effrenatam vitam suam adjiciunt perversa dogmata ac effata, quibus simplices atque innocentes corrumpant animos Juniorum, nisi hi præmuniantur ac studiosiùs sibi omninò invigilent. Id quod facit, ut sicut in mundo intemperans quidvis agendi licentia, hæresisque à majoribus ad posteros derivata traditione continuatur: ita plerumque in Religiosis Ordinibus sint aliqui solutioris disciplinæ, qui quandam sectam constituant, atque tam exemplis quàm verbis virtutum claustralium, austeritatis, vitæ interioris, suimetipsius contemptus, simplicitatis aliarumque, quas ipsi in Novitiatu exercuerunt, & per Professionem amplexati fuerunt, meritum extenuent aut enervent. At verò sicuti sanctus Apostolus ait: oportere esse in Ecclesia hæreses, ut fides probetur Electorum: ita dicendum quoque à Deo permitti in Religione esse sectam immortificatorum,

ut probetur eorum fidelitas, pro Deo ac Regula ſtare qui conſtituerunt.

Divo Auguſtino alia Hæreticorum ſuæ à via veritatis aberrationis convincendorum methodus non erat, niſi ipſos ut remitteret ad Catecheſin illis expoſitam, etiamnum Catechumeni cùm eſſent, atque ad fidei profeſſionem, quam in ſuo in Eccleſia Catholica feciſſent baptiſmo. Ad eundem quoque modum Religioſus facillimè convincetur relaxationis, ubi illis, quæ in Novitiatu doctus fuerit, atque in Profeſſione obſervanda promiſerit contraria fecerit vel fuerit prolocutus.

Verùm nunquid mirum atque ab omni alienum ratione eſt, quod cùm Novitii etiamnum, adeoq; ad conſectandam haudquaquam obſtricti perfectionem, ad illam curſu celeri contenderemus, omnesque illius conſequendæ rationes adhiberemus, ad illam jam voto obſtricti ab illa retrocedamus, aut ſaltem de ſtudio ipſius haud parùm remittamus?

Confuſio & corruptela ea eſt, contra quam junior præmuniatur ut Religioſus eſt neceſſe, ut in illam ne prolabatur, atque ita in plurimis vitæ Patrum locis legimus à Senioribus moneri conſueviſſe Juniores, ut in ſui in Religionem ingreſſus fervore & affectibus ita conſtantes perſiſterent, ut illius quotidiè meminiſſent, & quamvis diem illius eſſe primam ſibi perſuaſum haberent. *Talis*, cuilibet inquiebant, *eſto uſq; ad mortem, qualis hac prima die exiſtis*: atque ſi illis dixiſſent: Eandem ſervate animi docilitatem, eandem obedientiam & cordis ſimplicitatem, idem vosmetipſos mortificandi deſi-

desiderium, eandem in rebus etiam minimis accurationem, eandem in officio divino reverentiam, atque in oratione devotionem. Peccata venialia minori studio, quàm probi sæculares mortalia, declinare ne satagatis; vel leviſſimas Regulæ, Constitutionum, Ceremonialis, Directorii aliarumque sanctarum consuetudinum transgressiones ita cavete, uti ferventiores fidelioresque Religiosi quasvis voluntariè adversùs Deum noxas admittere verentur. Perutile igitur erit Junioribus Professis hic reperire compendiosam instructionem potiſſimarum se conservandi rationuum, ut à bonis conceptis propositis nunquam abstrahantur. Invenire nonnullos est, qui mox à solemni votorum nuncupatione relaxari incipiunt, haud secus atq, recens constructæ ædes, quæ mox ædificatæ ubi fuerint, sensim ruinam minitari incipiunt. Alii aliquamdiu rectè agere pergunt, at postmodum à vocationis gratiæ debita fidelitate deficiunt. Hi & illi paulatim affectiones suas bonas amittunt, atque in statum infelicem labuntur, quem D. Apostolus Paulus improperabat primis Galatiæ Christianis, ubi ait: *Sic stulti estis, ut cùm spiritu cœperitis nunc carne consummemini.* Gal. 3. 3.

Satis frequenter usu venit, ut isti sensim sine sensu à probis ac virtutis studioſoribus Fratribus suis segregentur, quin ipsi satis advertant, quantumvis ceteri, qui eorum agendi rationes observant, ipsum satis superque deprehendant, eò quòd minori jam studio pristinam prosequantur solitudinem, liberiùs prodeant, ut videant alios atque ab his videantur, familiariùs agere incipiant cum Senioribus, à quibus cha-

riores haberi, laudari, ac blanditiis deliniri imprimis amant, munuſcula ab illis recipiant, priſtinâ abjectâ ſimplicitate quærant ſingularitatem, ac ſtudio puerili cupiant pulchrum è cingulo habere ſuſpenſum Roſarium, pulchram Crucem, aluta Aſiatica contectum egregieque concinnatum Breviarium, aliaque minutiora ſuppellectilia, imagines, ſimilesque res futiles, de quibus cogitare deberent id quod Sanctus quidam ætatis hujus noſtræ dictitare amabat: *Ad nihilum valent, niſi ut mittantur foras.* Falſam ſequuntur ſenſuum libertatem ac mentis diſſipationem, quæ geminæ quibusvis animæ malis patentiſſimæ portæ ſunt. Conſcientiæ in rebus minoribus tenerioris porrò amplius non ſunt. Modeſtiæ namque regulas & exiguas Chori ceremonias negligunt, lætantur, ubi occaſiones aut prætextus à divino officio aliisque communibus ſeſe ſubducendi actionibus inveniunt. Opera difficilia ac moleſta ab obedientia injuncta ſæpè ſæpiùs declinare connituntur, aut illa ſi admittant, eâ de cauſa id minimè faciunt, ut ſeſe mortificent, quin potiùs ut iſto ſub obtentu ſubterfugiant exercitia ſpiritualia, corporalibus longè moleſtiora atque ingratiora. Denique in ſua immortificatione ac relaxatione authoritatem quaſi ut habeant, affectu conjunguntur, ſeſeque conformant illis, earum ipſis exemplo qui præeunt.

Hanc eorum deerrationem ut præveniamus, aliqua hic illis ſaluberrima monita ac documenta ſuggeremus, è quibus intelligere queant, quid facere, quidque oporteat cavere, ut ſanctam perſeverantiam obtineant.

CA-

CAPUT LX.

Quænam Juniores Professi cavere debeant ac vitare.

EA potissimùm ista sunt: 1. Ut primos vocationis suæ affectus ac fervores extingui vel etiam intepescere ne sinant. 2. Ne in exterioribus occupationibus dissipentur aut illas studiosiùs aucupentur. 3. Ne qua in re propriam sequi voluntatem connitantur, aut aliquid solicitiùs desiderent. 4. Ut particulares amicitias. 5. Vanam curiositatem atque in exteriora effusionem declinent. 6. Ne familiariùs utantur Senioribus. 7. Ne ex respectu humano aut aliam ob causam sequantur exemplum eorum, qui jam tum remissiùs agunt. 8. Ne seduci se sinant quibusdam effatis aut axiomatib⁹ perfectioni contrariis, quæ subinde fortasse percipere potuerint. 9. Ut falsum & amarum zelum ac judicia temeraria devitent.

I. *Ut vocationis suæ existimationem, affectus ac fervorem extingui aut intepescere ne sinant.*

GRatia vocationis Junioribus Novitiis sensibilem quandam in cunctis Religionis exercitiis consolationem ingenerat. Ad illa ergo singulari cum fervore sponte ipsi feruntur, cunctis ædificantur, Religionem tanti esse existimant, ut in eâ quòd existant, in Paradiso se degere sibi persuadeant. Deum toto corde collaudant, ad adeò sanctum illos quòd statum vocaverit. Hoc unum in votis est illis, ad

professionem ut perveniant, nihilque jam aliud verentur, quàm ab illa ne repellantur.

Hanc porrò in illis voluptatem haud parùm promovet ipsa novitas. Ceterorum fervor Novitiorum, crebræ cohortationes spirituales, humanus Patris Magistri aliorumque Superiorum ipsorum respectus unà cum metu, ne repulsam passi in mundum remittantur, eò illos adigunt, ne segniter ac molli brachio exercitia sua peragant. At quoniam Professi Religiosis exercitiis jam tum assueverunt, ipse usus in illis existimationem ac gustum imminuit. Et quoniam adeò crebræ porrò ad illos non habentur exhortationes, neque fortassis Fratrum ipsorum fervor ita amplius æstuat, & quoniam immunes jam sunt metu, quo tenebātur in Novitiatu, negligentiùs agere incipiunt, gratiam vocationis suæ, uti deberent, non colunt, neque, uti cœperunt, porrò perseverant.

Falleretur omninò, qui censeret vocationem Religiosam in eo sitam esse, quod quis in cœnobiū admissus vestem Religiosam ad mortem usque gestet, minimè enim omnium in eo consistit, quin potiùs in motu quodam interiore ac sensuum & affectuum quorundam supernaturalium à Deo inspirata impressione, quos ubi refrigescere aut extingui quis siverit, in ipsa quoq; vocatione Religiosa deferveſcit, aut etiam illam omninò amittit, quin propterea infami Apostasia Religionem ipsam derelinquat.

In aliquibus hujusmodi interiores Dei illos vocantis impulsus ac sensus sunt timoris, in aliis verò amoris ipsius. Quidam enim permoti fuere valido quodam æternitatis timore, veriti, ne

inter

inter medios hujus sæculi scopulos interirent. Alii totos divinæ Majestati devovere & consecrare se constituerunt. Ille verò, qui falsa quadam suæ præsumptione salutis divinorum judiciorum metum omnem abjecit, aut qui spiritus fervorem ac suæ Majestati in cunctis placendi studium deferveſcere sinit ac remittere, nonnisi perquam debiliter vocationis suę sensu jam afficitur. Quid porrò inde sperandum? Etenim suo vitio amisit illicium, quod potentissimum medium erat, quod ei clementissimè ac misericordissimè dederat Deus, ad finem suum, qui alius non est, quam æternæ salutis, quo perveniret. Medium ergò cùm perdiderit, nunquid manifestum quoque finis amittendi discrimen adivit?

Ex infelicibus initiis istis nascitur minor conditionis Religiosæ existimatio, in rebus ad pietatem pertinentibus torpor & languor, atq; exercitiorum interiorum fastidium. Hac ergo ratione anni integri ac forsassis totius vitæ curriculum in isto fastidio, aut saltem qua nescio circa res spirituales indifferentia transigitur. Inde contrahitur usus & consuetudo, quam nonnulli ne in ipsa quidem extrema vitæ hora relinquunt, sed veluti vixerunt, ita & moriuntur, judicantur ac forsassis æternis gehennę tormentis addicuntur, juxta vulgatum atque usu ipso probatum istud axioma Sanctorum: *Tales vivimus, tales morimur, tales & judicamur.*

Permagna ac perquam terribilis punitio ista est, qua Deus etiam in hac ipsa vita gratiarum suarum subtractione Religiosorum in primis sensibus & exercitiis vocationis suæ remissionē casti-

castigat. Sanctus Paulus in Epistola sua ad Hebræos cap. 6. illam nobis interminatur, ubi ait, impossibile, id est, uti passim Doctores exponunt, difficillimum esse, ut illi, eò infelicitatis prolapsi qui fuerint, resurgant. *Impossibile est enim*, inquit, *eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti &c. & prolapsi sunt, rursùs renovari ad pœnitentiam.*

Heb. 6. 4. 6.

Tantæ ergò ut obviam eatur infelicitati, Juniores Professi in corde suo permagnam vocationis suę existimationem conservare connitentur. Nunquam oblivioni tradent ingentem misericordiam illam, quam Deus ipsis exhibuit, ubi è mundo illos eduxit, uti nec permagnam Religionis caritatem, qua illos, quantumvis indignos, in sinum suum recepit. Quin potiùs identidem ingeminabunt cum sancta Matre Theresia: *Misericordias Domini in æternum cantabo.*

Sæpiùs etiam expendent illa Salvatoris ac divini Præceptoris nostri verba: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò aptus est regno Dei.* Atque si diceret, illum, qui in cœpto Dei servitio quidquam remittit, Dei regno semetipsum indignum constituere. Ab illo porrò excluſus quò quæso deveniet?

Luc. 9. 62.

Adhæc considerabunt, Deum multò ampliùs offendi Religiosorum post incomparabile atque inæstimabile vocationis beneficium ingratitudine, quàm effrenatâ quid vis agendi licentiâ complurium sæcularium, quibus tot gratias neutiquam impertivit, veluti S. Petrus Apostolus in secundæ Epistolæ capite secundo

fidem

fidem facit, ubi ait: *Si enim refugientes coinquinationes mundi - - his rursùs implicati superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis, non cognoscere viam Justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.* 2. Pet. 2. 20. 21.

Ac veluti Salvator noster ait fore, ut Judæi, qui suis proficere prædicationibus nolebant, multò atrociùs æternis puniantur suppliciis in die Judicii Idololatris habitantibus in urbibus Tyri & Sidonis, quibus eadem gratia concessa minimè fuerat: ita omninò dicendum est de Religiosis ingratis, qui permagnam ac perquam pretiosam vocationis suæ gratiam excolere negligunt. Quin & mellifluus Doctor S. Bernardus animadvertit, facilius esse reperire sæculares perditos ac dissolutos, qui ad frugem meliorem se recipiant, quàm tepidos Religiosos, qui ad pristinum fervorem reducantur, quoniam Deus istos dereliquit. *Considera opera Dei, quod nemo possit corripere, quem ille despexerit.* Eccle. 7. 14.

Consequenter ad istas veritates ritè expensas servare semper se connitentur in sancto timore Judiciorum Dei ac futuræ æternitatis, ne in falsa fortè professionis suæ compendiorum agnitione pereant; quin dignè satis opera ipsa exequantur, documentum ac monitum istud est, quod cuilibet sigillatim suggerit Spiritus sanctus, ubi ait: *Si non in timore Dei tenueris te instanter, citò subvertetur domus tua*, id est domus interior conscientiæ tuæ. Eccli. 27. 4.

Cardi-

Cardinalis Bellarminus ad Societatem Jesu appellatus fuit impressione veritatis illius, *esse æternitatem, quæ ipsum in vitæ fine expectaret, ut æternùm aut infelix in inferno aut beatus esset in cœlo.* Hanc cogitationem adeò exactè conservabat atque excolebat, ut illam usque ad mortem præsentem semper haberet, atq; identidem intra semetipsum diceret : Ecquanam quæso ratione vel in re minima curam mei deponerem, qui tanti momenti negotio destineor, ut de nullo alio agatur, quam de æterna mea sive salute, sive damnatione ? Nunquid ea in re nimiùm cavere mihi possem ? Nihil omninò hic queo remittere, quin cuncta in discrimen adducam. Hac ratione vir apprimè Religiosus ac raræ sanctitatis evasit.

Illius exemplo juniores Religiosi, quibus cordi est, in virtute ut persistant, conservant ac magna solicitudine excolunt primos Dei attactus & illicia, in quibus consistere diximus gratiam vocationis ipsorum. In minimis etiam exactissimi sunt ; quin quippiam negligant. Conscientiæ illustrationibus fideles se constituunt, id quod Sancti *custodire conscientiam* vocabant, veluti oppositum *conculcare conscientiam* esse dicebant : ut proinde sicut ille relaxatur, excœcatur atque interiùs obdurescit, qui conscientiæ luminibus contravenire consueverit, ille econtrariò in officio se contineat, ac magis magisque in conscientia sua teneréscat, qui fidelibus luminibus ipsius obsecundat. Quoad in minimis fidelis extiterit, certo certiùs in majoribus neutiquam relaxabitur, at qui in minimis remittit, certissimè in ma-

majoribus relaxabitur juxta id quod ait divinus Magister noster : *Qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis est, & qui in modico iniquus est, & in majori iniquus est.* Luc. 16. 10.

Junior Professus ad tepescendum aut segniùs agendum sollicitatus sibimet inferet violentiam. I. Mox recurrendo ad propositum & intentionem, quam habebat, ubi statum Religiosum amplexatus fuit, sequendo consilium devotissimi Thomæ à *Kempis*, qui ait: *Cogita frequenter ad quid veniſti & cur ſæculum reliquiſti? Nonne ut Deo viveres & ſpiritualis homo fieres?*

II. Dicet intra semetipsum : Quænam, obsecro, ratio me impulit, ut mundo relicto austeram Religionis vitam amplecterer ? Utique quia Deus mihi multùm videbatur amabilis; aut quia haud minùs videbatur formidabilis. Atqui modò minùs amabilis aut formidabilis non est, tum quàm fuerit, neque enim ipse mutatur : eandem igitur & nunc ei debeo fidelitatem, neque minùs in meis immutabilem esse me propositis oportet, quàm sit ipse in suis amplitudinibus.

III. Etiam dicet: Quid est quod initio Religiosæ vitæ meæ mihi cuncta perquam facilia reddebat ? Nunquid ingens æternæ salutis consequendæ desiderium, atque Inferni suppliciorum formido ? ignium infernalium horror ? pretium animæ meæ immortalis ac Dei imagine insignitæ inæstimabile ? Æterna verò salus mea modò momenti minoris non est, quam tunc temporis fuerit : & quoad hujus vitæ spiritum duco, vereri me oportet, ne fortè

suas

suas gratias Deus mihi subtrahat. Ignes sempiterni haud minùs modò quàm antea formidabiles sunt, neque anima minùs pretiosa, nec non & obligationes eædem mihi sunt : haud igitur minùs esse fidelis ut connitar est necesse.

IV. Euge, anima mea, quid foret, si nobis subeundum martyrium esset, quando in rebus perquam facilibus tantam reperimus molestiam ac difficultatem ? Quid foret, si ob oculos nobis obversarentur ignes accensi, ut illis etiam vivi exureremur, aut famelici leones ad nos devorandos comparati, aut oleo bullienti vel plumbo liquefacto plena sartago, ut in illam demergeremur ? Sanè me longè digniores excusatione viderentur illi Apostatæ, si tantorum metu suppliciorum ac mortis ipsius à Deo ac fide deficerent ; cùm ego tentationi succumberem, quin ab alio Tyranno quàm à mea effrenata quidvis agendi licentia aut ignavia sollicitarer, & quin aliæ mihi minæ intentarentur, præter quem nescio vanum timorem, ac levem & transitorium laborem. Ea ut virtutis ac salutis suæ amantiores recens professi sensus excolunt & affectus suæ vocationis & sequuntur consilium divini Apostoli dicentis : *Spiritum nolite extinguere.*

1 Thessal. 5. 19.

II. *Ut occupationibus exterioribus ne dissipentur neq; etiam illas studiosiùs aucupentur.*

PErquam facilè Novitiis est conservare spiritum devotionis, quoniã negotiis exteriobus non

non implicantur, quæ interiorem animi conturbare queant devotionem. At Professi Monasterii officiis occupantur, & quandoque etiam Patribus in urbem egressuris socii assignantur. Hîc nisi sibi caveant, natura quadam inde afficitur voluptate, atque ita dissipantur, ac præsentiam Dei ubi amiserint, omnis quoque devotionis gustum amittunt. In lectionem porrò spiritualem eo, quo prius, studio non incumbunt, examini Conscientiæ horis ad id designatis non vacant, neque orationem sarcire mentalem connituntur, ubi illi unà cum communitate vacare non potuerint, pro illa materiam præparare negligunt, quæ causa est, cur in ipsa plurimum distrahantur, ac fructum ex illa perexiguum reportent. Et verò qui fieri posset ad malo in occasionibus resistendum ac virtutes exercendas debiliores ut non essent, ubi interioribus exercitiis, quantum par est, sustentare se non conantur?

E manifestissimis Junioris Professi a recto cursu & officio suo avocationis indiciis est, ubi operosi anxiique studii oblectatur negotiis, ubi foris apparere gaudet, ubi illic dissipatur, idque quærit, neque eo, quo priùs, cellæ suæ amore aut citiùs ad vitæ regulatis exercitia redeundi studio ac zelo afficitur.

Sui conservandi desiderio quicunque exarserint, nunquam hujusmodi occupationes sibi procurant. Illas è sola duntaxat obedientia suscipiunt. Quod si illas eis ipsa injungit, sollicitè legunt ea, quæ de illis in præmisso continentur Directorio, illas exactè atque in spiritu devotionis ut possint perficere. Ibi

bono ſtudent eſſe exemplo omnibus illis, ipſos quotquot viderint, ſpecialiùs ſervant ſilentium ac modeſtam gravitatem, quæ exteriores virtutes Deo & hominibus acceptiores in junioribus Religioſis eſſe omninò dignoſcuntur.

Interea per id temporis frequentioribus aſpirationibus, ampliori cura ac ſtudio ſeſe continendi in præſentia Dei, & aſſidua ſanctarum cogitationum converſatione animabus ſuis duplicatam annonam ſuppeditant, veluti corpus duplicatis nutrire ſolemus cibariis, ubi majori ſolito labore gravatur.

Fideles ſunt in recitando devotè officio divino conſueto horis ad id deſignatis, quin nocturnum in multam diem, aut antemeridianum in veſperum differant.

Neque minùs orationem ſarcire mentalem connituntur, ubi tempore præſcripto illi vacare non quiverint, quàm menſam adire ſecundam, ubi primæ adeſſe non potuerint; Denique occupationes exteriores illis uſui non ſunt, niſi ut virtus eorum, utpote melius probata, amplius conſolidetur.

III. *Ne quid pro ſuo arbitratu deſignent aut ſollicitiùs deſiderent.*

ALter junioribus Profeſſis hic ſcopulus eſt, ſi in rebus à ſuperiorum nutu pendentibus ipſi aliquid pro ſuo arbitratu deſignent, ac mentes ſuas implicent ſupervacaneis atque æquò ſollicitioribus deſideriis, quæ ipſos ab attentione ad Deum, & cogitationibus de ſuo ſpirituali profectu abducunt.

Aliqui

Aliqui mox ab emissa professione tædium capere incipiunt ex eo, quod porrò remanere compellantur in Domicilio Novitiorum, cum aliò migrare mallent, fore sperantes, ut illic majori potirentur libertate.

Alii qua nescio vanitate honorificentioribus Altaris aut Chori officiis in majoribus festivitatibus defungi desiderant, invidia quadam stimulati ad versus illos, quibus illa injunguntur, existimantes, atque etiam aliquando dicentes futurum fuisse, illis ipsi ut meliùs fungerentur.

Alii econtrariò demandatorum fastidio officiorum correpti quibusvis viis ab illis sese connituntur eximere.

Alii suo confisi ingenio studiis applicari quamprimum percupiunt.

Inter ipsos studentes sunt, qui sollicitiùs ad sacros ordines, cùm ætas illis sit sufficiens, promoveri desiderant.

Alij quadam ambitione præ Fratribus suis ad publicos scholæ actus obeundos præeligi cupiunt.

Alii licentiam libertatemque sibi sumunt quædam Regulæ aut Constitutionum aut communium quarundem observantiarum puncta redarguendi; Superiorum etiam gubernandi modum carpere audent, aliam alterius regiminis formam sibimetipsis in sua animi levitate effingentes.

Alii denique in cordibus suis locum dant variis supervacaneis desideriis, quæ animi pacem, omnemque illis adimunt de erratis, in quibus porrò persistere amant, cogitationem.

Profectum ſpiritualem iſti negligunt, atque eorum, quæ in Religione uſurpantur, exercitiorum, utpote propenſioni ſuæ contrariorum, minorem exiſtimationem concipiunt. Eorum itaque afficiuntur faſtidio, deque illis commurmurant, atque occulta eorum arrogantia aut propriæ capacitatis præfidentia fovet in ipſis proprium judicium, propriam voluntatem, ac falſam quandam libertatem. Cùm potiùs ſinere deberent, ut humiliter juxta ſanctam deducerentur obedientiam, ad omnia, quæ placerent ſuperioribus, indifferentes, ac Dei timore quibusvis reſpectibus, deſideriis, propoſitis à propria voluntate profectis renunciantes, ut ſoli perfectioni ſuæ intenderent.

IV. *Ut particulares declinent amicitias.*

SIngulares amicitiæ ac familiaritates cum Fratrum nonnullis morum aut geniorum ſympathia ſive mutua conſenſione contractæ alteram tentationem conſtituunt, à qua omni ſtudio cavere ſibi debent juniores profeſſi.

Speciales iſtæ familiaritates ſive colligationes à quibusdam occultis ac familiarioribus initium ſumere amant colloquiis. Mutuis inde foventur & corroborantur complacentiis ac mutuo in ſuis defendendis erratis auxilio. Illæ plerumque reperiuntur inter illos, qui ſunt immortificati atque alicujus immoderatæ animi affectionis dominationi jam tum ſubjecti. Etenim adeò agreſtis atque illiberalis capaces imperfectionis haud

cum

cum aliis quam sui colligantur consimilibus, aut certè si quis ex virtutis studiosis quid simile imprudenter patiatur, actutum immortificatus, inobediens, atque illi, cui se colligaverit, haud absimilis evadet. Atque istud ipsum est, quod eximiè observavit S. Chrysostomus ubi ait: *Bonus sic malo connectitur, ut aut pares reddantur, aut citò ab invicem separentur. Amicitiæ enim pares quærunt aut faciunt.* Indeque subjungit: *Rerum natura sic est, ut quoties bonus malo conjungitur, non ex bono malus melioretur, sed ex malo bonus contaminetur.*

Usus omnium palam id fecit sæculorum. Etenim colligationes istæ conservari non possunt, nisi inter complures Regulæ, Constitutionum & communium observantiarum transgressiones. Commurmurabunt, silentium solvent, tempus solitudini consecratum inutiliter simul transigent, aliaque consimilia errata ac noxas committent, quantumlibet is, qui hactenus Regulæ suæ observantior extitit, initio pluribus conscientiæ stimulis angatur, at mollis quædam complacentia demum conscientiam superat ac veluti extinguit.

Inde invicem arcana sua aperiunt, ac mutuæ fidei silentioque committunt: superiorem suum dicta ac gesta sua celant, pristinumque erga illum candorem ac simplicitatem abjiciunt. Quod si unus eorum inquietatur, mox curarum ac sollicitudinum suarum partem in socium suum transfert, qui illius sensuum atque affectionum se participem

constituit, quique cum illo commurmurat, ut etiam superioris & aliorum administrationem illius respectu coarguat. Quod si quare opus ille habet, hic curam ipsius agit, ita ut animus unius commodis incommodisve alterius totus intendat, sicque ambo vocationis suæ finem, qui spiritualis ipsorum profectus est, oblivisci omninò non dubitent.

Devotissimus Pater Thomas a Kempis adversus hæc errata juniores Monasterii sui Religiosos præmuniturus illos vetabat speciali hujusmodi societate copulari cum illis, qui minus modesti, minusque essent animis collecti, ne fortè illis similes evaderent. *Cavete*, illis inquiebat, *à sociis vagis & jocosis, ne discatis fabulari & ridere cum levibus, qui ambulant per amœna loca ad hospitia prava.* Serm. 1. ad Novit. Id quod omninò consentaneum est monito, quod suggerit nobis Sanctus Spiritus Proverb. cap. 13. ubi ait: *Qui cum Sapientib. graditur, sapiens erit: amicus stultorum similis efficietur.*

Prov. 13. 20.

Juniores ergo Professi sui in bono conservandi studiosi, neque ob ullam sympathiam particularem alicujus ex Fratribus suis amicitiam aucupari, neque etiam respectu humano, molli complacentia aut falsa charitate suam ulli, ea illam ratione captanti, debent permittere. Quantumvis ille inde indignetur, nil refert. Quantocunque etiam odio forsan illos prosequatur, hoc falso se superari sinere non debent prætextu, quin potius audiant, quid dicat S. Isidorus: *Melius est habere malorum odium, quam consortium. Sicut multa*

habet

habet bona communis vita Sanctorum, sic plurima mala societas affert malorum. Nullus porrò huic tentationi succumbet, qui in cunctis rebus suis superiori aut Directori aperiendis simplex & candidus erit.

V. *Ut fugiant vanam curiositatem atque in exteriora effusionem.*

QUi sensuum curiositate in exteriora se effundunt, novum pariter obstaculum fini vocationis suæ, quæ est unio cum Deo, ad quam absque interiori animi collectione perveniri non potest, objiciunt. Cunctis se immiscent negotiis, omnia videre, omnia scire, de omnibus loqui ac suam proferre volunt sententiam, atque interim inter hæc omnia illius, cujus causâ Religionem sunt ingressi, obliviscuntur.

Juniores Professi profectus sui studiosi generosè à se resecent omnia, quæ illis injuncta, demandata aut necessaria minimè fuerint. Simplices existant, id est multiplicitati, agitationi & confusioni animi renuncient, quippe quæ ipsos in diversa distraheret, ac Deo vacuos rerum variarum speciebus repleret, adeoque in ipsis veræ intimæque pietatis sensus exiccaret, atque in perpetuum ad vitam verè spiritualem ineptos constitueret.

Vivacioris imaginationis ac ferventioris ingenii & naturæ conditionis qui fuerint, initio permagna hic invenient obstacula: at ubi bonam adhibuerint voluntatem, facile id, quod animis intenderint, assequentur. Persuasum nimirum omninò sibi habebunt, inutilia

esse omnia præter æterna. In memoriam revocabunt illa Domini Salvatoris nostri verba: *Porrò unum est necessarium. Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?*

Luc. 10. 42.
Matth. 16. 26.

Quod si divinus hic Magister noster adeò absolutè loquatur de nihilo omnium divitiarum ac mundi universi amplitudinum, si cum solo bono animæ comparentur, quid nos cogitare oportet de nuda quadam vana curiositate ac sensuum nostrorum inutili oblectatione? Dicent ergo intra semetipsos cum David: *Non loquatur os meum opera hominum.* Aut cum filio illius sapientissimo Salomone. *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.*

Psal. 16, 4

Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur. Cogitabunt professione se sua, quantum attinet ad negotia mundi istius, in numero mortuorum constituisse semetipsos. Quod si autem jam mortui estis, ait Apostolus, ecqua igitur ratione porrò de mundi negotiis loquimini, tractatis ac deciditis, atque si etiamnum in vivis ageretis? Omnibus ergo istis supersedete, atque unicè Deo vacate. *Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis hujus mundi, quid adhuc tanquam viventes in mundo decernitis? Ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis, quæ sunt omnia in interitum ipso usu.* Boni ergo Religiosi, qui suæ perfectioni sincerè intendit, epigraphe sive Symbolum poterit duobus hisce verbis comprehendi: *Latere & nesciri.* Sive etiam istis: *Nec videre nec videri.*

Eccle. 1. 2.
Ibid. v. 8.

Coloss. 2. 20. 21. 22.

VI.

VI. *Ut familiariùs ne utantur Senioribus.*

DIstrictissimè id vetatur in Bullis, ut vocant, Clementis 8. Romani Pontificis, quibus complectitur decreta, quæ condidit pro Reformatione Monasteriorum. Hîc ergo delinqui non potest, quin magnam quis committat inobedientiam Deo perquam ingratam, ac mulctam promereatur insignem.

Atque quantumvis in materia obedientiæ necessarium non sit afferre rationem, quoniam sat est dicere rem esse prohibitam: attamen en duas rationes, quas D. Basilius in suis Regulis, quibus eandem inseruit prohibitionem, adducit. Prima est, *ut ex raritate congressus reverentiam adversus ipsos* (Seniores) *retineant* (Juniores). *Altera: Ne proclivitas major ad peccandum in animis illorum nascatur, quando in exequendis officiis Seniores sive grandiores labi animadverterint.* Reg. Fus. c. 15. Juniores Religiosi facillimè solicitantur, ut in familiaritatem se insinuent Seniorum, ac potissimùm eorum, qui majoris amicitiæ illis exhibent indicia. Quoniam natura, quæ plurimum gaudet amari, facillimeque plus æquo sibi permittit, ubi postquam in Novitiatu in magno sui contemptu atque humilitate cohibita fuerit, à Professione nonnihil evectam se esse advertit. Unde ansam mox arripit occultâ quadam arrogantiâ secernendi se à Novitiis, neque amplius multùm illis, sed conformandi se potius Seniori-

bus, qui aliquam ei benevolentiam testificantur. Persuasum jam tum habet sibi, in modicis observantiis accurationem solis esse propriam Novitiis. Atque ea causa est, cur complures Juniores Professi quorundam Seniorum, qui illos amant, exemplo, multas negligant modiciores Chori Cæremonias, multas admittant oculorum, manuum ac vocis in conversatione immodestias, aliaque faciant, quæ fore, cum adhuc Novitii essent, nunquam credidissent, totâ suâ ut vitâ committerent.

E potissimis adversùs hujusmodi errata ac noxas antidotis istud erit, ut nunquam Patribus loquantur nisi genuflexi, veluti in Constitutionibus ac Directoriis præcipitur, quantumvis Patres ipsi pro sua humanitate illos surgere jubeant, neq; ullum cum eis commercium illis sit, quin Directori id suo aperuerint.

VII. *Ut non sequantur exempla eorum, qui jam tum de disciplina remiserint.*

PErplacet naturæ, ubi aliquem licentiùs agendi obtentum repererit. Atque istud ipsum est, quod animo facili negotio persuadet, in mortificationis exercitiis remissionem, pluribus communis cùm sit, adeò noxiam non esse, indeque eam consectandi audaciam arripit. At ipse Deus id vetat, ubi ait: *Non sequêris turbam ad faciendum malum.* S. Cyprianus hanc animadvertit animi humani deceptionem, quæ eò luctuosior, quo amplius voluntaria est, neque ex ignorantia, sed molli quadam procedit ignavia. Molestius ei est, se se ubi habet constringere aut subjicere. Difficultas

Exod. 23. 2.

cultas quam sentit illum dicere facit, esse se solum, jugum portare qui debeat, indeque etiam aliis esse derisui. Pudet illum aliis in Regularum ac modiciorum observantiarum cultu esse accuratiorem, atque hominibus ut ne displiceat, quo nescio respectu humano Deo mavult ipsi displicere. Facilè sibi persuadet in istis aut istis transgressionibus mali parum aut etiam nihil esse, cum tot sint, apud quos Religioni non habeantur. *Malos*, inquit hic Sanctus Pater, *quisquis non imitatur, offendit, consensere jura peccatis, & cœpit licitum esse quod publicum.*

Sanctiores Religiosi in sua juventute huic minimè omnium acquieverunt errori. Eorum erga Deum & conscientias suas fidelitatem, neque improperata opprobria, neque irrisiones unquam labefactare potuerunt. S. Thomas Aquinas cum etiamnum studiis vacaret literarum, adeò in humilitate, in silentio, in simplicitate cæterisque virtutibus erat confirmatus, ut quantumvis ipsius condiscipuli, qui excellentioris sese ingenii esse autumabant, illum per deridiculum *bovem mutum* appellitarent, de illis ne vel tantillum remitteret. Jocis aliquando ac ridiculis illum carpebant, quod cùm in lectione in Refectorio de aliquo accentu absque ratione reprehensus fuisset, ei, qui illum correxerat, humiliter se submisisset, id quod ipsi facturi non fuissent: at ipsum à simplicitate sua haudquaquam abducebat ista derisio.

S. Andreas Corsinus Ordinis nostri Episcopus

scopus Fesulanus, cum in majori Conventu Parisiensi studiis vacaret, ubique se animi collectionis, modestiæ ac silentii studiosiorem exhibebat. Nonnulli ex condiscipulis illius idcircò illum deridebant, *mutum* ipsum ac *surdum* vocitantes: at ille idcircò de gravitate sua atque ad Deum attentione assidua ne vel tantillum remittebat. Ad eum igitur modum sancti Religiosi juniores successores suos docuerunt ex virtutis præscripto vitam agere etiam supra exemplum, atque officio suo constanter post Professionem æque atque in Noviciatu satisfacere, tametsi ipsi soli essent, qui Regulas observarent. Nos, inquam, docuerunt minimè curare derisiones neque nimis usitatum illud: *Quid dicent alii?* neque etiam sinere nos superari ab humano respectu aut hominum objurgationis timore. Omnes omninò magnifaciamus, at paucos, id est sapientiores ac virtutis studiosiores & Christi Jesu ac Sanctorum imitatores, sequamur oportet. Hoc quoque documentum junioribus, qui scientiæ moralis studio vacare contenderent, suggerebat Epictetus, ubi ait: *Si Philosophiam cupis, præpara te, ut irrideāris, & subsanneris à multis, ut dicant: Hic repente nobis Philosophus emersérit.* Enchrid. c. 29. Adjungit: *Si quid proficere vis, ne recusa, quo minùs obres externas amens & fatuus habearis.* c. 18. Quòd si ille juniore ad moralem purè humanam hac ratione comparavit, multò amplùs quid nobis constitutum esse debet,

ut

ut interiores evadamus, ac sapientiam divinam assequamur.

Verùm enimverò documentum adjiciemus multò sanctius, sublimius ac longo usu manifestius, quod noster Ven. Frater Joannes à S. Sampsone in suis nobis scriptis reliquit. *Nunquam*, inquit, *de consuetis exercitiis nostris vel tantillum remittere, neque ad alios eorumq; opera debemus reflectere: ut bono exemplo altè ædificemur, malum verò foras emittamus, ne ulla ad nos intret ratione. Hoc faciendo exemplariter vivimus supra exemplum hoc est nobis ipsis quale debemus exemplum præbemus, quin curemus, an ab alio accipiamus, nec ne. Hac ratione nullam in animabus nostris plagam accipimus à rebus, quæ extra nos fiunt.*

Ut tentationem superemus, qua ad nos perverso aliorum exemplo, humano respectu, aut ignaviâ, conformandos incitamur, animare nos possumus istis Salvatoris nostri verbis: *Omnis quicunque confessus fuerit me coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei.* Luc. 12. 8.

Qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei. Ibid.

Nam qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in Majestate sua & Patris & Sanctorum Angelorum. c. 9. 26.

Videte ergo, ne & vos similes efficiamini factis alienis. Baruch. 6. 4.

VIII. *Ut non approbent sermones, neque pronunciata, sive axiomata contraria perfectioni.*

SAnè haud absque urgentissima ratione divinus Apostolus ait: *Corrumpunt mores bonos colloquia mala.* Statimque commonefacit fideles, ut illis occupari se non sinant, ne fortè, ubi aures perniciosæ doctrinæ bibulas præbuerint, errori ac peccato portas aperiant, ubi addit: *Evigilate justi & nolite peccare.* Ibid.

1. Cor. 15. 33.

v. 34.

Loquebatur eo loco de nonnullis, qui corporum non credebant resurrectionem, quoniam, veluti Sadducæi, animæ negabant immortalitatem. At monitum ipsius locum habet in omnis generis perversa doctrina, æquè nimirum illa, quæ bonis moribus, atque illa quæ Mysteriorum repugnaret veritati.

In Ecclesia nascente perversa erant ingenia, quæ hæresin istam introducere satagebant, uti & alia, quæ crucis mysterii efficaciam impugnabant, quos idem Apostolus appellat *Inimicos crucis Christi, qui terrena sapiunt:* atque alia denique, quæ varios disseminabant errores, contra quos idem Apostolus recens conversos præmuniebat Christianos. Porrò in singulis deinceps sæculis mali homines extitêre, qui sacras Evangelii veritates conati sunt enervare, & quibus non defuere sectatores, contra quos insurrexere Sancti Patres, ne fortè boni ac simplices Catholici ab instituto deducerentur. Zizania illa erant, quæ inimicus homo subinde bono semini superseminavit.

Ad

Ad eum modum Diabolus ordinum Religiosorum peculiariter, uti Ecclesiæ generatim, juratus hostis habet subditos suos, vana, audacia, ab omni dominatione libera, desidiosa, delicata ac voluptuosa ingenia, qui in illis liberioribus ac temerariis sermonibus suis axiomata perfectionis enervant: adversum quos confirmari necessariò debent Juniores Professi, ne illis incauti decipiantur.

Nonnunquam illos audient de rebus, quæ ex hominum mundanorum sententia coruscant & excellunt, multò majori cum existimatione loquentes, quam de virtutis unquam locuti præstantia fuerint. Immoderatè laudabunt ac deprædicabunt scientiam, eloquentiam, ingenii excellentiam, concionum sacrarum elegantiam, magnatum benevolentiam ac liberiorem & familiariorem ad illos accessum nonnullorum Religiosorum, temporales facultates ac bona aut beneficia, quæ inde recipiunt, Officiorum ac dignitatum Religionis honorem aliaque consimilia, atque si in istis suprema sita foret beatitudo. Sermones isti fovent spiritum superbiæ ac subtiliter occulta quadam ambitione inflant cor illius, qui ipsos audierit, ut fore speret, ad hujusmodi bona aliquando ut perveniat.

Quod si igitur acturum non convertatur ad Deum, ut agnoscat in omnibus istis meram esse vanitatem, nisi quantum ad ipsius gloriam conducunt, occupatus & infectus manebit eodem spiritu vanitatis adversus humi-

humilitatem ac depressionis amorem, ut proinde multò quam antea minùs religiosus evadat.

Aliàs loquentes ipsos audias in gratiam commoditatum & corporis liberaliùs habendi rationum, in magnum austeritatum ac sancti nostrimetipsorum odii detrimentum. Querimonias habebunt de jejunio dicentes illi aliquam adhiberi posse moderationem. De cibo potuque murmurabunt, dicentes post accuratiorem vitæ regularis observationem nil minus expectari posse, quam benè apparatum cibum ac potionem. Quin & vitæ regularis exaggerabunt rigorem; contendentes illam æquo asperiorem adeoque esse intolerabilem, quæ facili negotio posset mitigari. Dicent etiam in quibusdam religiosissimis Ordinibus quotidie non vacari orationi mentali, nisi per horæ dimidium, in aliis Religiosos è somno non consurgere media nocte, atque in aliis majorem atque honestam illis permitti libertatem. Verùm silentio involvent, in iisdem fortassis Ordinibus majores esse abstinentias, aut majorem à mundo ac mundanis separationem, aut continuos pro animarum salute labores, sicque relictis amaris sola dulcia animadvertent.

Sermones etiam non rarò instituent de animi relaxationibus ac recreationibus extraordinariis, qui illarum desiderium excitant etiam in illis, qui de ipsis minimè cogitabant. Conquerentur æquò prolixius esse officium divinum, quantumvis ipsum, licet

esset

esset dimidia ex parte contractius, nihilominus ipsis justò longius videretur. Operâ supererogationis contemptui habebunt, ac pœnitentias extraordinarias cilicii, setis asperæ subuculæ, catenarum ferrearum similiumque asperitatum in Religionibus reformatis usitatarum deridebunt. Ridicula jacient in Fratres suos vitæ spiritualis ac mortificationis studiosiores, atque observationis Regularis zelantiores. Vitam interiorem veluti illusionem & fatuitatem, aut veluti otiosam & inutilem ludibrio habebunt. Omnes istiusmodi sermones adversantur Spiritui Religionis, qui laboris ac rigoris est, atque si is, qui illos audit, ilicò ad Deum se erigere negligat, neque in corde suo actus oppositos eliciat, eosdem affectus induet, ac sensim relaxatior, & voluptatum studiosior, sicque minùs quam antea, Religiosus evadet. Aliàs superiorum administrationem, in magnum simplicitatis, qua in obediendo opus est, dispendium, judicabunt. Sermones quoque miscebunt in gratiam indifferentiæ, insolenter sustinentes hoc vel illud à superioribus jure imperari non posse. Errata in ipsis disquirent, ut inde accipiant prætextum minùs exequendi imperata ab ipsis, dicentes ab ipsismet ea neutiquam observari. Quòd si in perscrutandis & corrigendis culpis fuerint accurati, indiscretionis ipsos redarguent. Visitatorum & Ordinis Comitiorum Constitutiones ac leges, veluti res frivolas, atque quæ promulgentur indi-

gnas, contemnent. In sui excusationem allegabunt abusus ac Regulæ & Constitutionum transgressiones usu contractas, quasi forent legitimè introductæ consuetudines. Dicent audacter, reverà quidem hæc aut illa à Regula & Constitutionibus fuisse imperata, non tamen ampliùs observari, sicque illis sufficienter esse derogatum. Quin & istud adjicient; Regulas esse duntaxat simplicem aliquam Directionem, adeoque non obligare in conscientia, neque proinde illarum transgressiones obnoxias esse peccato. Porrò quænam obsecro esset inordinatio, si quispiam juniorum Fratrum ista audiens illis fidem haberet, ac perversos sermones istos quasi totidem existimaret esse veritates? Nunquid hoc incidere foret in istam infelicitatem, quam in Pharisæorum discipulis Salvator noster deplorabat? Quoniam nimirum illi, postquam per mare & terram discurrissent, ut juvenum aliquem in Scholam suam pellicerent, illum falsis ac rationibus suis servientibus interpretationibus quasi quodam veneno inficiebant ac proinde duplo ipsis magis noxium constituebant. *Væ*, inquiebat, *vobis scribæ & Pharisæi Hypocritæ: quia circuitis mare & aridam, ut faciatis unum proselytum & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos.*

Matth. 23. 15.

Ut quis ergo perversas impressiones istas facilè ne concipiat, opus est, ut se teneat in usu contracta dispositione 1. Semper tendendi non ad faciliora & commodiora

sed

sed ad perfectiora. 2. Semper ardendi meliori observantiæ Regularis in Monasterio conservandæ zelo. 3. Neutiquam metuendi offensam eorum, qui eadem ratione sunt minus affecti. 4. Sibi placendi in eo, quòd sit incognitus & opertus. 5. In omnibus summis laudibus celebrandi & constanter profitendi atque exercendi austeritatem, quantumvis etiam patrari miracula videret ab iis, qui molliorem vitam consectantur.

Ab illis, ut quis in occasionibus sese tueatur, optima & compendiosissima via est silentium, ut nullo unquam tempore de hujusmodi argumentis cum quovis disceptet. Melius enim Eva feciſſet, si cum serpente, qui primus perversa axiomata & effata, quibus obedientiam divino præcepto adhibendam impugnaret, disseminavit, habenda disputatione distineri se minimè sivisset.

Cogitandum quoque erit, hujusmodi ratiocinationes non tam ex hominis quam mali Dæmonis in illo & per illum loquentis ore procedere. Veluti etiam serpens, qui jam jam Evæ fuerat locutus, per illam etiam inde loquebatur Adamo. *Serpens latebat in fœmina.* Considerandum nihilominus est, à Deo permitti, ea ratione ut nostra probetur fidelitas, quam inconcussam servemus oportet.

Interius exercitium in eo situm erit, ut ad Deum perfugiamus ac falsitatibus istis devota ad Divinam ipsius Majestatem elevatione obsistamus dicendo, exempli gratia.

1. Nunquid mundi hujus gloria, nunquid

vita voluptuosa, nunquid summa, atque omni subjectione soluta libertas est, cujus quærendæ ergò statum Religiosum ambivi? Nunquid potius abjectio, pœnitentia, atque ad omnes Regulas submissio est? *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua.* Psal. 118. 85.

2. Cogitent & dicant alii, quidquid ipsis libuerit, ego verò itentidem dicam: *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.* Psal. 72. 28.

3. *Beatus vir, cujus est nomen Domini Spes ejus, & non respexit in vanitates & insanias falsas.* Psal. 39. 5.

4. Vita transit, & æternitas appropinquat. Quid, amabò, in hora mortis ampliori solatio mihi erit? an quòd vanos splendores & vitam molliorem quæsierim, an verò quòd in meimetipsius contemptu ac pœnitentia perseveraverim?

5. *Veruntamen universa vanitas: omnis homo vivens.* Psal. 38. 6

6. *Veruntamen in imagine pertransit homo: Sed & frustra conturbatur.* v. 7.

7. *Ecce transeunt universa sub sole: & futura tempora oblivione pariter cuncta operient.* Eccle. 2. 16.

8. *Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit: meminisse debet tenebrosi temporis & dierum multorum: qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita.* c. 11. v. 8.

IX.

IX. *Ut locum non dent falso & amaro zelo, neque judiciis temerariis.*

NOnnullos quandoque reperire est Juniores Professos indole & ingenio criticos, qui uti sui conservandi studiosi existunt, ita ad dicta, facta ac gesta aliorum perstringenda & coarguenda procliviſſimi sunt. Quantumvis illis ipsi sint Seniores, eos tamen, quo nescio falso & amaro zelo, liberrimè judicant & condemnant. Facilius æquo indignantur & offenduntur, atque, ut sic dicam, scandalizantur, in partem deteriorem interpretantes ea, quæ sæpe extra omnem culpam atque etiam ex obedientia peraguntur.

In hoc ipso palàm faciunt, ipsis deesse spiritum Charitatis, quæ teste S. Paulo suavis est, patiens est, neque mali quid facile suspicatur de proximo. *Charitas non cogitat malum*, quin potius tantum abest, ut de erratis illius triumphet, ut potius illa, si possit, benigna interpretatione excuset, atque ubi manifesta non fuerint, illa credere recuset.

E præclariſſimis S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis exercitiis stud erat, *quod oculos proximi virtutibus apertos, at imperfectionibus clausos haberet*. Qui aliorum erratis considerandis distinentur, non attendunt, expositos esse sese manifestæ tentationi mali Dæmonis, qui ex una parte illic ipsos moratur, quin ad se ipsos atque ad proprias attendant imperfectiones, eas ut emendent: ex alia vero parte eorum fovet superbiam ac proprium amorem, ubi

occultâ quadam arrogantiâ sibi persuadent, ita sese esse compositos ut facere penitùs ipsi nollent ea, quæ in aliis reprehendunt.

Ista usitatior Juniorum Religiosorum, quantumvis alias ferventium ac devotorum, tentatio est. Postea enim quàm de aliis vitiis complures victorias reportaverunt, in istud incauti prolabuntur. Magnum hoc obstaculum est spirituali eorum profectui, tum quia, ubi alienis distinentur negotiis, illi non queunt intendere, tum quia suam interiorem amittunt pacem ac tranquillitatem, absque qua boni omninò nil fieri potest. Tandem verò usu ipso non sine insigni detrimento suo comperient futurum, ut in superbiæ, asperitatis ac temeritatis suæ punitionem ipsi in eandem, quam condemnant, aut fortassis etiam majorem, culpam prolabantur. *In quo enim judicas alterum, te ipsum condemnas: eadem enim agis quæ judicas.* Rom. 2. 1.

Remedium erit, ut mox proprias consulant conscientias, atque in illis proprias considerent imperfectiones. Atque cum indignatione aut cordis amaritudine contra quempiam commoveri se posse animadverterint, intra semetipsos dicent

1. *Si sine peccato es, mitte lapidem.* Quod si omni tu vitio careres, fortassis alios redarguere posses. At vero nunquid & tu ipse in multis delinquis? velut igitur alii te perferunt, ita & alios ipse sufferre addiscas.

2. Eheu! teste S. Bernardo dicebat quidam

dam bonus Religiosus, hic hodie culpam committit, & ego forsan crastina die eandem admittam.

3. Dicent sibimetipsis: *Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat aut cadit; stabit autem, potens enim est Deus statuere illum.* Rom. 14. 4. Ut quid mihi sumo judicium illius, in quem jus nullum est mihi? Voloequidem ipsum esse tali aut tali defectui obnoxium, at præclaris etiam animi dotibus & ornamentis instructum esse non considero. Nunquid igitur aranea ero, ut illis duntaxat, in illo reprehendi quæ queant, insistam, & non potiùs apis, ut illo, quod in ipso laude dignum est, ædificer? Et verò quis obsecro inmortali hac vita numeris est omnibus absolutus? Sed & aliud adversus falsum zelum præstantissimum remedium est, ut in cordibus nostris suaviorem foveamus Charitatem, eaque suadente proximorum defectibus potius ad commiserationem, quàm indignationem commoveamur, ac Deum pro illis deprecemur. Veruntamen animi abstractio, qua proximorum defectus, quantum possumus, dissimulando relinquamus, ex duorum insignium contemplativorum nostrorum B. Joannis à Cruce & Ven. Fratris Joannis à S. Sampsone sententia omnibus remediis præstantius est. Vivito, inquiunt eximii viri isti, in silentio ac secessu, quin aliorum defectus attendas, sed sæpius cum Deo communicando animam tuam possidebis in pace, atque in virum perfectum evades.

CAPUT LXI.

Quid facere debeant Iuniores professi, ut primævum suum fervorem conservent.

ILlis imprimis aliquot documenta ac monita generalia suggeremus, tumque inde exponemus aliqua exercitia particularia, quæ longa experientia docuit esse utilissima, è quibus proinde haud minus illis, qui ipsos præcessere, proficient, si modò accuratè observare voluerint.

Ad documenta generalia quantum attinet, ut quoad illa ordinatè procedamus, ea distribuemus in illa, quæ pertinent ad obligationes Religiosi erga Deum, illa quæ muneris ipsius sunt erga amantissimam Matrem suam Religionem, atque illa quæ proprium ipsius spiritualem profectum attingunt.

1. Quid juniores inter Deum & semetipsos observare debeant.

Et primò quidem, ut excolant spiritum devotionis.

OMni nimirum, qua poterunt, cura ac sollicitudine in seipsis conservare debent spiritum devotionis, prout ipsum habuerunt ac degustaverunt in Novitiatu. Devotionis hic spiritus bifariam intelligitur. Primò enim accipitur pro prompta voluntate ac vero Deo placendi desiderio: ac secundò pro interiori in bonis cogitationibus occupatione

ac

ac pro corde deinceps ad divinam Majestatem devotis affectionibus concepta atque exercita elevatione. Religiosus etenim instructus esse dicitur devotione, ubi bona ei & constans est voluntas exequendi omnia, quæ Deo acceptiora esse noverit: aut ubi interiùs egregia quadam veritate commotus, aut quopiam bono animi sensu fuerit affectus. Utroque hoc modo devotioni studere debent juniores Professi. Prima quidem usu confirmata ac talis sit oportet, ut illâ orbari non queant. Quod si altera quandoque defuerit, ad illam recuperandam excitare se debent.

Ut bonam voluntatem indesinenter conservent.

1. Connitendum est ipsis, ut interiores animi dispositiones probè colant, ut collectioni ipsius intendant, silentium ament & omnes egressus atque evagationes extra cellam devitent. Quod si quandoque hujusmodi egressum negotii cujuspiam alibi exequendi causâ obedientia requirat, ubi primum ipsum absolverint, celeriter & alacriter cellam suam veluti suum repetere satagent elementum, ad eum modũ, quo piscis ex aqua fortassis extractus illam celerrimè repetere connititur.

2. Interius elevata, simplici, tranquilla & affectiva quadam ratione, in conspectu & in lumine Dei, hoc est in sancta præsentia illius, agere consuescant, instar eorum, de quibus dicitur in Psalmo 88. *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die.* Hanc interiorem dispositionem mane concipient, eamque quam pote- *Psal. 88. 16.*

runt diutissimè per diem fovere, atque ubi nonnihil ab illa se deflexisse compererint, mox illam resarcire contendent.

3. Quorumlibet operum suorum initio serio & cum attentione debitam directionem præmittent.

4. Nullo unquam tempore committent, ut orationum suarum materiam prævie non præparent; atque ubi temporis angustiâ occupati fortè fuerint, secum conferent meditationis librum, ut ex illo aliquid materiæ pro oratione legendo excerpant prius, quàm ipsam incipiant.

5. Solicitè curabunt, ut quotidie vacent lectioni spirituali, conscientiæ ante mensam discussioni, atque serio sub vesperum examini.

6. Circa majores solemnitates, & per eorum Octavas Mysterii, quod recolitur, considerationi insistent. Ad illas etiam per aliqua pœnitentiæ opera se comparabunt, ac bonos animi sensus quibusdam aliis piis operibus fovebunt, donec tempus effluxerit. Quotquot verò hactenus istorum aliqua neglexerunt, citiùs omninò devotionis gustum amiserunt.

7. Quisquis ergo hunc gustum in se imminui aut pristinum fervorem remittere animadverterit, se ipsum excitabit, ut illum gemitibus atq; ad Deum suspiriis unius aut plurium dierum secessu, Sanctissimi Sacramenti visitationibus ac salutationibus, Beatissimæ Virginis ac suorum precibus Patronorum, brachiorum in modum crucis expansionibus, atque extraordinariis à P. Magistro aut Direc-

ctore

ctore post sacram præmissam communionem petitis pœnitentiæ operibus reaccendat, ad pristinum postliminiò statum ut ea ratione reducatur.

8. Quod si vero Divina Majestas in pœnata culpæ in sua remissione aut nimia in exteriora effusione ac dissipatione admissæ amissum devotionis gustum tam cito, tamque sensibiliter non reddiderit, propterea non turbabitur, neque animo frangetur, sed bonum desiderium suum continuabit, & magna cum resignatione, spe ac dulcedine hanc perferet Dei veluti absentiam atq; elongationem, dicendo cum Propheta: *Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec causam meam judicet--ducet me in lucem, videbo justitiam ejus.* Mich. 7. 9.

Status iste privationis humili submissione atq; ad Dei voluntatem conformitate locum obtinebit bonæ, etsi minus sensibilis, devotiònis: si modò quis interea nihil officii & obligationis suæ intermittat. Qui verò parùm curaret, ut omissam recuperaret devotionem, ea occasione facillimè perdere etiam posset, quidquid eousque lucrari potuisset.

II. *Ut teneriorem semper conscientiam retineant.*

COnscientiam teneriorem habere est non solum peccatum veniale æque ac mortale cavere, quòd utrumq; Divinæ Majestatis adversetur honori: verùm etiam in rebus minutioribus, quæ sunt sanctæ voluntatis ipsius, uti sunt Constitutiones, mandata Superiorum, Ecclesiæ cæremoniæ, Regulæ modestiæ & quidquid ad communem pertinet ædificationem,

nem, esse fidelem. Quisquis enim minora negligit, sensim prolabetur in majora, à quibus nunquam fortè resurget juxta istud ipsius Sancti Spiritus effatum: *qui spernit modica, pau-*
Eccli.19.1. *latim decidet. Attende, ne --- sit casus tuus in-*
c.28.30. *sanabilis in mortem.*

Initio quidem hujusmodi culpas leviores absque aliquo conscientiæ angore nemo solet admittere: at ubi quis illis assueverit, absque ullo conscientiæ scrupulo illas committit, qua ratione pedetentim in cordis duritiem incurrit. Cum S. Dominicus, postquam à primo conventu suo diutiùs abfuisset, pòst ad ipsum revertisset, incredibili affectus lætitia fuit, quod observantiam illic exactissimam reperiret, cùm Religiosi etiam minimarum quarumvis rerum transgressionem religioni haberent, Istiusmodi, ex. gr. sunt cellulam mundam servare, illam quotidie mane absque ullo neglectu componere, atq; minimùm in hebdomada semel scopis purgare, locis & temporibus silentio deputatis signis, ubi fieri potest, potiùs quam verbis, quæ ab aliis sciri debent, innuere, in Choro caput, juxta id quod præscribitur, cooperire, ac discooperire, profundas illic inclinationes atq; genuflexiones graviter & in spiritu facere; officia, quæ explenda quis habet, prævidere, neq; illa negligenter perficere, pro suo arbitratu à nullo actu regularitatis abesse, interiori impulsui ad præsentiam Dei se revocandi aut ad ipsum cor suum elevandi celeriter parere; aliaque similia, in quibus quis voluntariè aut ex socordia ubi defecerit, conscientiam suam lædet, ac Spiritum San-

Sanctum contristabit, qui proinde ab ipso se subducet, neque ea, qua priùs familiaritate loquetur ad cor ipsius, id quod cavere nos monet Apostolus ubi ait: *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei.* Ephes. 4. 30.

Nemo attamen ob culpas suas, quantumvis notabiles illæ fuerint, multò minùs ergo leviores ubi extiterint, conturbari, aut animum debet abjicere, sed in revertendo ad conscientiam suam fidem servare. Quare ubi primum aliquas à se noxas admissas animadverterit, se exinde humiliabit, veniam à Deo postulabit, ac sponte exiguarum, quas aliquando permittunt superiores, pœnitentiarum aliquam subibit dicendo v. g. Psalmum *Miserere* brachiis in formam crucis expansis, visitando ac salutando Sanctissimum Sacramentum, aliave consimilia peragendo. Atque exinde præteritis oblivioni relictis de futura solicitè cogitabit emendatione.

III. *Ut semper puram habeant intentionem.*

ILli in bonis exercitiis suis constantes persistunt, qui in illis aliud quærunt nihil, quam Deo ut placeant, illiusque adimpleant voluntatem; quoniam ita immutabile atque, ita loquendo, æternum illis motivum est. Huic intentioni quoadusque adhæserint, invariabiles erunt. Verum illi econtrariò, qui in agendo suam nativam propensionem, aut considerationes sequuntur humanas, æque inconstantes erunt, atque istæ ipsæ sunt eorum propensiones, ac res creatæ, quas sibi pro objecto proposuerint.

Quis-

Quisquis in actionibus suis placere hominibus voluerit, aut propriam in illis satisfactionem quavis ratione quæsierit, ubi primum ista defecerit, bona proposita sua & ipse abjiciet. Atq; ea communior causa est, quòd plures in eo, quod cœperunt non permaneant; quoniam non purè Deum, sed se ipsos æque, aut fortè etiam amplius, quam Deum quærebant: ut proinde ubi in Dei servitio propriam porrò non reperere oblectationem, mox ipsum abdicaverint.

Ista intentionum ipsorum impuritas illis non rarò, sive animi cœcitate, sive quod amoris proprii disquisitiones subtiliores existant, est ignota. Verùm usum aliquando inde aliquem contrahunt, quin ipsi agnoscant, ubi in operibus suis propriam commoditatem aut naturalem aliquam satisfactionem ex parte saltem sibi proponunt, & congruenter ad ista plerunq; agere amant. Perversa ac depravata pietatis illorum penetralia tum satis superque se produnt, ubi occasio fuerit aliquid faciendi aut patiendi, quod eorum naturæ adversetur, ubi turpiter succumbunt, palamque omninò faciunt, eousque purè ipsos non attendisse ad Deum, sed potius ad propriam animi voluptatem; quoniam ex virtutis præscripto vivere ac Deum glorificare desinunt, ubi naturæ suæ deficit voluptas & commoditas. Prô Deum! quot hujusmodi reperire est Religiosos?

Juniores ergo Professi, in bono perseverare qui cupiunt, præter teneritudinẽ Conscientiæ, quæ à malo abhorret, solicitè invigilare debent custodiæ cordis sui, ut in omnibus ac sin-

singulis actionibus suis solam Divinam spectent voluntatem, atque ut omnes subtiles amoris proprii disquisitiones mortificet. Observare debent se ipsos, ne fortè natura, quæ fermè semper se ipsam ac proprias comoditates attendit, ipsis imperfectiora exhibeat motiva, ex. grat. vanæ gloriæ, animi voluptatis aut alterius sive humani sive mundani objecti. Hoc est puræ semper intentioni studere, atq; ista in via Dei se stabiliendi ratio est.

Quid Iuniores Professi observare debeant erga amantissimam matrem suam Religionem.

I. *Ut semper, ubique, & in omnibus bono sint exemplo universis.*

EXimio ordinis honoris & observantiæ regularis, quo omnes probi Professi, veluti genuini Religionis suæ filii, ardere debent, zelo impulsi ubique omnes ædificare atque in omnibus bono tam externis quàm Fratribus esse exemplo connitantur, oportet. Minimè sanè omnium decet, Religionem ingressi ut fuerint, ei foris aut intus probro, aut scandali aut relaxationis aliis sint occasioni: quin potius ut ait Apostolus: *Nemini dantes ullam offensionem*; quantum quidem poterunt, exhibere se debent irreprehensibiles, ut amantissimæ matri suæ Religioni causam non præbeant de illis conquerendi ac dicendi: *Filios enutrivi & exaltavi: ipsi autem spreverunt me.* 2. Cor. 6. 3. Isa. 1. 2.

Nihil unquam clam superioribus agent, quod coram ipsis agere nollent. Quin potius sponte ipsi illos adibunt, ut ad pedes eorum provoluti de culpis admissis se accusent, quin

ullam

ullam celare nitantur, aut expectent, donec illæ ipsis per alios innotescant.

Nulla etiam ratione, adulatione, aut nequaquam innoxio silentio probabunt perversum exemplum, quod alii Religiosi coram ipsis præbuerint, ne culpæ eorum participes ipsi evadant: sed superiores monebunt, veluti eâ, Religioni quam debent, fide obstringuntur.

Tandem ita se gerent, ut frustra Religiosorum ne nomine insigniantur, neve opera ipsorum Professioni non consentiant. *Concordet vita cum nomine, professioque sentiatur in opere.*

S. Anselmus author est, vitam eorum, qui secus agunt, perpetuum esse mendacium: quoniam vestem præferunt pietatis ac Reformationis sub hac vel illa Religionis Regula, cui opera non respondent. *Unusquisque*, inquit, *sui Ordinis gerat officium, ne totum, quod vivit, deputetur mendacium: si enim quod ordinis sui est, non egerit, omnis ejus exterior habitus mentitur, qui eum illius ordinis esse testatur.* In similitud. c. 127.

Quotquot isto honoris Religionis & observantiæ Regularis bono exemplo suo tuendæ ac promovendæ zelo exarserint, næ illi procul absunt ab eo, de bonis propositis suis quidquam ut remittant: ac veluti in quavis occasione palam faciunt, amari à se Religionem, ita illi vicissim in Religione amantur. Voluptate ipsam afficiunt, atque ab illa vicissim afficiuntur. Omnia in illa ipsis arridenti, quo fit, ut ad quævis virtutum quarumvis exercitia magna cum alacritate accurrant.

II. *Ut ferventiores imitentur.*

TAntum abest, ut tepidioribus se accommodent, ut etiam quovis tempore ferventiores, devotiores, modestiores, ac vitæ regularis amantiores, adeoque in via Dei meliori gradu procedentes imitentur. B. Stanislaus Societatis Jesu Novitius modestiâ suâ colligebat, ac sermonum suorum ardore succendebat omnes Fratres, qui ipsum intuerentur, aut loquentem audirent. Hi igitur in loco orationis illic conabantur consistere, unde ipsum videre possent, quò ita ex isto ipsius intuitu animis collectiores ac ferventiores evaderent.

Ad eum modum Juniores Professi, veluti prototypa ob oculos sibi proponent illos, quos viderint esse singularioris exempli, atque post illos, veluti magnis passibus procedentes gigantes, currere admitentur. Cùm illis aliquando sermones de Deo miscere gaudebunt, ubi id absque communis fieri poterit charitatis dispendio.

Peculiariter investigabunt exercitia & usus, quæ ipsis ad agendum in spiritu magis conducunt. Illos rogabunt, ut plena cum fiducia de culpis, quas in illis deprehenderint, illos commonefaciant. Hoc ubi charitatis obsequium ab illis accipient, gratias illis agent. Denique suas agendi rationes aliquando comparabunt cum illis, quibus hujusmodi ferventiores Religiosi utuntur, ut videant, in quo illis dissimiles sint, ut emendent.

III. *Ut ament bonum commune.*

BOnum commune privatis suis commoditatibus anteponent, & cum gaudio occasiones accipient alicujus communitati exhibendi obsequii, quantumvis in privato id magno eis steterit labore, qui attamen suavissimus illis erit in gratiam amantissimæ Matris, quæ illos recepit, atque in gremio suo nutrivit.

Nullo unquam tempore vendent, sive, ut sic dicam, emi facient exigua obsequia ac servitia sua. Quin potiùs econtrariò sponte superioribus se offerent ad omnia molestiora, sive intrà sive extrà, peragenda negotia, quin ullam querimoniam habeant, vel utrum & alii similia agant, nec ne attendant.

Zelum adeò bonum conservabunt, ut omnia in communitate ordinatè procedant, ut ad æquis animis acceptanda quævis, quæ obedientia eis injungere voluerit, officia, eaque sanctâ quadam cum lætitiâ atque alacritate exequenda sint comparati.

Ubi nullum hujusmodi officium ipsis injunctum fuerit, quotidie se ad aliquid faciendum assuefacient, quod publicam communitatis spectet commoditatem, quantumvis id aliud foret nihil, quàm ut claudant fenestram aut januam, quam non convenit esse apertam, aut librum, qui alioquin corruptionis periculo exponeretur, rectè componant, aut rem quampiam suo loco, à quo fortassis fuerit amota, restituant, aut alia diversa officia exhibeant, quæ quantumvis in seipsis perexigua sint, illos tamen, ea qui præstant, paulatim supra

pra ignavum ac terrenum amorem erigunt & extollunt, ut ipsos sanctâ quadam consuetudine in rebus etiam majoribus spirituale ac temporale bonum Religionis, ubi poterunt, procurandi locupletent.

IV. *Ut Fratribus quoq; suis sint officiosi atq; obsequiosi.*

HUnc fraternæ charitatis usum & exemplo & scriptis suis commendavit sancta Mater Theresia. Ubi aliud quid agere illa nequibat, quam alicui sororum in obscuro ambulanti ut præluceret, id officii minimè omnium negligebat. Ad eum modum boni Professi, qui in spiritu Religionis stabiliri ac confirmari desiderant, magnoperè suavis atque intimæ & sinceræ charitatis actiones, excolere connituntur. Quantum quidem ipsis licet, omnem sibiipsis laborem ac molestiam sumunt, illa Fratres suos ut exonerent. Abjectiora quæque sibi eligunt, ut aliis honorabiliora relinquant. In dies singulos sibi ipsis præscribunt duos aut tres actus exteriores obsequii erga illos, quantumlibet in aliis illi siti non essent, quam ipsis lumen ut offerant, quo candelam ipsi suam accendant; scopas aut aquam, cellulam suam ut verrant, librum deferant, quem ab illis expeti norunt, locum aut sententiam in illo inquirant ac notent, quam ipsi fortè legere voluerint; in aliquo officio ipsorum absentium vicem suppleant, atque alia minutiora servitia exhibeant, quæ contemptui haberi non debent, quoniam in Religione conser-

vant eminentissimum spiritum divinæ charitatis ac sanctæ horum erga illos humilitatis.

Quid Juniores Professi observare debeant erga seipsos.

I. *Ut præ omnibus spiritualem sibi profectum suum præfigant.*

VEluti dicere solemus Christianis sæculatibus, ut de salute sua potiùs æterna, quàm quavis re aliâ cogitent, atque eò ut omnia, quæ faciunt, veluti ad finem, ob quem Deus ipsos in hoc mundo collocavit, dirigant: ita dici debet Religiosis, ut præ omnibus rebus aliis cogitent de suo in perfectione progressu ac profectu, hoc est, ut solidè exerceant virtutem secundùm instituti sui spiritum, quoniam hic finis est, ob quem Deus ipsos ad statum Religiosum ac speciatim ad Ordinem istum appellavit. Quævis alia accessoria cùm sint, hoc unicum præcipuum ac totius rei caput est.

Cœcitatem deploramus sæcularium, qui omnem penè curam ac solicitudinem suam rebus mundanis cùm impendant, parùm omninò de salutis suæ negotio cogitant. Haud minùs profectò deploranda foret cœcitas Religiosorum, qui tanto nequaquam ardore profectum suum prosequerentur spiritualem, quanto officio & negotiis à Superioribus ipsis demandatis intendunt, quoniam accessorium permutarent in præcipuum & oblivioni vocationis suæ finem traderent.

In omnibus hujusmodi negotiis & occupationibus constitutum sit nobis oportet, Deo potiùs placere, quàm probantibus hominibus ea feliciter perficere: atq; si illis, quidquid Deus ingenii & industriæ nobis concesserit, impenderimus, ut illa pro debiti ratione exequaquamur, id fiat est necesse, quoniam sic ipsius fert voluntas, non ut nostro fiat satis desiderio atque expectationi. Adhæc meminisse nos oportet, velle ipsum, ut ampliùs etiam in nostram incumbamus perfectionem, omninoque fore satius, si cetera omnia negligeremus, quàm ut in illa delinqueremus.

Junior Professus semper ob oculos propositum sibi habeat oportet, Religiosam vitam amplexatum se non fuisse, in virum doctum, aut concionatorem ut evaderet, neque aliorum ibi ut sibi benevolentiam compararet, neque officiis sive muneribus ut exornaretur, quin potiùs ut in suam perfectionem, hoc est in sui correctionem, per veram mortificationem, efficaciter incumberet. Multùm ei proderit, si quot hebdomadibus vel quot mensibus sibi præstituat exercitium peculiare alicujus virtutis, aut destructionem alicujus vitii, sibique certum numerum actuum tam interiorum quàm exteriorum præscribat, quorum etiam in examine conscientiæ exiget rationem.

Sæpiùs in memoriam sibi revocabit sancti Spiritus istud effatum, nempe omnia penitùs inutilia ac puram esse vanitatem, nisi quis Deo, timoris & amoris affectu, ac sanctæ voluntatis illius adimpletione, adhæreat. *Deum*, inquit, *time, & mandata ejus observa:* Eccle. 12. 13.

hoc est enim omnis homo. ubi S. Hieronymus subjungit : *Si hoc est omnis homo, ergo absque hoc nihil omnis homo.*

Animo etiam versabit, quod si tempore Novitiatus aliò non spectavit, quam suo ut benè in omnibus fungeretur officio, quo hac ratione gratiam mereretur professionis, vita nostra hic in terris est Novitiatus æternitatis, ac proinde eodem fervore continuare suum debet rectè in omnibus agendi modum, ut in morte sua dignus judicetur, qui in numerum beatorum cœli Professorum cooptetur, unde amplius ne excludatur per omnem timere non habet æternitatem.

II. *Ut tempus convenienter adhibeant, ac bene impendant.*

BOni Professi studiosissimè curant optimè uti tempore, quod ab actibus communitatis Religio ipsis in cellulis transigere permittit. Ipsum igitur impendunt solis utilibus occupationibus, qualis est lectio librorum verè spiritualium ac devotorum, ex illis excerpunt egregias sententias, potissimùm verò ex sancto Evangelio & Epistolis S. Pauli, quas aliqui penè integras memoria retinuerunt. His adjungo exscripta exempla insigniorum versiculorum Psalmorum & monitorum Sapientiæ Salomonis, ut illos mandent memoriæ, illisque utiliter in interiori animorum suorum occupatione utantur.

Lectioni huic suæ intermiscent quædam cum Deo devota colloquia, atque animum quandoque intendunt ad aliquod genus orationis

rionis penitùs affectivæ, & gustibus spiritualibus refertæ, quin aliâ ratione quidpiam meditentur, è qua quidam non rarò plus emolumenti percipiunt, quam ex illa, cui cum communitate vacaverunt.

Capitis gravedinem atque ignaviam expugnant brachiorum in formam crucis expansionibus, aliisque corporis incommodis habitibus ad modicum tempus perductis, atque eâ ratione superant otiositatem, atque in cellula suâ Paradisum inveniunt exemplo illius, qui dicere amabat: *O beata solitudo, sola beatitudo!*

Ex illa qui egrediuntur, ut divagentur, ut hic & illic per varia Monasterii loca quærant animi relaxationem, magnam contra Deum admittunt infidelitatem, quæ sæpiùs punitur ariditatibus, quæ inde plerumque progenerant in pietatis studio torporem ac languorem, atque etiam in multis integram à primo statu suo defectionem.

III. *Ut hominem suum tam interiorem quàm exteriorem probè excolant.*

INterior homo anima, exterior corpus est. Animam porrò suam excolunt, ubi magni, uti debent, faciunt illius dignitatem, quod in illa sit imago Dei, quì se in illa contemplando oblectatur, quamdiu vitiis & inordinatis animi motibus non deturpatur, sed in sua innocentia perseverat.

Hominem verò suum exteriorem excolunt, quando corpus in exacta continent modestia, ipsumque honorant veluti Fratrem Jesu Christi,

sti, postquam Verbum Caro factum est; veluti Templum divinitatis; ac veluti sacrum Tabernaculum, quod ipse Christus Jesus præsentiâ suâ in sacra Communione sanctificavit. Vehementissimè igitur ab omni eo abhorrent, quo istud prophanari Sanctuarium posset: atque ut ipsum à vitiorum spurcitia ac putore tueantur, illud cum S. Paulo castigant ac voluntariâ afflictatione in servitutem redigunt.

CAPUT LXII.

Regulæ peculiariores pro Junioribus Professis, qui primum suum conservare volunt fervorem.

1. PEr primum à professione sua annum illum cujuslibet mensis diem, qui erat, quando illam faciebant, sibi selgent, ut illo ipsius professionis memoriam celebrent, Deo gratias agendo, ad sacram accedendo synaxin, votaque sua ac sancta, quæ in illorum emissione conceperant, proposita renovando.

2. Anno isto elapso iisdem affectibus celebrabunt Anniversarium, huncque morem annuatim continuabunt, diem integrum solitudini atque animi collectioni consecrando, ac totius anni istius noxas confessione sacrâ expiando.

3. Per priores annos istos quotidie visitabunt sanctissimum Sacramentum, ut Deo pro vocationis suæ beneficio gratias agant, atq; animi

mi sui sensus circa ipsum reficiant, nunquam illos præsentes ut ne habeant. Isti usus prævenient ac impedient, quæ illis obvenire possent, fastidia.

4. Plerumque semel singulis hebdomadibus Patrem Magistrum aut Directorem suum convenient, ut fideliter & candidè illis conscientiæ suæ statum aperiant. quin ullâ illos ratione celent tentationes, defectus, affectiones aliasque suarum infirmitates animarum.

5. Amabunt austeritates atque singulis septimanis aliquas supererogationis obibunt pœnitentias, per aliquas diei saltem horas v. g. gestando cilicium aut setis, sive ferreis aculeis asperum cingulum, aut flagellis extra morem se cædendo, certo certiùs sibi persuadentes, se, si rerum istarum nullo ampliùs teneantur desiderio, de statu suo plurimùm defeciisse, jamque sensualitatem in ipsis prævaluisse.

6. Sæpiùs petent mortificationes subire in Refectorio, cui etiam eorum petitioni Superiores habebunt annuere, potissimùm in festorum Domini nostri, glorioſissimæ Virginis, ac præcipuorum Ordinis nostri Sanctorum vigiliis, uti & ipsa die festa Patroni, qui illis itto mense obtigerit.

7. Peculiari atqne excellentiori devotioni studebunt in divino officio, sive in Choro cum aliis ipsum decantent, sive privatim persolvant. In Choro etenim ipsum decantare debent cum fervore, quin ulli parcant labori: privatim verò ipsum recitare debent haud minori cum reverentia atque attentione,

quin ipsum, uti nec alias vocales devotionis preces, præproperè præcipitent.

8. Cavebunt, ne pro solo more atque absque convenienti præmissâ præparatione sanctissima Confessionis & Communionis Sacramenta frequentent: permagnum enim periculum fotet, ne eâ ratione in mentis excœcationem & cordis duritiem sensim incurrerent, veluti ex doctrina Sanctorum addiscimus.

9. Singulari pietate ac Religione erunt in sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, omnique studio se dignos reddere connitentur, qui ipsum frequentiùs sumant.

10. Quovis in loco suaviter atque amanter ob oculos sibi proponent gravem atque admirabilem mansuetudinem ac modestiam Domini nostri Jesu Christi, illi convenienter & ipsi ut agant.

11. Fideles imprimis erunt cogitationibus suis, ubi primùm manè fuerint expergefacti, ad Deum dirigendis, perfectè ac celeriter elevando atque excitando omnes & singulas animæ suæ facultates, ut integrè sese offerant, atque in manus divinæ Majestatis suæ resignent.

12. Hanc suimetipsorum oblationem ac bonum pro tota die reliqua propositum singulari facient cum fervore, ac sincero amore, illi tantum, quantum opus erit, temporis impendendo, ut cum attentione eliciant actus adorationis, gratiarum actionis, boni propositi, petitionum, fidei, spei, charitatis & alios. Illos enim prætermittere nunquam debent, nisi ubi fortassis omninò evidenter à Deo ad aliud quodpiam melius exercitium, quo cor ipsorum di-

vinæ

vinæ ampliùs Majestati uniretur, trahi sese certò compererint. Id quod tamen adeò ordinarium non est, præpedire ut possit, quin ista horum actuum eliciendorum lex generalis existat.

13. Totam diem huic animi collectioni insistent, directiones videlicet convenientes omnibus & singulis operibus suis præmittent, easque frequentibus aspirationibus, paucis verbis expressis, uti & Deo placendi desiderio, animabunt, atque vitam excitabunt.

14. Si quando fortassis infidelitate suâ in aliquam prolapsi fuerint noxam, mox illam quadam modicâ susceptâ pœnâ eluere conabuntur, interea dum Sacerdoti illam retegendi tempus expectabunt, aut certè à suo Directore, illâ ei humiliter expositâ, hujusmodi pœnam imponi sibi curabunt. Quisquis ista omnia exactè servare atque adimplere conatus fuerit, sperare certò poterit fore, ut ad finem usque in cœpto perseveret instituto.

CAPUT LXIII.

De Studentibus.

NOnnulli juniores Religiosi, ubi ad studia deputantur, persuasum sibi habent, usque ad id temporis in Religione omninò nihil sese addidicisse, atque jam nunc futurum, ut rara ac sublimia doceantur. Eâ ratione qui cogitant lumine destituti quæ Dei sunt, uti oportet, non æstimant, neque comprehendunt. Quod enim tam in Novitiatu, quàm in Semi-

nario docentur, sola vera ac necessaria scientia est, cum id quod deinceps addiscere habent, accessio duntaxat atque additamentum longeque minoris esse momenti certò dignoscatur.

Nunquid vera ac necessaria scientia est cordis ac salutis, conversionis animæ ad Deum, orationis, mortificationis ac virtutum? Ea enim sunt, quæ sine periculo ignorare non quibant, ac sine quorum notitia vitam in Religione duxissent animalem ac vitiosam: cùm scientia illa, quam expectant, sit humana, speculativa, atque ad animum à Deo potiùs abducendum, quàm ad ipsum adducendum idonea. Huic ergo priorem semper anteponant omninò est necesse.

Intereà Religio, postquam scientiâ Sanctorum in ipsis solidum jecit ædificii spiritualis fundamentum, etiam cupit, ut docti evadant, ac prædictis scientiarum, tam pro Ordinis fulcimento, quàm sanctæ Ecclesiæ utilitate, ornamentum adjiciant. At huic studio aliâ ratione intendere non debent, quàm æquè pura, atque æquè expeditâ intentione, ac quævis reliqua ab obedientia injuncta susceperе atque executi fuere negotia.

Porrò pura intentio eorum non foret, si eò spectarent, ut, ubi ad novum hunc in Religione gradum procederent, in illo minus subjectionis & plus eis esset libertatis. Quod si studiis vacent, ut ingenio atque animo suo satisfaciant, vituperabilis *curiositas* est. Si studio suo hominum laudes atque excellentis ingenii existimationem aucupentur stulta *vanitas* est. Si Fratribus suis præstare connitantur, illis ut anteponantur, atque idcircò ægrè ferant, quod

alii

alii ipsos anteceedant, culpa *invidiæ* est, cujus rei coram Deo cùm sint, hic studiis eorum nequaquam benedicet: atque omnis, quam acquirere poterunt, scientia citiùs aut seriùs in hac vita, ac fortassis etiam in perpetuum in altera in solam eorum redundabit verecundiam & confusionem.

S. Bernardus omnes istas perversas condemnat intentiones, docens, ut scientiâ ne abutamur, opus esse, ut ea duntaxat addiscere studeamus, quæ, ut benè vivamus, ignorare non debemus, hoc est Theologiam, quæ est scientia eorum, quæ credere debemus per fidem, & reipsa per bonos mores perficere. *Sunt*, inquit sanctus ac devotus hic Pater, *qui scire volunt, eo tantum fine, ut sciant, & turpis curiositas est. Et sunt, qui scire volunt, ut sciantur ipsi, & turpis vanitas est. Et sunt, qui scire volunt, ut scientiam suam vendant, v. g. pro pecunia, pro honoribus, & turpis quæstus est. Sed sunt, qui scire volunt, ut ædificent, & charitas est, & item, qui scire volunt, ut ædificentur, & prudentia est. Horum omn ũ ultimi duo non inveniuntur in abusione scientiæ, quippe qui ad hoc volunt scire, ut benè faciant: Nam intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Serm. 36. in Cant.

Potissimùm ergo studiis intendere debent Fratres nostri, ut Dei adimpleant voluntatem ac satis obedientiæ faciant, successum divinæ committentes providentiæ. Hac ratione æquale coram sua Majestate meritum erit illius, qui amplum, & illius, qui nullum facit in scientia progressum, si modò utetque fructuosè impen-

impendere conniti tur tempus ſtudendi, quod illi Religio permittit, idque faciat æquè puro incitamento impulſus.

Quidam non ignotus ratæ virtutis Religioſus, qui ad percipiendos Dei in oratione afflatus, quàm ſcientias in ſtudiis acquirendas capacior cùm eſſet, nihilominus haud minori, quam Confratres ipſius, aſſiduitate ſtudiis, etſi exiguo intendebat eum profectu. Aliorum ergo non nemo familiariùs ei dicebat: Nonne vides, quod è ſcriptis tuis intelligis omninò nihil? Ut quid ergò ſtudendo tibi caput obtundis? Cui ille ſubridendo reſpondit: Frater chariſſime, non ſtudeo equidem, ut doctus evadam, ſed obedientiæ ſatis ut faciam.

S. Franciſcus eâ ratione Fratres ſuos incumbere ſtudiis voluit, ne iſta ſpiritum in ipſis orationis præfocarent. Hoc eſt, ut ex ipſis ſtudiis mentem ad Deum elevandi atque ipſum amandi occaſionem arriperent. Quoniam committere nemo debet, eouſque deſiderium & oblectatio ſtudiorum ipſi ut dominetur, ut deſiderium & guſtus Dei in ipſo ſuffocetur.

Cùm è primis illius ſociis nonnulli intelleXiſſent, complures honoris gradu in Academiis tam Pariſienſi quàm aliis in Europa jam tum inſignitos, Ordini ſuo fuiſſe aggregatos, ſanctum Fundatorem ſciſcitabantur, utrum voluntatis ipſius eſſet, ut Fratres illius ſtudiis operam navarent, quibus ille reſpondit: *Mihi quidem placet, dum tamen Chriſti exemplo, qui magis oraſſe legitur, quàm legiſſe, orationis ſtudium non omittant.* Indeque ſubjunxit: *Nec tantùm ſtudeant, ut ſciant, qualiter*

ter debeant loqui, sed ut audita faciant. & cùm audita fecerint, aliis facienda proponant. Volo enim Fratres meos discipulos Evangelicos esse, sicq; in notitia veritatis proficere, quod in simplicitate puritatis conerescant. Opusc. S. Francisci.

S. Vincentius Ferrerius instruens Religiosum, qua ratione utiliter studere deberet, ait, opus esse illi, ut sæpiùs à libris abstractos oculos elevet ad Deum cum pace ac spiritus recollectione, ut ita ipsius Dei sibi spiritum attrahat. Atque istâ ratione oratio studio miscetur. Neque enim scientiam ullam possumus adipisci solâ nostrâ applicatione aut industriâ, sed dono & gratiâ Dei, qui in illa dispertienda liberalis est erga humiles & devotos ad ipsum confugientes, cùm parcus sit in superbos ac præsumptuosos.

S. Thomas Aquinas & S. Bonaventura ingenuè confitebantur, orationis multò se, quàm studii beneficio doctiores evasisse; non quidem fortassis, quod scientiarum lumina illis fuissent sub ipsis precibus communicata, istę enim distractiones fuissent, sed tum temporis merebantur, ut illa eis Deus, ubi opus haberent, infunderet.

Scientia illorum neque arida neque sterilis erat, sed cum quadam unctione & gustu Dei sapidissimo conjuncta. Sapientiam potiùs illam dixeris, quàm scientiam, quia omnes suas cognitiones in laudes Dei ac devotionis argumentum convertebant. Quantumvis speculativæ adeoque minùs ad illis ex seipsis conferendam unctionem idoneæ illæ forent, ipsi tamen

men eas ad Deum referendo, suam in ipsis reperiebant ædificationem, studiosiùs cavendo, ne naturale ingenium in illis curiosiùs conquiesceret, aut ullas ab hominibus laudes acceptarent : sed solam Ecclesiæ utilitatem, fidei Catholicæ fulcimentum, ac salutem animarum magnâ sinceritate spectando.

Et verò haud ignoramus à divino Apostolo D. Paulo fructum atque utilitatem studii non constitui præcisè in scientiæ acquisitione, sed in illius acquirendæ ac possidendæ ratione. *Si quis*, inquit, *se existimat scire aliquid, nondum cognovit, quemadmodum oportet eum scire.* 1. Cor. 8. 2. In quæ verba D. Bernardus ita ait : *Vides, quomodo fructum & utilitatem scientiæ in modo sciendi constituit.* Atque si diceret, satis neutiquam esse, quod libros quis pervolvat, quòd speculationibus intendat, quòd ingenii acumine ac memoriæ polleat tenacitate, verùm rei caput in eo situm esse, ut quis habeat unctionem ac devotionis gustum, quem Deus humilibus ac propriæ excellentiæ minùs studiosis indulget. Sancti illi nunquam studiis vacabant, quin animum priùs ferventiùs ad Deum elevassent, ac Spiritus sancti auxilium imploràssent, cùm proprio suo nullâ ratione niterentur, atque idcircò cordis ipsorum humilitas gratias atque illustrationes abundantiores illis conciliabat.

Eorum igitur exemplo devotus Religiosus studens studiis istam aut similem præmittere directionem nunquam intermittet. Domine Deus meus, qui Rex es scientiarum di-

stri-

" stributor, ac Magister animorum, quibus
" esse potest nihil, nisi quod tu illis donare vo-
" lueris : Offero me divinæ Majestati tuæ,
" omninò agnoscens meam quidquam addi-
" scendi aut comprehendendi impotentiam,
" nisi tuas tu gratias atque illustrationes im-
" pertitus mihi fueris. Tantundem igitur il-
" larum te humillimè oro, quantum tu vo-
" lueris ac mihi ad meam conducere salutem
" ac Religionis obsequium noveris : ex nunc
" enim renuncio omni vanitati, propriæ exi-
" stimationi aut præ reliquis meis Fratribus
" prærogativæ, teque sincero corde rogo, illas
" mihi ut deneges, si futurum prænosti, illis
" quavis ratione ut utar, quæ tuæ sanctæ sit
" contraria voluntati. Noli, quæso te, sinere,
" ut eo studiis intendam ardore, ut rerum spi-
" ritualium, illis longè potiorum ac præstan-
" tiorum, gustum amittam : neque etiam so-
" cordiâ meâ mei curam ut abjiciam. Tuam,
" Virgo sacratissima, hîc opem quoq; imploro.
" Et tu Angele Dei, qui custos es mei, cogita-
" tionibus bonis me illustra ac memoriam me-
" am ad aspirandum ad Deum sæpiùs excita.

Devotus Religiosus studens nequaquam satis habet, quod eâ ratione Deo studium suum obtulerit, verùm etiam singulis horæ quadrantibus ad divinam Majestatem, vel simplici quodam amoris pleno obtutu, vel diserte conceptis actibus, juxta quod interiùs dispositus ipse fuerit, aspirat.

Nonnulli ut in seipsis frequentem hanc Dei excitent recordationem, certis utuntur industriis ab ipsorum pio desiderio inventis, veluti

ista est, ut coram oculis suis supra mensam suam majusculis literis scripta habeant verba ista: *Maledicta Dei oblivio* aut aliam consimilem sententiam: aut ut coram habeant Christi in crucem suffixi, aut devotam quampiam Beatissimæ Virginis imaginem, cujus intuitu ad seipsos revocentur.

CAPUT LXIV.

Magni momenti monita pro Religioso studente, qui sub studiis suis spiritum devotionis conservare desiderat.

EXtracta sunt monita ista è duobus exercitiorum libellis à nostro V. Fratre Joanne à S. Sampsone, ac discipulo ipsius V. P. Dominico à S. Alberto in gratiam eorum, qui fermè primi in Reformatione nostra studentes extitere, compositis. Porrò ad tria illa capita queunt reduci. Primi generis spectant ad interiorem ac particularem cujusque agendi rationem, alterius generis pertinent ad communes vitæ Regularis actiones, ac tertii denique ad munera officii Scholæ. Præstantissimi igitur isti Directores ita loquuntur.

Quantum attinet ad interiorem agendi rationem.

I.

SUpppposito, Frater charissime, quòd Deum gustaveris, quòd in oratione ac mortificatione

tione te exercueris, quòd acquirendis virtutibus utiliter incubueris, quodque sis, uti esse debes, ad studendum vel non studendum indifferens: obedientiam ad studia animum applicandi accepta veluti specimen fidelitatis circa amorem, quem toties Deo promisisti, ut nisi illo non oblecteris, quin unquam propriam quæras animi voluptatem.

II.

Ex aliorum plurimorum lapsu metuere disce, ne in studiorum exercitio perdas, quidquid hactenus lucrari fortasse potuisti. Etenim quòd studia orationi & humanam scientiam divinæ sociare sapientiæ illi non nossent, paulatim remissiùs agere, indeque omninò cœperunt dissipari, ac tandem ad talem Dei oblivionem, ac devotionis, rerumque spiritualium devenere fastidium, ut adeò profundè in amorem proprium ac sensualitatem sint prolapsi, atque antea elevati, atque in Deo videbantur esse constituti, ut proinde de ipsis dici queat: *Quomodo cecidisti Lucifer, qui manè oriebaris?* Quomodo tam egregium initium finis adeò miserandus excepit? Quomodo manè, quod diem adeò serenam promittebat, obscuratum tam subitò fuit? Isa. 14. 12.

III.

Sincerè & unicè in hac nova occupatione Deo placere desidera, atque illius continuam conservare præsentiam conare. Non quidem quod integrè omninò ad studium atque ad Deum attendere simul valeas, hoc enim possibile non est, sed opus est, ut intellectum stu-

dio impendas, ubi interea voluntas tua in sua Deum amandi intentione atque ipsi placendi desiderio invariata persistit. Studiosiùs animadverte, verum amatorem ad actionem, quam facit, non adeò esse attentum, quin omnem amorem atque intentionem suam erga illum, ob quem illam facit, conservet. Velut Artifex, qui opus aliquod in officina sua facit pro quodā Domino, qui ipsum ei cōmendavit, dum animum suum operi suo citè perficiendo habet intentum, corde nihilominus atque intentione actuali & continua, etsi absque ulla inquietudine, eò spectat, Domino illi satis ut faciat.

IV.

Tua ad studium applicatio, ut sit virtuosa, esse debet inter nimiam solicitudinem ac negligentiam, quæ duo extrema vitia sunt, media ac moderata. Ex una enim parte cavere debes, ne sub prætextu devotionis negligens, socors atque ad studia indifferens existas, quoniam vult Deus, illis ut intendas, prout oportet, quamdiu id tibi Religio injunxerit. Ex alia verò parte similiter cavebis nimiam sollicitudinem, quæ est quædam aviditas, sive animi ingluvies, quæ te eò impelleret, ut cœco velut impetu in scripta tua ferreris, quin quasi unquam ad Deum te revocares, aut tempus tui agnoscendi aut colligendi, ubi etiam in cellam reversus fuisses, tibi permitteres. Hoc ipsum verò plurimùm adversaretur tuo puri amoris ac solius divinæ explendæ voluntatis, absq; ulla tua voluptate, intentionis exercitio.

In

In istis æquò curiosioribus animi impetibus adhibenda tibi violentia erit, ut non solùm pro more recepto ores salutationem Angelicam *Ave Maria*, verùm etiam ut aliquamdiu in scabello tuo precatorio genuflexus persistas, ut illos cohibeas ac sensim illis modereris.

V.

Adhæc oppugnanda & superanda tibi *Vanitas & Invidia* erit. *Vanitas* enim fortassis tibi suggeret cogitationes propriæ excellentiæ, ac in Schola eminendi atque apparendi ambitionis: v. g. ut inter meliores habearis studiosos, ut publicas Theses præ reliquis Fratribus tuis, utpote magis illis idoneus, propugnes, aliisque hujusmodi prærogativis potiaris. Hinc etiam stimulari poteris *æmulatione & invidiâ* adversùs eos, qui te existimati magis idonei tibi fortè fuere antepositi. Verùm adversùm hæc gemina vitia, quæ puram ac simplicem intentionem tuam omninò evertunt, sequentia concipere debebis proposita. 1. Toto studiorum tuorum tempore nihil animo concipiendi vel designandi, neque quidquam aliud petendi aut quærendi, quàm obedientiæ satis ut facias ac divinam adimpleas voluntatem. 2. Æquè lætandi, ubi Fratres tui sua ritè & cum laude peregerint, atque tu ipse si faceres, quoniam æquè per alios ac per te glorificari potest Deus. 3. Quinimò etiam ampliùs gaudendi, quòd alii sua benè faciant, quam ipse si faceres, eisque ex animo omnes cedendi honores ac prærogativas. Neque enim Dei gloria, neque tua perfectio, quæ sola sunt, unicè desiderare

quæ debes, scientiæ aut omnium exiguorum istorum beneficio promovetur honorum; quin potiùs econtrariò abjectio & cordis humilitas potissima sanctitatis adipiscendæ via ac ratio est.

VI.

Veluti tentationi manifestæ diffide verbis assentatoriis à quovis fortasse prolatis, esse nimirum te magnæ expectationis hominem, fore te insigniter doctum, egregium Lectorem, aut Professorem, Prædicatorem sive Superiorem. Cuncti etenim sermones isti ad nihil inserviunt, nisi te ut impleant vanitate, atque à simplici intuitu tuo, quo solum Dei amorem, atque illius in studiis tuis adimplendam spectabas voluntatem, avertant ac procul abducant.

Audi potiùs S. Bernardum de modo in Religione studiis vacandi ita loquentem: *Modus sciendi est, ut scias, quo ordine, quo studio, quo fine quæq; nosse oporteat. Quo ordine? Ut id priùs, quod propiùs ad salutem. Quo studio? ut id ardentiùs, quod vehementiùs ad amorem. Quo fine? ut non ad inanem gloriam seu curiositatem, aut aliquid simile, sed tantùm ad ædificationem tui vel proximi.* Serm. 36. in Cant.

VII.

In istud imprimis incumbe, ut semper benè facias tuam orationem. Atque idcircò nunquam ad illam accede, quin te prævie præparaveris, ac saltem aliquod argumentum determinaveris, ad quod, si fortè distractionibus, quæ satis ordinariæ atque importunæ tibi erunt, fueris impetitus, queas recurrere. Argumentum

hoc

hoc poterit esse exemplum vitæ Salvatoris nostri aut Sanctorum, aliquæ sancti Evangelii aut Epistolarum D. Pauli, aut Sapientiæ librorum sententiæ, ubi nimirum prolixiori vacare lectioni per temporis angustias tibi non licuerit. Atque ubi orationi cum communitate vacare non potueris, omni studio ac fidelitate in illam privatim incumbere conare. Tempus nocturnum à dictis in Choro matutinis ad hoc opportunissimum erit.

VIII.

Diebus Dominicis ac generalis, ut vocant, communionis festivis horam integram orationi mentali inter primam ac majorem missam, sive inter vesperas & cœnam vel completorium post simplicem & affectivam lectionem spiritualem extraordinariè impende. Eâ ratione spiritum & usum orationis conservabis, totiusque septimanæ jacturas resarcies: cum nimis quàm verissimum sit, paucos studentium satis colligere ac tranquillare posse seipsos, ut duabus illis horis dimidiis, quæ ipsis quotidie indicuntur, orationem bene faciant, illorumque compluribus familiarissimum esse statum aridi tatis.

Diebus istis in studia ne incumbas, sed illos integros, præter vesperum, animi collectioni impendas: neque sis ex numero eorum, dictitare qui amant, quòd si tantum temporis orationi impenderent, nihil addiscerent. Exempla enim Sanctorum testatum contrarium faciunt, quoniam unanimiter fidem illi fecerunt, ad proficiendum in scientiis plus illis orationem

quàm studia contuliſſe. Qua illos proportione imitari contenderis, eâ dicti ipſorum veritatem reapſe experieris.

IX.

Quod ſi diebus iſtis æquè atque per hebdomadam ariditas tua perſtiterit, aut diſtractiones importunæ tibi fuerint, ne propterea horam illam Deo conſecrare prætermittas. Verùntamen fortaſſis expediet, ut de conſilio Directoris tui intermiſceas lectionem alicujus libri affectivi, ac verè ſpiritualis, aut vocaliter proferas egregias preces aliquas aut actus formatos atque in ſcriptum redactos. Quod ſi verò neque iſta induſtria tibi profecerit, tene te in ſilentio interiore cum gemitu in Dei præſentia, quantocunque afficiaris faſtidio. Ex eo enim quòd plures hoc monitum reipſa exequi negloxerint, fuerunt prolapſi, cum tamen antea eximios Dei attactus perſenſiſſent.

X.

Neque minoris fermè momenti erit, ut quotidie, absque ulla intermiſſione, ſaltem per horæ quadrantem lectioni ſpirituali des operam. Tutius atque ad hoc aptius tempus eſt matutinum, antequam lectioni tuæ ſcholaſticæ vacare incipias. Delectus librorum hic imprimis neceſſarius erit, neque enim omnes æquè ad inſtruendum ac movendum idonei exiſtunt. Ubi diſpoſitionem atque inclinationem tuam Directori tuo aperueris, hic judicabit, quem tibi dare debeat, veluti etiam rationem reddes illi profectus, quem inde elicueris.

XI. In-

XI.

Insigni pietate semper esse contende in sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, si in studiis cupis proficere: ipsum enim, teste S. Chrysostomo, *Arca luminum* est. Pietas ista fuit, quæ D. Thomam Aquinatem tantum adeoque profundum Theologum constituit. Illius ad imitationem Sacris ministrando delectare. Speciatim verò diebus Dominicis ac festivis, uni saltem ministrare connitere. Lætitiâ quoque non vulgari perfundere, ubi minoribus Altaris officiis peragendis in celebrioris ritus missis occupaberis. In Choro coram illo magna cum reverentia & gravitate caput & corpus inclina ac genua flecte. Ipsum quotidie, quantumvis tantillo tempore, visita. Hora commodior erit à recreatione pomeridiana aut repetitionibus. Quod si quæ difficultates tibi occurrerint, has reitera visitationes, atque haud vulgare inde percipies emolumentum.

XII.

Terna tibi exercitia præstitue, è quibus eximium sperare habebis subsidium. Primum est, ut cum tui Directoris licentia quovis mense aliquam seligas Dominicam, in qua vacando solitudini in tuum statum inquiras, atque omnes hasce regulas relegas, ut videas, num illas observes, aut quantum ab illis aberraveris. Secundum, ut quavis hebdomada unam alteramve supererogatoriam pœnitentiam sive corporis macerationem, juxta vires tuas ac Directoris tui ordinationem, suscipias.

Tertium, ut saltem singulis quindenis aliquam in Refectorio subeundam petas mortificationem, nisi in Capitulo aut Culparum exercitio aliqua injuncta tibi fuerit. Atque licet solus tu fores, qui hujusmodi exercitia susciperes, in illis tamen remissiùs agere cavebis.

Quoad actiones vitæ regularis communes.

1.

HAud equidem ignoras, quemvis bonum Religiosum esse vitæ regularis amantem, & qui hujusmodi non fuerit, bonum Religiosum minimè omnium posse censeri. Hanc igitur veritatem tibi semper habeto persuasissimam, atque omninò caveto, ne, doctus ut evadas, bonus esse Religiosus desistas: æquâ enim sic Dei punitione utroque dono orbareris. Bonus quidem porrò Religiosus non fores, quia regulatem vitam negligeres: neque etiam in virum doctum evaderes, quia Deus studiis tuis neutiquam benediceret. Ecqua enim ratione benediceret, quod contra ipsius voluntatem quis susciperet?

2.

Hoc etiam certò persuasum tibi habeto, fore nunquam, ut ex te ipso ac propria industria vel minimum assequaris scientiæ gradum, neque quidquam obtineas, nisi quantum tibi Deus indulgere voluerit. Ut igitur ab ipsius bonitate scientiam, quam tibi donare ab æterno constituit, obtineas, quidquam facere vel omittere metue, quod ipsum refrigescere faciat

aut

aut adversùm te ad iracundiam provocet. Omnes quidem communitatis actiones, specialiter verò officium divinum, in deliciis habe, atque hoc certum tibi sit indicium, optimè tibi convenire cum Deo, si Chori amantior fueris. Econtrariò verò multùm te jam defeciſſe existima, illius fastidio si afficeris.

3.

Ab illo igitur nullo unquam tempore, sub quovis etiam obligationis argumentandi aut propositiones oppugnandi obtentu, absis, quin licentiam expressam obtinueris. Etenim Seniorum nostrorum verissimum proverbium est: *Maledictum studium, propter quod relinquitur divinum officium.* Nullo igitur illius capiaris fastidio, quin potiùs memento, propriam status Religiosi functionem esse Deum in Choro collaudare, ac dicito: Statum Religiosum potissimùm amplexatus fui, ut Deum laudarem, non verò studiis ut vacarem. Illud ergo caput, istud accessio est. Quod si quando tentatio tibi subrepserit, ut aliquo illius capiaris fastidio, eo quod æquò tibi videatur prolixiùs, aut quod ei adjectum aliquod fuerit additamentum, ne pausæ interrumpendæ te interponas, aut in corde tuo adversùm illos obmurmures, convenientem servare qui voluerint. Aliâ ratione si egeris, alia quæpiam, quàm Dei, cor tuum occupavit affectio, quæ illi in illius dominatur dispendium.

4.

Accuratus esto in obeundis quibusvis officiis tibi in communi, ut vocant, tabula demandatis,

datis, neque committas, ut alteri quodpiam eorum peragendum relinquas, nisi fortè tibi aliud cum isto incompatibile obedientia injunxerit. Veruntamen magnâ tu cum charitate accipias ac perficias, si quod tibi Fratrum tuorum quispiam commiserit.

5.

E cella ad primum campanæ ictum, veluti in Novitiatu factitare amabas, egredere: quod si concedendum ad Chorum tibi fuerit, evestigiò animum tuum omnibus studiorum ideis expedire contende, quas si ab illo non excluderes, continuæ tibi distractionis argumentum præberent. Idem quoque faciendum est tibi, ubi è Schola statim adeundum fuerit divinum officium.

6.

In conversatione cum Fratribus tuis etiam in minimis rebus virtutes Religiosas exerce. Hac enim ratione usu ipso disces etiam in majoribus nunquam deficere. Ternas tamen potissimùm habeto tibi commendatas, quæ præ reliquis exteriùs parent, & conversationem tuam, sive in recreationibus, sive alibi, maximæ ædificationis atque acceptissimam constituent, Prima est *charitas fraterna* in tolerandis Fratrum tuorum defectibus, aut difficilioribus fortasse moribus, atque ne de quopiam aut ullius capacitate nisi benè loquaris. Altera est *humilitas*, qua Fratres tuos in pluribus minutioribus officiis & obsequiis antevertas. Tertia est *modestia*, quæ, ultra cogitari quàm queat, ad cordis & animi collectionem conducit. In istis igitur ne vel tantillum remitte, quin potiùs

tiùs quasvis de illis regulas, haud secùs atque in Novitiatu, observa, qualiacunque tibi contraria occurrere quiverint exempla, & quantumvis solus fores, qui istam servares accurationem. Audi quomodo de isto virtutum in rebus minutis exercitio loquatur noster Ven. P. Dominicus à S. Alberto. *Vellem*, inquit, *Fratres charissimi, ut hoc altiùs cordibus vestris impressum haberetis, fore nimirum aliquando, ut occurrant occasiones, quæ nihili esse videbuntur, in quibus tamen maximum obtinebitis gradum amoris, si in illis virtutes, præcipuè fraternæ charitatis & humilitatis, exercueritis.*

7.

Veluti studium interiorem, ita & plerumque aufert simplicitatem exteriorem, & conversationem audacem, derisoriam atque aliorum illusoriam, plenam constituit ironiis, hyperbolicis locutionibus aliisque permagnis defectibus, à quibus quidem ubique maximè tamen cavebis in recreatione. *Noli*, inquit illuminatissimus cœcus noster F. Joannes à S. Sampsone, *esse è numero eorum, qui tempus recreationum transigunt vanitatibus, distractionibus ac jocis & facetiis, haud absq; horum aut illorum contemptu. Quod si te præsente similia fiant, quæ præpedire non queas, saltem gravi vultu ac oris compositione ostende, ea tibi minus placere, semperq; memento, tempus omne, quod istis conteritur, omninò inutiliter dissipari.*

8.

In conversatione cum æqualibus tibi bonum esse judicabis, quidquid apertè malũ non fuerit,

fuerit, quin tamen indiscretè omnibus, quæ ipsi voluerint, fecerint aut dixerint, te accommodes. Quod si quid te præsente contigerit, quod conscientiam tuam lædere, aut justam ac rationabilem in animo tuo causare queat inquietudinem, sile, idque postea cum Directore tuo communica, aut Superiori absque ullo metu denuncia.

De cetero dulcem, affabilem, & omnibus religiosâ urbanitate, honestate, rationabili discretione, atque altissimâ in Christo Jesu charitate amicum te exhibe. Verba illa sunt ejusdem illuminati cœci nostri. His ista adjungit; *Quod si qui Fratrum tuorum exercitio manifestè sunt imperfecti, illis, quantum potes, gratificare. Si eorum minùs bonæ videntur opiniones, eas magnâ prudentiâ dissimula. Quod si qui nimiùm excedant, illos ne sequaris, neq; tamen etiam cum illis contendas, sed medium tenendo æqualis semper esse studeas, neq; hac re potiùs quàm illâ commovearis, sed identidem intus ac foris quibusvis inordinatis motibus immunem te conserves.*

9.

Quoad ordinarias recreationes, illas diebus, quibus Schola frequentatur, impendes repetitionibus ac disputationibus. Diebus verò Dominicis ac festivis colloquium erit de rebus piis, modo tamen simplici, non verò quasi per modum controversiæ aut contentionis: hoc etenim æquè, atque alia, devotionem tuam evacuaret. Hora porrò elapsa cùm fuerit, illico absque ulla mora ad cellam te recipies.

10. Ar-

10.

Ardor, quem disputationes ac de studiorum argumentis collationes quandoque requirunt, charitate ac modestâ humilitate componi ac temperari omninò debet.

1. Charitas tua ea erit, ut nunquam verbis aut operibus offendas aut quempiam Fratrum tuorum contemnas. Quod si fortè fortuna tibi incogitanti quid hujusmodi exciderit, statim te corriges & satis illi facere connitêris.

2. Prudenter dissimulabis ac patienter tolerabis verba ingrata aut injuriosa ab aliis fortè contra te prolata, quia *Charitas omnia suffert.*

3. Nunquam Fratres tuos rubore afficies, quòd illis præferendo te quasi ipsorum ignorantiam palam facias, sed & si è Scholæ totius imperitioribus fuerint, illis parces.

4. Postquam opinionem tuam rationibiliter propugnaveris, si aliis illa non arrideat, illis concedes & modestâ humilitate superari te sines, ne pertinax aut judicii nimiùm tenax & cerebrosus esse videaris.

11.

Diebus vacationis à studiis, quibus recreationis extraordinariæ quid amplius solito indulgetur, mortificationi studebis, offerendo te ad hoc, ut illâ tantisper priveris, ubi nimirum Patrem aliquem in urbem ad opera charitatis euntem comitaberis, aut clavium portæ curam geres. Cogitabis si quispiam hac privari debeat recreatione, ut illa alter potiatur, te esse præcipuè, qui id promeruerit, quoniam vita tua coram Deo perpetua ignavia est. Quod si

Supe-

Superior tibi minutiora hujusmodi ministeria injunxerit, quin ipse tu ad ista te obtuleris, æquo animo accipe, atque omni studio cave, ne fortè, ubi illa invitè aut cum obmurmuratione susceperis, omni merito orberis.

12.

In omnibus bono Fratribus tuis esto exemplo, ne fortè immodestiâ tuâ ac sensuum immoderatione illos ad te in similibus imitandum allicias, qua te coram Deo permagnæ reum te noxæ constitueres. Bonum æque ac malum exemplum multùm valet in illis, qui ipsum intuentur. *Paulatim descendit in pectora, & vim præceptorum obtinet frequenter aspici, frequenter audiri.* Seneca Epist. 5. ad Lucill.

13.

De defectibus & erratis tuis tam à Superiore ac Directore tuo, quàm à quovis alio moneri te libenter permitte. Quin & in aliquo tuorum hanc fiduciam colloca Fratrum, quem habebis velut Angelum custodem, & pro quo certas quaspiam preces profundes, quoties tibi istud præstiterit charitatis officium.

Quoad munia & officia Scholæ.

I.

STudia tua cuipiam Sanctorum, quem eliges in eorum Patronum, & cui illorum commendabis successum, consecrato.

II. Stu-

II.

Studio tempus omne, quod eo tibi fine Religio permittit, impende. Repete, propone, argumentare atque omnia Scholæ munia accuratè exequere, hæc enim voluntas est Dei atque istam, exemplo Fratrum tuorum, Regenti sive Lectori tuo debes animi voluptatem. Cave, ne metus tuæ prodendæ ignorantiæ te impediat, ne coram Fratribus tuis loqui atque animi tui sensa exponere non ausis; ideò enim studens es, ut discas, atque in hoc teipsum ut vincas exigit humilitas.

III.

Cave etiam, ne studium tuum tractatuum anticipatione confundas: quin potiùs exactè & gradatim sequere scripta, quæ Pater Lector tuus dictaverit. Magna enim erratio & aperta vanitas est eorum, qui gravioribus studiis addicti Oratoribus aut Poëtis, Fabulis aut Historiis operam navant, qui Philosophiæ studere cùm deberent, Theologicis vacant, aut qui Theologiæ studio appliciti componendis vacant sermonibus. Unde fit, ut ad nihil idonei evadant, semperque ignavi perseverent. Cuncta ergo suo tempore facito, juxta quod Religio, quę Dei voluntatem palam tibi facit, imperaverit.

IV.

Ut ritè proficias, tua solummodò legito scripta, neque ullus alius tibi sit scientiæ liber, nisi fortè tibi subinde aliquis ad modicum tempus fuerit datus à P. Lectore. Proinde Biblo-

thecam aut nunquam aut rariùs ingredere: aliàs ibi tempus inutiliter teres.

Seniores nostri hac in re ternas nobis perexiguas præscripsere regulas: *Lege pauca, meditare diu, disputa multùm.* Atque si dicerent: Lege pauca, id est nil præter scripta tua. Illa benè meditare, in animo tuo considerando nexum conclusionum cum suis principiis, ut & istorum principiorum cum aliis. Discepta ac disputa multùm, ut ingenium tuum excites & aperias.

V.

Antequam studere incipias, semper genibus flexis in scabello tuo precatorio directionem ad eum modum, quo jam dixi, aut mentaliter, si in hoc quid pietatis amplius persentiscis, præmittas. Verùm neutiquã tibi sufficiat simplex genuflexio aut nuda Salutationis Angelicæ oratio, id enim exile nimis foret ac jejunũ. Quin & ipse facillimè dijudicare posses, penè nihil id esse, atque in interiore conscientiæ tuæ contentus omnium minimè fores: subinde & per intervalla oculos in Deum conjice, aut aliquod ad ipsum suspirium dirige, quin tamen idcircò studia tua interrumpas. Quod si quid intelligere aut capere non queas, ad orationem convertere & positis humi genibus amanter dic: Nolo, Domine, quidquam scire, nisi „ te: si tuæ sit voluntatis, ut istud intelligam, „ tu mihi expone, nihil enim ego illius percipio.

VI.

In charta annotabis omnes tuas difficultates, ut illarum explicationem à P. Regente vel in publico,

publico, vel privatim, pro illius commoditate, ita exquiras, tuis ut Condiscipulis, totum tempus impendendo, importunus ne existas. Illis enim in omnibus & per omnia charitate concedas oportet. Easdem quoq; difficultates tuas aliquando proponere poteris cuipiam è Fratribus tuis, cui fortasse Deus, intuitu humilitatis tuæ, sat luminis suggeret, illas enodare ut queat.

VII.

Ad primum mox pulsum campanæ haud minori cum studio ac festinatione, cellulâ relictâ, ad Scholam te conferto, quàm ad Chorum advolandum esse tibi jam dixi. E cella tamen etiam ante tempus non egredere, ne horam expectando ipsum otio transigas? cujus momenta singula pretiosa cùm existant, vel tantillum ipsius perdere religioni habere omninò debes. Ad Scholam silenter atque oculis in terram demissis accede. Illam subiens aquâ lustrali te consperge, genibus inde flexis tuam renova Directionem, ac locum delige ad scribendum ac Lectorem audiendum commodum, eâ tamen conditione, ut si alius ipsum delegerit, tu charitate illum ei concedas, neque ullum unquam alteri eripias, quem ille elegerit.

VIII.

Modestè & cum silentio præstolaberis adventum Regentis, quin deambules, disputes, aut garrias. Scribendo cavebis, ne illis, qui proxim è tibi assederint, onerosus, quin potiùs officiosus existas, illis calamum, atramentum,

chartam, ubi opus habuerint, commodando; voce submissâ verbum aliquod, quod fortè ipsi satis non perceperint, repetendo, aliaque similia ex charitate faciendo, quantumvis hac ratione discrimen ipse adeas, ne verbum aliquod omittas: semper enim propriæ Fratris tui anteponere debes satisfactionem.

IX.

Sub lectione scholastica continuum sit oportet silentium, Tuum verò præsentiæ Dei exercitium tale erit, qualis tua in ipso amando fidelitas: simplicem tuum in divinam Majestatem illius conjectum intuitum continuare poteris, quin ad ipsam lectionis explicationem attendere desinas: id enim impossibile nequaquam est illi, qui commotus interiùs fuerit. Quod si verò animadvertas, ab interna te pace & animi collectione nonnihil esse abstractum, quibusdam uti te oportebit industriis, ut te ad divinam Majestatem revoces, & attollas. Qua de re cum Directore tuo communicabis consilia.

X.

Ubi primum datum fuerit signum è Schola egrediendi, illic porrò ne hæreas, vel in via disputando aut colloquendo distineri te sinas; quin potius celeriter atque in silentio in cellam tuam denuò te recipias. Illic genibus in scabello precatorio flexis Dominum nostrum ora, ut ad se te ipse attrahat, neque ut tot species ab illo te revocent, permittat, quandoquidem solo illius jussu in studia incumbas. Deinde si quid temporis fuerit tibi super, librum quendam

dam pium & affectivum, ut jam dixi, parumper evolve, ut revocare ad Deum ac te ipsum te queas, eaque ratione tua studia cuncta prosequere.

XI.

Constantiâ ac firmo proposito teipsum communire contende, ut animo invicto feras irrisiones, ac subtiles sannas, quas aliqui in te jacere poterunt ob tuam devotionem atque in prædictis exercitiis accurationem. Quin potius idem sentire connitaris; quod S. Paulus, qui dicebat: *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Virtus, quæ istâ ratione tentata non fuerit, solida & constans nunquam erit. Sanctorum Patrum nonnemo dicere amabat: *Nondum es felix, si te turba non deriserit.* Martinus Dum. Tom. 5. Biblioth. P.P. Galat. 1. 10.

XII.

Quod si omnia hæc monita tibi rudioris atque æquò difficilioris esse usus videantur, tuam in memoriam tibi revoca intentionem, quæ erat studendi, non ut scires, sed ut amares, & quòd obedientia studium tibi injunxerit, ut tuæ periculum faceret fidelitatis, ad quam multò amplius quàm ad studium aut aliam rem quamlibet animum intendas est necesse. Sive enim doctus sis, sive non, Deus in te non glorificabitur, nisi pro gradu amoris ac fidelitatis, quam pro ipso habebis.

Hoc igitur persuasissimum tibi semper habeto, potissimum tuum studendi finem in eo

situm esse, ut ista occupatione divinæ Majestati exteriùs interiùsque acceptum te reddas. Semper ergo præ scientia amato sanctitatem, hæcenim tibi utilissima erit ac Religioni, quæ non tam per doctos, quàm per sanctos Religiosos subsistit. Causa enim labefactationis Religionum non fuit hominum doctorum, sed Sanctorum inopia, satis enim multi docti in illis semper fuere repetti. Accipe hæc omnia in charitate ac per charitatem, ut per illa ad Deum demùm pervenias. Ita faxit ipse.

FINIS.

INDEX CAPITUM
Spiritus Actionum Religionis.

Præfatio. 403

Caput I.

Rationes, ob quas magni facere debeamus actiones communes Religionis. 411

Caput II.

Incentiva ad ritè obeundas communes Religionis actiones. 413

Caput III.

De directione interiori, quam cunctis nostris operibus oportet præmittere. 415

Caput IV.

Directionis operum nostrorum praxis. 418

Caput V.

De bonis actionum Religionis communium conditionibus. 423

Caput VI.

Finitâ actione quid facere nos oporteat. 427

Caput VII.

Qua ratione surgendum ad matutinas atque illis sit assistendum. 430

Caput VIII.

De aliis noctis exercitiis. 434

Caput IX.

Exercitia temporis matutini. 440

Caput X.
De opere manuali. 448
Caput XI.
De solitudine ac lectione spirituali. 450
Caput XII.
De Missa Conventuali vel quavis alia, cui interesse quis habet. 452
Caput XIII.
Methodus compendiosa audiendi Missam privatam. 460
Caput XIV.
Brevis conscientiæ discussio ante pandium. 461
Caput XV.
Mortificationes atque humiliationes in Refectorio. 464
Caput XVI.
Refectio. 465
Caput XVII.
Recreatio. 467
Caput XVIII.
Instructio circa ceremonias & modum cantandi. 469
Caput XIX.
De tempore pomeridiano ritè transigendo. 470
Caput XX.
Exhortatio sive lectio spiritualis. 473
Caput XXI.
Completorium. 475
Caput XXII.
Examen conscientiæ. 476

Caput

Caput XXIII.

De dormitione. 482

Caput XXIV.

Quomodo interioris constitutionis reddenda sit ratio. 486

Caput XXV.

De defectuum in Capitulo sive culparum exercitio correctione. 489

Caput XXVI.

Humiliationes ac mortificationes alibi quàm in Capitulo subeundæ. 491

Caput XXVII.

Interius circa quasdam humiliationes ac mortificationes exteriores exercitium. 494

Caput XXVIII.

Disciplinæ sive flagellationes. 500

Caput XXIX.

De colloquio spirituali. 502

Caput XXX.

De audienda concione. 504

Caput XXXI.

De modo sacris assistendi supplicationibus. 505

Caput XXXII.

De modo accipiendi sæculares nos invisentes. 506

Caput XXXIII.

De infirmis in valetudinario. 508

Caput XXXIV.

De illis, quibus loca conventus scopis aut alia ratione purgare incumbit. 512

Caput XXXV.

De ablutione culinariorum, aliorumque vasorum, suppellectilium ac vestimentorum, aliisque humilitatis officiis. 517

Caput XXXVI.

De Ministris mensæ. 520

Caput XXXVII.

De Lectore mensæ. 523

Caput XXXVIII.

De Excitatore nocturno. 528

Caput XXXIX.

De Excitatore matutino pro oratione mentali. 530

Caput XL.

De eo, qui hyeme post matutinas aut alio tempore accendit ignem, quo Religiosi se calefaciunt. 531

Caput XLI.

De eo, qui lampadem succendit in dormitorio. 534

Caput XLII.

De eo, qui Religiosis distribuit candelas. 535

Caput XLIII.

De illo, qui per cellulas ac Monasterii officinas distribuit aquam benedictam. 537

Caput XLIV.

De Tonsura & Coronis. 540

Caput XLV.

De stipis per urbem coactoribus. 542

Caput XLVI.

De Janitore. 545

Caput XLVII.

De Hospitalario. 549

Caput

INDEX CAPITUM.

Caput XLVIII.

De Infirmario. 555

Caput XLIX.

De Custode vestium. 561

Caput L.

De egressibus è Monasterio. 563

Caput LI.

De Religiosa urbanitate. 567

Caput LII.

De Pulsatore campanarum. 570

Caput LIII.

De illis, qui in officio divino dicunt sacras lectiones. 571

Caput LIV.

De Versiculariis. 574

Caput LV.

De Cantoribus. 577

Caput LVI.

De Organœdo. 585

Caput LVII.

De Crucifero in supplicationibus. 587

Caput LVIII.

De Altaris ministeriis. 590

Caput LIX.

De Junioribus Professis. 595

Caput LX.

Quænam Juniores Professi cavere debeant ac vitare. 601

Caput LXI.

Quid facere debeant Juniores Professi, ut primævum suum fervorem conservent. 632

Caput

Caput LXII.

Regulæ peculiariores pro Junioribus Professis, qui primum suum conservare volunt fervorem. 648

Caput LXIII.

De Studentibus. 651

Caput LXIV.

Magni momenti monita pro Religioso studente, qui sub studiis suis spiritum devotionis conservare desiderat. 658

FINIS.



Inter=

Interpres rursus Lectori S.

OMninò quidem speraveram fore, amice Lector, ut præsens opusculum absque erratis proderet typographicis: at quantumcumque in hoc adhibuerim conatum, spe meâ frustratus usu ipso edoctus fui, ne Argi quidem vigilantiam omnibus præcavendis sufficere, ideoque quod præstare non potui, patienter, nolens volens, ferre debui. Ut tamen & in hoc tibi gratificarer, prætermissis, quæ à quolibet facillimè deprehendi & corrigi queunt, illa tantùm annotanda hîc esse censui, quæ aliquam nonnemini parere possent difficultatem. Illa igitur

Menda sic emenda.

PAg. 3. lin. ult. lege operata. p. 20. in margine l. 6. l. felicitas. p. 24. l. 11. l. eveniret. p. 32. l. penult. l. serverur. p. 35. in marg. l. 3. l. aut. p. 78. l. 7. l. firmum propositum. p. 82. l. 18. l. interioris. p. 91. l. 5. à fine l. momentum. p. 122. l. 20. l. oblationis, l. 21. l. omniumque. p. 138. l. 1. l. quæ. p. 174. l. 1. l. aperueris. p. 175. l. 9. à fine l. creaturas. p. 185. l. 5. l. oestro. p. 222. l. 20. l. consolationes. p. 299. in marg. l. 4. l. quæ, & l. 5. l. acti-

l. actibus. p. 312. l. ult. l. facilius. p. 324. l. 7. à fine l. libro. p. 337. l. 8. l. judicare. p. 364. l. 4. l. quisquis. p. 365. l. 9. l. forent. p. 368. l. 3. à fine l. dices. p. 375. l. 2. à fine l. consecrare. p. 384. l. 5. l. benefico. p. 391. l. 9. l. adeoque. p. 404. l. 7. à fine l. eorum. p. 405. l. 10. à fine l. quodam. p. 416. dele duas ultimas lineas. p. 473. l. 9. à fine l. impertiri. p. 542. l. Caput XLV. p. 599. l. 13. l. rationum. p. 608. l. ult. l. exterioribus. p. 627. l. 9. à fine l. exercitiis. p. 639. l. 3. l. mortificent.

De Oratione.

f

De
Oratione

De
Gratiis

De
Gratian





UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De
Oratione